HERMANNUS DIECKMANN

DE ECCLESIA

TRACTATUS
HISTORICO-
DOGMATICI

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

DE ECCLESIA

TRACTATUS HISTORICO-DOGMATICI

QUOS SCRIPSIT

HERMANNUS DIECKMANN S.J.

*

TOMUS II

DE ECCLESIAE MAGISTERIO

CONSPECTUS DOGMATICUS

*

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXV

HERDER & CO.

TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Imprimi potest

Coloniae, die 12 Iunii 1924

Bern. Bley S. J.,
Praep. Prov. Germ. Inf.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 24 Iunii 1925

Dr. **Mutz**, Vic. Gen.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

INDEX PARTIUM

quae continentur altero tomo.

(Numeri uncis inclusi sunt marginales.)

TRACTATUS III.

DE ECCLESIAE MAGISTERIO.

CAPUT II.

DE SUBIECTO SEU ORGANO MAGISTERII ECCLESIAE.

CAPUT III.

DE OBIECTO MAGISTERII ECCLESIAE.

CAPUT IV.
DE FONTIBUS MAGISTERII ECCLESIAE.

CONSPECTUS DOGMATICUS.

CAPUT I.
DE ECCLESIAE HABITUDINE AD IESUM CHRISTUM.

CAPUT II.

DE ECCLESIAE HABITUDINE AD DEUM PATREM, AD SPIRITUM SANCTUM, AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

CAPUT III.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS ECCLESIAE.

Epistula encyclica *Leonis XIII „Satis cognitum“*

(de die 29 Iunii 1896)

DE UNITATE ECCLESIAE.

ABBREVIATIONES.

AAS = Acta Apostolicae Sedis (inde ab anno 1909) Commentarium Officiale (in oppositione ad Acta Sanctae Sedis [*ASS*] 1865—1909, quibus indoles authentica non competit).

CIC = Codex Iuris Canonici.

CB = (Corpus Berolinense) Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte, herausgegeben von der Kirchenväter-Kommission der Königl. preuß. Akademie der Wissenschaften (zu Berlin). Leipzig, Hinrichs, 1897 sqq.

CV = Corpus (Vindobonense) scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis Academiae litt. caesareae Vindobonensis. Vindobonae 1866 sqq.

D = *Denzinger-Bannwart,* Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum. Ed. 14 et 15, quam paravit *I. B. Umberg,* Friburgi, Herder, 1922.

Ev = evangelium; *Evv* = evangelia.

K = *C. Kirch,* Enchiridion fontium historiae ecclesiasticae antiquae. Ed. 4, Friburgi, Herder, 1923.

LG = Novi Testamenti Lexicon Graecum auctore *F. Zorell,* Parisiis 1911.

LXX = Septuaginta, versio Veteris Testamenti alexandrina.

MSG MSL = *I. P. Migne,* Patrologiae cursus completus, series graeca (Parisiis 1857 sqq.) resp. series latina (Parisiis 1844 sqq.).

NT VT = Novum Testamentum, Vetus Testamentum.

R = *M. J. Rouët de Journel,* Enchiridion Patristicum. Ed. 4 et 5, Friburgi, Herder, 1922.

Vg = Biblia Sacra Vulgatae editionis *Sixti V.* et *Clementis VII.*

Asterisco (*) designantur in *Notis* opera, quae sententiam a doctrina catholica alienam tenere videntur.

TRACTATUS III.

DE ECCLESIAE MAGISTERIO.

632. PRAEMITTENDA. — 1. Christus missus est et venit in hunc mundum, ut salutem supernaturalem, peccato Adae perditam, hominibus restitueret. Sacrificio crucis pretium *redemptionis* solvit pro omnibus omnium temporum hominibus (cf. n. 227 sqq.). „Verum etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est (2 Cor. 5, 15), non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur" (Trid. sess. VI, c. 3; *D* 795), scilicet *libera cooperatione* hominum actibusque religiosis. Hinc Christus instituit *novam religionem* (christianam) (cf. n. 133 sqq. 151 sqq.), in qua et per quam homines participes fierent fructuum redemptionis et salutis recuperatae. *Finis* igitur *principalis* religionis christianae est religiosus et salvificus, sanctificatio hominum.

Quoniam autem hominum cooperatio libera requiritur, necesse est eosdem *scire* non solum se esse redemptos, sed etiam se debere propriis actibus cooperari, ut huius redemptionis participes fiant eiusque fructus sibi applicent, atque insuper mediis uti, quae Deus ad hunc finem obtinendum ab hominibus adhiberi velit. Quo autem modo haec omnia hominibus innotescent nisi instructione et praedicatione, i. e. nisi religio christiana simul habeat finem *doctrinalem,* quem explens sit magistra suorum membrorum, immo omnium hominum, quos adducere debet ad salutis cognitionem et participationem? *Duplex* igitur est *finis* Ecclesiae: sanctificatorius et doctrinalis; uterque essentialis, sed ita ut doctrinalis subordinatus sit priori, salutifero et religioso.

Religio porro christiana est *socialis;* Christus nimirum suam religionem ut societatem instituit, cuius organisationem et constitutionem ipse, saltem quoad essentialia, determinavit. Qua talis religio vocatur *Ecclesia* (n. 336) seu communitas sacra, quae ratione quidem formali, sub qua consideratur et designatur, non autem re et veritate a religione christiana distinguitur. Iamvero omnis societas indiget muneribus socialibus, indiget imprimis auctoritate, qua corpus regitur atque ad finem suum obtinendum

adigitur et adducitur (cf. 235 sqq. 313 sqq.). Inde est quod *triplex genus munerum* in religione christiana et Christi Ecclesia inveniatur: sanctificatorium, doctrinale, disciplinare (regendi) et sociale.

633. 2. Et haec quidem est *consideratio systematica,* quae disquisitione peracta respicit Ecclesiae indolem et naturam: nostra autem via inquisitionis nondum ad hoc adduxit, ut viatores possint sistere gradum; media enim in via sumus. Illud quidem ex assertionibus praecedentibus in tuto esse positum supponimus: Christum ipsum fundasse Ecclesiam suam, ut sit forma socialis Regni Dei a se praedicati et novae religionis redemptricis a se fundatae; immo huius Ecclesiae constitutionem ipsum Christum quoad summas formas determinasse. *At de muneribus,* quae huic Ecclesiae commisit, nondum disputatum est. Et licet *munus* sanctificatorium brevius expediri possit (cf. conspectum dogmaticum; n. 897 sqq.), *doctrinale* tamen paulo fusius considerari sane debet, saltem quod ad rationes historicas, ad verba Christi et ad consensum Ecclesiae primitivae attinet. Ecclesia enim ut magistra, cui scilicet Christus, legatus Dei, suam contulit revelationem et doctrinam hominibus communicandam, quaestionem tandem solvet, quam in theologia fundamentali unice persequimur: quonam modo securi perveniamus ad doctrinam revelatam, ad cognoscendam voluntatem Dei, ad implenda Dei consilia, ad rite peragendam vitam religiosam, qua finem adipiscamur ultimum, salutem animae propriae in glorificando Deo.

Quare, ut methodice progrediamur, breviter recolamus, quaenam ex tractatibus prioribus huius nostrae inquisitionis iam *constent* et proinde *supponi possint,* quaenam deinde *inquirenda* et exponenda remaneant huic tractatui de munere doctrinali seu de magisterio Ecclesiae. Ex quo conspectu apparebit, qua ratione hic tractatus cohaereat cum praecedenti.

634. 3. Et primum quidem *constat* ex assertionibus hucusque probatis Christum annuntiasse et fundasse *novam religionem,* et quidem socialem. Hinc in praedicatione sua locutus est de *Regno Dei;* hinc in fundatione idem Regnum Dei vocavit *Ecclesiam suam* (cf. n. 238). Initium huius religionis socialis seu organisationis religiosae ipse fecit eo quod ex *discipulis* suis quosdam, numero *Duodecim,* vocavit ad sequelam quandam artiorem, ut nimirum eis traderet peculiarem missionem et legationem, unde vocantur *apostoli* (*Ass. 9,* n. 249 sqq.). Et finem et scopum et obiectum huius missionis seu apostolatus generatim quidem adumbravimus (cf. n. 269 312); duplex scilicet esse munus apostolicum, *sanctificatorium* et *doctrinale*; utrumque *sociale,* quia exercendum in societate religiosa. *At* indolem, ambitum, iura, privilegia, obiectum horum munerum speciali tractatui reservata esse diximus; et munus quidem doctrinale explicandum esse in tertio huius operis parte. Tractatus proinde de magisterio initium sumit ex assertionibus 9, quae de electione duodecim apostolorum, et 10, quae de apostolatu Pauli agit.

635. 4. Quaestio igitur decidenda in tractatu sequenti est fere haec: *Qua ratione ipse Christus, legatus Dei, suum munus propheticum seu doctrinale apostolis suis tradidit?* — Haec iam quaestio plures alias particulares in se continet. Antequam enim de ipsius muneris indole agere fas est, constare debet de muneris veritate seu *exsistentia*: num Christus omnino munus magisterii instituerit, quod aeque ac sociale (auctoritatem) certis quibusdam hominibus, apostolis dico atque in iis suae Ecclesiae, commiserit, ita ut alii omnes ab his docendi sint. Alia deinde quaestio, cum priore intime conexa, indagat huius muneris *auctoritatem*: estne revera ipsum munus doctrinale Christi, ita ut apostoli et Ecclesia eadem auctoritate ac Christus doceant, seu ut sint *infallibiles?* Quaestio sane gravissima. — De *obiecto* porro quaeritur huius magisterii; numquid est illimitatum, an vero ad aliquas veritates restringitur? ad quasnam? — Facilius quidem deciditur quaestio, quinam sint *subiecta* seu *organa* huius muneris doctrinalis: responsum enim ex iis, quae de successoribus apostolorum (*Ass. 19,* n. 457 sqq.) et Petri (*Ass. 21,* n. 507 sqq.) exposita sunt, sponte deducitur, licet maneant peculiaria quaedam, quae ulteriore inquisitione indigere videntur, ut auctoritas doctrinalis singulorum episcoporum, magisterium infallibile Romani Pontificis, alia similia. — Ex quonam denique *fonte* haec organa doctrinam suam hauriunt, quam praedicant et docent? Estne Sacra Scriptura unicus fons revelationis christianae? estne saltem fons principalis?

Quibus quaestionibus ut secundum ordinem satisfaciamus, quattuor capitibus distributas quaestiones ita absolvere in animo est, ut agamus:

I. De *exsistentia* et *indole* magisterii Ecclesiae: Christum scilicet Ecclesiae suae in apostolis suis tradidisse verum et proprium munus docendi, auctoritate summa instructum et hinc infallibile.

II. De *subiecto* seu de organo magisterii Ecclesiae: quinam scilicet sint magistri authentici qui vocantur in Ecclesia Christi. Hinc agendum erit et de episcopis eorumque auctoritate magi-

1*

strali, qua polleant sive singuli in sua quisque dioecesi docentes, sive in concilio oecumenico collecti docentes universam Ecclesiam, et de Romano Pontifice, qui haud raro loquitur per suas Congregationes: quanam auctoritate?

III. De *obiecto* magisterii ecclesiastici, et quidem tum de directo (de revelatione christiana), tum de indirecto (de veritatibus cum revelatione conexis). Ad definiendum obiectum directum requiritur inquisitio in revelationis christianae indolem, utrum nempe sit absoluta atque augmenti iam incapax, an vero continuis novis revelationibus divinis augeri possit.

IV. *Fons* autem horum magistrorum primarius et per se solus sufficiens est ipsum magisterium Ecclesiae ut vivum organum praedicationis perennis Ecclesiae. Sacra Scriptura est quidem de facto, ex voluntate Dei, fons magisterii, attamen natura sua nequit esse fons unicus, neque per se sola sufficit. Qui sint fontes secundarii, scilicet effata Patrum, doctrina Doctorum Ecclesiae et scholarum theologicarum, quatenus cohaerent cum magisterio Ecclesiae.

636. 5. *Fontes* huius tractatus sunt in genere iidem ac ii, quibus tractatus praecedentes usi sunt, imprimis igitur libri N[i] T[i], deinde vero documenta Ecclesiae primitivae. Quibus accedunt, saltem in ultimis quaestionibus huius inquisitionis, *documenta Ecclesiae ut talia,* i. e. ut praedita auctoritate doctrinali Ecclesiae. Ratio autem huius diversitatis est in eo potissimum quod in hoc ipso tractatu non solum demonstratur auctoritas doctrinalis Ecclesiae omnimoda, sed etiam ostenditur, quibusnam organis haec auctoritas competat. Quibus expositis ipsae iam decisiones magisterii Ecclesiae eiusdem indolem et naturam ulterius illustrare et explicare valent.

Inde etiam est quod tractatus vocetur *historico-dogmaticus.* Procedit quidem ut plurimum historice, in quaestionibus nempe de exsistentia, indole, organis magisterii; at sunt aliae quaestiones, quas vel facilius vel unice solvere potest ex consensu ipsius magisterii, ut e. g. si agatur de auctoritate Congregationum Romanarum doctrinalium. Plurimis porro assertionibus ex hoc Ecclesiae consensu pondus auctoritatis novae simul et maioris certitudinis additur. Ut autem character totius operis, quod imprimis historicum est, quantum fieri potest servetur, argumenta dogmatica, immo ipsas quaestiones potius dogmaticas vel practicas breviter expediemus; fundamenta vero historica modo licet compendiario, attamen comprehensivo ostendemus. Quae methodus etiam suadetur ex ipsa ratione theologiae fundamentalis, quippe

quae Ecclesiam imprimis considerat ut *magistram* eiusque magisterium ut vehiculum et mediatorem revelationis christianae. Absoluta proinde quaestione, num et qua ratione magisterium in Ecclesia inveniatur et quo modo concreto Ecclesia suum munus doctrinale exerceat et membra Ecclesiae per ipsam de veritate christiana certiores fiant, finis tractatus obtinetur.

637. 6. Hisce porro iustificatur *inscriptio* huius tractatus. Varia nimirum sunt nomina, sub quibus idem argumentum explicari solet: *De traditione; De criteriis theologicis; Logica supernaturalis; Theoria cognitionis supernaturalis; De principiis; De locis theologicis; De verbo Dei (scripto et) tradito,* et cetera, quae alia alio modo tractatum considerant aliosque eius aspectus praebent. Accedit altera auctorum inter se varietas atque partim etiam dissensio. Sunt etenim auctores qui trahunt inquisitionem de Ecclesiae magisterio ad theologiam fundamentalem, sicut fit in hoc tractatu; alii vero commendant alium ordinem, quo videlicet praemittatur tractatui de fide, quippe qui quaestiones prorsus similes et partim identicas solvendas habeat. His in quaestionibus et controversiis methodicis plurimum pendet a structura totius theologiae cursus, a praedilectione lectoris theologici, ab eius dispositione et inclinatione magis historica vel speculativa (dogmatica), a quibusdam dein influxibus fere invisibilibus et imponderabilibus, qui alii aliis temporibus sese manifestant neque semper fundantur rationibus clare et diserte expressis. Nostris diebus certa quaedam propensio orta esse videtur apud non paucos auctores, ut derelicta fere vel abbreviata via stricte historica (quam *apologeticam* nominant) potius dogmatice et „positive" ipsas quaestiones praeliminares proponere studeant, methodo uti aiunt securiore et faciliore. In hac re unusquisque in suo sensu abundet, modo aedificium quod construit sit firmum, super firmum fundamentum positum.

638. 7. Restat ut aliquos *auctores* afferamus, qui in hac materia iure ut principales habentur. Praeter auctores in prioribus tractatibus cum laude nominatos ut *Chr. Pesch, G. Wilmers, I.-V. de Groot, L. Billot, H. Felder, M. d'Herbigny, I. Ottiger, A. Straub,* imprimis ut classici in hac quaestione merito habentur: *Melchior Canus,* De locis theologicis. Salmanticae 1563; — *Rob. Bellarminus,* De controversiis tomus I, Controv. I, lib. 3 (De verbi Dei interpretatione) et 4 (De verbo Dei non scripto); Controv. III, lib. 4 (De infallibilitate Romani Pontificis); tomus II, Controv. I, lib. 1 (De conciliis); 2 (De potestate conciliorum); *I. B. Franzelin,* De

traditione et scriptura, ed. 3, Romae 1882; brevem sed utilem librum scripsit *I. V. Bainvel:* De magisterio vivo et traditione (Paris 1905), cum selecta bibliographia.

CAPUT I.

DE EXSISTENTIA ET INDOLE MAGISTERII ECCLESIAE.

639. Praemittenda. — De *ratione* huius capitis vix est cur fusius disseratur. Est etenim fundamentum totius tractatus, quaestio simul praeliminaris et angularis, cuius decisio distinguit Ecclesiam catholicam ab omnibus fere aliis coetibus christianis. Sicuti enim Ecclesia catholica quoad regimen sociale est hierarchica, statuens auctoritatem divinitus sibi datam esse ut munus a quibusdam exercendum, ita in exsequendo *fine doctrinali* simile *munus* sibi commissum esse contendit, auctoritatem nimirum doctrinalem, quae resideat penes eosdem, qui pollent iurisdictione divina. Hoc munus est *magisterium* Ecclesiae, quod competat non ex aequo omnibus Ecclesiae membris, sed iis dumtaxat, qui vi institutionis Christi et modo a Christo determinato ius et officium habent docendi nomine et auctoritate Christi. Hi autem sunt apostoli eorumque successores iuridici. Sicut igitur auctoritate sociali, hierarchica nempe, *dualismus* quidem iuris socialis statuitur inter gregem et pastores, subditos et praepositos, ita munere doctrinali discrimen fundatur inter *magistros authenticos* (Ecclesiam *docentem*) et omnes alios christianos, qui ut tales sunt discipuli (Ecclesia *audiens* et *discens*).

Quae cum ita sint, parallelismus perfectus habetur in utroque munere, et regiminis nimirum et magisterii; immo tertium ac principale munus Ecclesiae, sanctificatorium et *sacerdotale,* maiorem etiam inaequalitatem in membra Ecclesiae inducit, quia eos dividit in *clericos et laicos.* Et priores quidem soli destinati sunt officio sacro, neque solo iure, sed insuper habilitate et potestate; sunt enim sacramenta, quae solus sacerdos, vi ordinis sacri, valide conficere vel administrare potest; et augustissimum sacrificium missae Deo offerendum reservatum est sacerdotio visibili et externo N^i^ T^i^. Itaque perfecta est paritas plenaque harmonia munerum, quae Christus Ecclesiae suae dedit (cf. n. 932 sqq.).

640. *Probandum* igitur est munus magisterii ab ipso Christo Ecclesiae traditum esse, et quidem tum ex verbis Christi (argumento directo) tum ex consensu primaevae Ecclesiae (argumento indirecto). Via proinde, quam sequimur in hac inquisitione, eadem

prorsus est ac ea, qua procedit tractatus praecedens, ea tamen differentia, ut ob rationes practicas coniungamus in eadem quaestione utrumque testimonium, directum et indirectum. Quaestiones vero diiudicandas has duas ponimus:

1. de exsistentia muneris docendi seu magisterii a Christo instituti;

2. de indole huius magisterii i. e. de auctoritate, qua pollet; atque haec est quaestio infallibilitatis, qua Christus Ecclesiam suam insignitam esse voluit.

Quaestio 1. De exsistentia magisterii Ecclesiae.

Quoniam Christus Ecclesiae suae omnem potestatem in apostolis suis et per apostolos suos dedit, probari debet Christum commisisse apostolis suis potestatem docendi ut munus ab Ecclesia perenniter exercendum. Ita intellegenda est assertio sequens.

ASSERTIO 24. Christus misit apostolos suos (Duodecim) ad docendos homines suo nomine et sua auctoritate; ita instituit munus magisterii, quod perenne esse voluit in sua Ecclesia.

641. 1. Ipsis iam verbis haec assertio conectitur cum praecedenti illa, quae de duodecim apostolorum collectione, electione, missione agit (*Ass. 9,* n. 249 sqq.). Et re quidem vera haec inquisitio prosequitur missionem apostolorum, ut scilicet eam accuratius perspiciat ac determinet. Apostolis enim solis Christus, fundator Ecclesiae, immediate omnes potestates omniaque officia et munera, si quae instituit, commisit, ut per apostolos Ecclesiae, tum temporis futurae, communicarentur. Hinc, si de voluntate Christi quaerimus, indaganda erunt effata Christi, quae respiciunt munera apostolis tradita.

2. *Apostolos* porro intellegimus et Duodecim (*Ass. 9,* n. 257 sqq.) et Paulum (*Ass. 10,* n. 287 sqq.), qui, licet post alios apostolos, ab eodem tamen Christo immediate et personaliter missionem suam accepit. De obiecto huius missionis immediatae quaerimus, et quidem de obiecto partiali, de missione scilicet doctrinali, qua iubentur legati Christi ut tales docere homines doctrinam ipsius Christi, i. e. veritatem a Christo revelatam. Hoc iam mandatum Christi Duodecim constituit legatos seu apostolos, induens eos auctoritate Christi, ita ut debeant praedicare nomine Christi et possint docere auctoritate Christi. Ex hac auctoritate, a Christo tradita et proprie divina, apostoli vocantur *magistri authentici* (auctorizati).

642. 3. Ulterior autem quaestio movetur circa naturam huius missionis doctrinalis, utrum scilicet sit vere *munus* magisterii,

certis quibusdam hominibus institutione divina successive traditum et tradendum, an vero omnia Ecclesiae membra respiciat, ita ut quilibet pro facultate et inclinatione possit de iure alios docere, sive intra sive extra Ecclesiam. Munus nimirum eo sensu accipimus ut sit institutio quaedam stabilis, condita ordinatione sive (immediate) divina sive humana (e. g. auctoritate ecclesiastica), ad normam iuris vigentis certis hominibus conferenda, quae in se continet tum obligationes certas praestandas, tum iura quaedam et potestatem quandam et auctoritatem participatam. *Munus* proinde *docendi* est missio doctrinalis, certis hominibus ab ipso Christo commissa, quibus obligatio docendi imponitur et auctoritas Christi communicatur, ita ut omnes alii eos audire eosque ut magistros sequi debeant.

4. Tale munus docendi homines ex natura sua est stabile et *perenne*, si finis ob quem creatum est perdurat, neque auctor muneris illud abrogat. Magisterium igitur, quod Christus, ut demonstrandum erit, apostolis suis tradidit, de se ad successores apostolorum transire debet, siquidem finis missionis apostolicae („docete omnes gentes!") nondum obtentus erat, quando apostoli moriebantur. Haec tamen perennitas etiam aliunde, ex disertis nimirum verbis Christi atque ex consensu Ecclesiae primaevae, ostendetur.

643. 5. Magisterium modo descriptum esse *vivum* ex ipsa notione derivatur. Vivum enim magisterium ideo vocatur, quod constat ex hominibus vivis, qui sive ore sive scriptis docent. Magistri igitur ecclesiastici, pro tempore exsistentes, constituunt ultimum et supremum tribunal in re doctrinali, quia instructi sunt summa auctoritate doctrinali, auctoritate nimirum ipsius Christi. Hoc sensu magisterium, quandoquidem ipsa Ecclesia est perennis (*Ass. 8*, n. 205 sqq.; *Ass. 15*, n. 378 sqq.), numquam morietur neque muneris sui umquam immemor erit.

Magisterio vivo authentico opponitur auctoritas alicuius *libri*, qui ut norma (alicuius religionis) suprema consideratur, et *influxus immediatus Spiritus Sancti*, qui singulos christianos illuminat de veritate christiana, sicuti protestantes veteres statuerunt; germina autem subiectivismi, quae in hac theoria latent, paulatim evoluta eo duxerunt ut plurimi acatholici, reiecta auctoritate externa et Ecclesiae et Scripturae, unice dirigantur sensu religioso atque experientia interna. Inde dissolutio illa, de qua ex protestantibus non pauci conqueruntur; ex thesauro nimirum revelationis non reliquit nisi residuum aliquod exiguum (cf. n. 133 150 544 sqq.)[1].

644. 6. Magisterium ecclesiasticum denique vocatur *traditionale*. Quoniam de traditione in Scholio (n. 677 sqq.) fusius agemus, hoc

loco brevis sufficiat descriptio. Traditionale vocatur magisterium relate ad exercitium et ad obiectum, ad doctrinam nempe. Per se quidem ambitus magisterii et doctrinae non restringitur nisi veritate et cognoscibilitate veritatis, ut in disciplinis philosophicis, historicis aliisque profanis et naturalibus. Quodsi agatur de revelatione divina, hominibus per magisterium communicanda ex voluntate divina, ipsum munus doctrinale restringitur ad veritates in hac revelatione contentas seu necessario cum ea conexas. Talis etenim magisterii minime est novas proferre doctrinas, sed eas quas a Deo accepit revelatas fideliter custodire et hominibus *tradere*. Exercitium proinde huius magisterii est traditio, atque ipsum magisterium est essentialiter traditionale. Iamvero magisterium a Christo institutum hunc finem accepit, ut doctrinam Christi hominibus manifestaret, i. e. doctrinam revelatam; immo doctrinam non iam novis revelationibus complendam et augendam, sed absolutam, quoniam post mortem apostolorum nova revelatio (publica) fieri nequit (*Ass. 30*, n. 794 sqq.). Hinc mos invaluit, ut ipsum magisterium *traditio* vocaretur, atque tractatus integer ab hac qualitate, magisterio ecclesiastico essentiali, *De traditione* inscriberetur.

Procedemus in hac assertione ita ut triplici gradu (I) consideremus ipsius Christi verba; deinde (II) transeamus ad testimonia temporis apostolici et (III) postapostolici.

I. Quidnam ipse Christus de magisterii munere docuerit.

645. Ut constet Christum munus magisterii instituisse idque apostolis suis dedisse, demonstrandum est eum suum proprium magisterium atque auctoritatem doctrinalem apostolis tradidisse, qui scilicet nomine et auctoritate Christi doctrinam hominibus annuntiarent. Ita enim habetur et ratio muneris et indoles magisterii tamquam vivi, authentici, traditionalis. Hoc idem argumenta allata ostendent, scilicet (1) missionem Christi integram transmissam esse ad apostolos duodecim; quae missio deinde (2) ulterius explicatur effatis et factis Christi; quibus adicimus (3) missionem Christi definitivam, quam dedit undecim post resurrectionem a mortuis.

646. 1. Christum voluisse opus suum ab apostolis continuari probatum est in *Ass. 9* parte tertia, quae nimirum agit de fine collegii Duodecim seu de apostolatu (cf. n. 269 sqq.). Hinc Duodecim *vocavit apostolos* (Luc. 6, 13; cf. n. 272 sq.) seu legatos suos, qui suo nomine agerent. Cuiusnam generis haec legatio sit, ipse Christus haud dubie innuit, eadem scilicet, quam ipse a Patre acceperat: „Qui recipit vos, me recipit, et qui me recipit, recipit

eum qui me misit" (Matth. 10, 40), et „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me" (Luc. 10, 16); quae verba, cum ad discipulos septuaginta dirigantur, potius indolem generalem missionis Christi exhibent, quam ut munus magisterii designare valeant; agunt enim de missione praevia (cf. n. 275 sq.) *Eadem* igitur est missio apostolorum ac ipsius Christi, non solum paritate et aequalitate, sed identitate. Successione videlicet quadam iuridica missio Christi, qua missus est a Patre, transiit voluntate Christi ad apostolos. Iamvero Christus est legatus Dei, ultimus prophetarum (cf. Matth. 21, 34 sqq.; Hebr. 1, 1), immo apostolus sensu maxime proprio, sicut Paulus eum vocat (Hebr. 3, 1), qui hominibus revelaret verbum bonum salutis (Luc. 4, 16 sqq. Matth. 11, 4 sqq., etc.). Ergo apostoli eandem missionem doctrinalem habent eandemque auctoritatem doctrinalem: sunt etenim et ipsi legati Dei atque prophetae (Matth. 5, 12; 23, 34 sq.), missi a Deo per Christum ad docendos omnes homines.

647. 2. Christus autem hanc missionem doctrinalem, quam apostolis dedit, non solum generali quasi modo eis indicavit, sed ipsos ad hoc munus rite peragendum *praeparavit* et *instruxit* atque finem huius praeparationis clare indicavit, missionem scilicet futuram definitivam ad docendas omnes gentes doctrinam Christi.

a) Etiamsi nullum iam exstaret verbum Christi disertum de fine, ob quem Duodecim vocavit apostolos seu legatos suos, ipse tamen *modus agendi* naturam huius missionis sat clare circumscribit. Ipse etenim Christus non solum *se magistrum vocat* suorum apostolorum modo quodam peculiari (Matth. 10, 24 sq.; 23, 8, 10; 26, 18. Io. 13, 13 sq.), sed etiam magistrum eorum *agit,* eos instruens non solum simul cum populo sed etiam et imprimis seorsum a vulgo, et quidem de propria sua missione et doctrina. Iamvero huius instructionis finis alius esse nequit, nisi ut Duodecim apti reddantur, qui homines doctrinam Christi doceant.

Et *sermo* quidem *montanus* (Matth. 5, 1 sqq.) habitus est populo; at „accesserunt ad eum discipuli eius" (5, 1), non solum ratione sequelae sed etiam quorundam doctrinae capitum, quae primarie saltem apostolos futuros respiciunt (5, 11—16; forte etiam 7, 21 sqq.). *Instructio* vero, quam Matthaeus narrat c. 10, dirigitur a Christo *solis Duodecim,* quos mittit ut pastores gregis vexati et derelicti (9, 35 sqq.). „Hos Duodecim misit Iesus" (10, 5) atque instruxit de fine et modo suae missionis. Debent scilicet praedicare: „Appropinquavit Regnum caelorum!" et confirmare veritatem huius verbi miraculis (10, 7); i. e. eandem missionem exsequi atque

Christus. Induuntur porro auctoritate Christi, qui ipse iudicium minatur iis, qui spreverint suos legatos (10, 14 sqq.). Persecutiones quidem patientur, sicut ipse Christus (10, 17 sqq.), sed ne his quidem deterreantur a praedicatione evangelii, quae iis ut onus imposita, ut munus concredita est (10, 26 sq.), nam Christus, qui eos misit, poterit eos tueri atque eos tuebitur. Clare his verbis *munus doctrinale* describitur, quod exercebunt apostoli nunc quidem, tempore vitae Christi, temporarie, postea autem definitive (10, 16 sqq.); de utraque enim missione Christus loquitur.

Parabolas quidem Iesus proferebat coram populo et turbis multis (Matth. 13, 1 sq.), sed sensum parabolarum earumque applicationem ad *Regnum Dei* (solis) apostolis explicavit: „Vobis datum est nosse mysteria Regni caelorum" (13, 11; cf. Marc. 4, 10: „qui circum ipsum erant cum Duodecim; *Vg*: „qui cum eo erant Duodecim"); „vos ergo audite parabolam seminantis . . ." (Matth. 13, 18). Postquam deinde totam rationem Regni Dei exposuit (cf. n. 122), interrogavit discipulos suos: „Intellexistis haec omnia? . . . Ideo omnis scriba doctus in Regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera" (13, 51 sq.).

Post confessionem deinde Petri (Matth. 16, 16 sqq.) Christus palam loquitur de *novo* suo *Regno* super novum fundamentum erigendo (Matth. 16, 18 sq.; cf. n. 238 sqq. 365 sqq.), deque mysterio fundamentali huius Regni novi, scilicet *de morte* ipsius Christi (16, 21 sqq.; cf. 20, 28); sed simul vetat, ne cuipiam dicerent, „quia ipse esset (Iesus) Christus" (16, 21). Idem legimus in relatione de transfiguratione Christi (17, 9). Praedictio porro passionis et mortis *solis apostolis* fit (cf. Matth. 20, 17). Eosdem seorsum instruit de muneris sui officiis pastoralibus (Matth. 18, 1 sqq.; cf. Marc. 9, 33 sqq.; n. 318 sqq.) atque promittit auctoritatem socialem, sicut antea (Matth. 16, 18 sq.) Simoni Petro.

648. b) Insuper autem Christus *disertis verbis* munus doctrinale, apostolis commissum vel committendum, describit. Ipsa iam *nomina* „lux mundi", „sal terrae" vocationem discipulorum indicant; clarius etiam comparatio cum *prophetis* V^is^ T^i^: „Sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos" (Matth. 5, 12). „Qui recipit vos, me recipit! . . . Qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet" (10, 40 sq.). Etiam monitio, quam inserit Christus sermoni contra pharisaeos et scribas (23, 1 sqq.), innuit magisterium futurum apostolorum: „Vos autem nolite vocari rabbi. . . . Nec vocemini magistri; quia magister vester unus est, Christus" (23, 8 10). Quibus verbis carpit quidem et prohibet studium vanae gloriae acquirendae coram hominibus;

munus autem docendi non solum non excludit sed supponit; id quod confirmatur ex verbis eiusdem sermonis his: „Ideo, ecce, ego mitto ad vos (ait pharisaeis et in iis toti populo) prophetas et sapientes et scribas; et ex illis occidetis et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris et persequemini de civitate in civitatem . . .“ (23, 34). Ipsam igitur Christi missionem exsequentur apostoli.

Hinc intellegitur condicio apostolorum in quibusdam *actibus Christi* quasi sollemnioribus et clare messianicis, ut in multiplicatione panum; in utraque enim apostolis committit non solam distributionem panis mirabiliter multiplicati, sed ipsam eis virtutem miraculosam videtur communicare, ut in manibus discipulorum miraculum multiplicationis efficiatur (Matth. 14, 19. Marc. 6, 41. Luc. 9, 16. Io. 6, 11. Matth. 15, 36. Marc. 8, 6; cf. n. 331 sq.). Quibus praeluditur muneri, quo apostoli post Christi mortem fungi debebunt, tamquam Christi legati et apostoli.

649. 3. Ipsam hanc *missionem ultimam et definitivam* evangelia nostra, referentia verba Christi, exhibent. Christus nimirum post resurrectionem suam apostolis undecim in Galilaea *(Matth. 28, 16)* dedit mandatum simul doctrinale et sui praesidii perpetui promissionem: „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra“ — hisce verbis summa ipsius Christi auctoritas describitur, vi cuius ipse possit legatos mittere eosque eadem auctoritate instruere —; „euntes ergo docete (facite discipulos) omnes gentes, baptizantes eos . . . docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis“ — missio apostolorum circumscribitur ut legitima, ut doctrinalis, ut continuatio missionis Christi —; „et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi“ — haec missio doctrinalis est perennis quia universalis; efficax, quia sub tutela Christi (cf. n. 219 225).

Locus parallelus apud *Marcum* eadem fere exhibet ac *EvMatth.* Christus dicit discipulis suis: „Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur“ (Marc. 16, 15 sq.). Munus magisterii vivi, authentici, perennis quam clarissime designatur ut missio Christi doctrinalis (evangelica) continuata.

Eodem modo *Lucas* effert munus doctrinale: „praedicari in nomine eius (Christi) poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes . . . vos autem testes estis horum. Et ego mittam promissum Patris in vos . . . (ut) induamini virtute ex alto“ (24, 47—49; cf. Act. 1, 8). *Ioannes* vero potestatem sanctificandi

apostolis traditam esse testatur: „Sicut misit me Pater, ego mitto vos. . . . Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt“ (20, 21—23).

Quae si *complectimur,* intentionem Christi ita describere debemus: Christus ipse pro sua potestate absoluta atque pro cura, quam de suo Regno, Ecclesia nempe, per apostolos erigendo, habet et gerit, iisdem apostolis suam *propriam missionem* propheticam et doctrinalem committit eo fine, ut suam revelationem omnibus hominibus annuntient. In hac vero missione includitur non solum ipsa *doctrina* fideliter servanda et praedicanda, sed etiam *munus doctrinale,* scilicet obligatio apostolis imposita docendi — quia omnes homines ab iis discere debent verbum salutis aeternae —, et ius exigendi, ut omnes alii homines audiant et admittant instructionem apostolicam, seu auctoritas doctrinalis. Haec denique missio non exspirabit, donec omnes homines audierint praedicationem doctrinae Christi, i. e. usque ad finem mundi.

II. De consensu Ecclesiae apostolicae.

Quonam modo Ecclesia primaeva, comites et discipuli Christi atque imprimis ipsi apostoli, hanc missionem Christi intellexerunt? Numquid munus doctrinale agnoverunt, sibi adscripserunt, exercuerunt? Fontes interrogandi sunt imprimis *Actus* apostolorum, epistulae *Pauli,* quibus alios libros N[i] T[i] addemus.

650. 1. *Testimonium Actuum.* — Secundum Lucae opus alterum, quod initia Ecclesiae describit atque apostolorum praedicationem, Christus apostolis suis undecim promisit virtutem Spiritus Sancti, qua baptizarentur, antequam ipsum opus apostolicum aggrederentur (Act 1, 5 8). Hac deinde virtute roborati, *testes* Christi, eius nimirum et personae et doctrinae et operis, erunt in universo mundo (1, 8) omnibus gentibus, testes igitur auctorizati, non solum quia oculares (cf. 1, 21 sq.), sed etiam quia induti auctoritate mittentis eos, Christi. Hisce Christi verbis munus docendi sibi commissum esse apostolis persuasum erat; nam collegium Duodecim completur atque Matthias in eorum numerum adlegitur eo fine, ut Iudae, proditoris Domini, ministerium (διακονία) accipiat alter (1, 17 25), qui dein, simul cum undecim possit fungi munere testis Christi (cf. n. 291 sq.). *Munus* ergo testis seu *docendi* consideratur ut *institutum a Christo* atque *certis* quibusdam *personis,* apostolis nempe, vel exclusive vel primarie *datum.* Quam interpretationem confirmant omnia, quae in Actibus de apostolorum, maxime Petri et Pauli, praedicatione narrantur. Primam praedicationem Simon Petrus, „stans cum undecim“ (2, 14), populo habuit, tamquam testis resurrectionis et messianitatis Christi:

„Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus" (2, 32). Ad idem testimonium provocat in oratione post sanationem claudi (3, 1 sqq.): miraculum istud non esse nisi glorificationem Iesu Christi, „quem Deus suscitavit a mortuis, cuius nos testes sumus" (3, 15), ut sciat omnis Israel eum esse vere Messiam, lapidem, reprobatum quidem ab aedificantibus, sed factum in caput anguli (4, 11). „Et non est in alio aliquo salus!" (4, 12.) Ab ipso prodiit missio et mandatum praedicandi evangelium salutis; „non enim possumus, quae vidimus et audivimus, non loqui" (4, 20). Et cum iterum apparerent ante tribunal synedrii, aliud verbum defensionis non habent nisi voluntatem Dei: „Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Deus Patrum nostrorum suscitavit Iesum . . .; hunc principem et salvatorem Deus exaltavit . . ., et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi" (5, 29—32). Flagris autem caesi apostoli „non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Iesum" (5, 42); tanta ac talis erat persuasio apostolis insita se esse vocatos ad „testimonium" Iesu Christo ex voluntate Dei, quam eis Christus communicavit (1, 8), reddendum. Eandem autem persuasionem viguisse inter primos christianos apparet vel ex solo verbo, quod refert Lucas, christianos videlicet „perseverasse in *doctrina apostolorum*" (2, 42: cf. n. 398); ipsi enim apostoli erant, qui „virtute magna reddebant testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini Nostri" (4, 33).

651. Similiter a Luca *Pauli munus magisterii* describitur, non solum scilicet vocatio et missio (9, 1 sqq.; cf. 22, 3 sqq.; 26, 9 sqq.; supra n. 296 sqq.), sed etiam *exercitium* muneris. Per ipsum Israelitis (Antiochiae Pisidiae; 13, 14 sqq.) „verbum salutis huius (messianicae) missum est" (13, 26), scilicet Christum, a Iudaeis crucifixum, surrexisse a mortuis atque visum esse multis, „qui usque nunc sunt testes eius ad plebem" (13, 31). „Notum igitur sit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur; ... in hoc omnis qui credit iustificatur" (13, 38 sq.). Hic sermo in plurimis similis est praedicationi Petri primae (2, 14 sqq.), exemplum est instructionis, quae in synagogis Iudaeorum dari solebat; quomodo autem Paulus *opus suum* evangelicum *consideraverit,* discimus ex sermone Mileti habito presbyteris Epheso accersitis (20, 17 sqq.). Paulus testatur se totam veritatem salutis annuntiasse et docuisse tum publice tum singulos seorsum, Iudaeos et gentes, scilicet „in Deum poenitentiam et fidem in Dominum nostrum Iesum Christum" (20, 21). Ita ministerium suum vocationemque suam implevit, a qua neque ipsa pericula, vincula et tribulationes, eum arcere possunt vel poterunt, „dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi, quod accepi a Domino Iesu, testificari evangelium gratiae Dei" (20, 24); *munus* videlicet accepit magisterii, cum apostolatu, quem gerebat, essentialiter coniunctum.

Vere itaque liber inscribitur *Actus* (acta) *apostolorum;* nam licet praeter apostolos alii occurrant praedicatores evangelii Christi, — veluti christiani dispersi, qui primi Antiochiae locuti sunt de Christo (11, 19 sqq.), veluti Stephanus (6, 8 sqq.), et Philippus (8, 4 sqq.) — apostoli tamen, tum collegium Duodecim, tum Paulus et Barnabas (cf. n. 293 sqq.), primarii et proprii magistri habentur, plena auctoritate doctrinali praediti, quam ab ipso Christo acceperunt; alii omnes in communione cum eis eisque subordinati magisterium exercent.

652. 2. Haec apostolorum auctoritas doctrinalis, indoles eius iuridica, character muneris magisterii clarius etiam elucet *ex epistulis Pauli,* qui in omnibus ad munus magisterii sibi divinitus collatum provocat, quod scilicet includitur in vocatione et missione apostolica (n. 302 sqq.). Quoniam autem longum est omnes textus recolere, aliqui, ex primis apostoli epistulis deprompti, speciminis potius quam probationis gratia afferantur, ex priore videlicet epistula ad Thessalonicenses et quidam alii; ceteros in assertionibus sequentibus allegabimus, ita ut conspectus integer quidam sententiae Pauli praebeatur.

Epistula prior ad *Thessalonicenses,* scripta circa annum 50 Corintho, est prima ex eis, quae de manu Pauli nobis servatae sunt, et simul, probabiliter saltem, documentum antiquissimum christianum. Et initio quidem litterarum Paulus loquitur de *verbo Dei,* quod Thessalonicae annuntiaverat (cf. Act. 17, 1 sqq.), *„evangelium nostrum,* non in sermone tantum, sed et in virtute et in Spiritu Sancto et in plenitudine multa, sicut scitis. . . ." (1 Thess. 1, 5); est enim *„verbum* (*Vg:* sermo) *Domini"* (ὁ λόγος τοῦ κυρίου, 1, 8), quod Paulus docuit ut *„evangelium Dei* in multa sollicitudine" (ἀγῶνι, 2, 2), quia Deus ipse dignum eum iudicavit, „ut crederetur nobis evangelium" (2, 4), tamquam Christi apostolo (2, 7). „Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam, cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei (παραλαβόντες λόγον ἀκοῆς παρ' ἡμῶν τοῦ θεοῦ), accepistis illud non ut verbum hominum, sed — sicut est vere — verbum Dei, qui et operatur in vobis, qui creditis" (*Vg:* credidistis; 2, 13).

Cum autem Paulus Thessalonica fugere deberet, antequam instructionem christianorum ad finem perducere posset (Act. 17, 10;

cf. 1 Thess. 2, 14 sqq.), misit Timotheum *„ministrum Dei in evangelio Christi“* (3, 2), qui redux apostolo nuntiavit stabilitatem ecclesiae novae in „fide et caritate“ (3, 6), ita ut non indigeat, nisi ut compleantur, quae desunt fidei (instructioni) christianorum (3, 10: καταρτίσαι τὰ ὑστερήματα τῆς πίστεως ὑμῶν). Id quod praesente epistula ipse praestat Paulus (4, 1 sqq.), imprimis quoad sortem eorum, qui iam mortui erant ante Christi parusiam. Consolatur nimirum eos *„in verbo Domini“* (4, 15), mortuos nullatenus in condicione deteriore esse quam illos, qui videant vivi Christum gloriosum.

Ita Paulus considerat suum *munus* docendi, tamquam divinitus sibi delatum, quod exercet sive verbo sive epistula (5, 27), quod postulat subiectionem et admissionem veritatis praedicatae.

653. Ex aliis epistulis confirmationis gratia aliqua adiungantur, quae ostendant Paulum hanc suam persuasionem semper retinuisse.

In priore epistula *ad Corinthios* Paulus plures quaestiones dirimit, quae ab ipsorum ecclesia sibi erant propositae, sicut de velandis mulieribus in conventu christiano (11, 3 sqq.). Hanc autem decisionem, quae forte non omnibus ecclesiae membris placeret, introduxit captatione aliqua benevolentiae desumpta, ut videri possit, ex ipsa Corinthiorum epistula: „Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis; et sicut *tradidi* (παρέδωκα) vobis, praecepta mea (παραδόσεις) tenetis“ (11, 2). *Traditionem* itaque proponit Paulus, *auctoritative* quidem *ut apostolus* (cf. 1, 1; 9, 1 sqq.; 15, 8 sqq.), scilicet evangelium et verbum Christi: „Ego enim *accepi* a Domino, quod et *tradidi* vobis ...“ (11, 23). Et quemadmodum hoc loco tradit doctrinam de eucharistia, ita paulo post alia summa quaedam eius capita: „Notum autem vobis facio, fratres, evangelium, quod praedicavi vobis, quod et *accepistis* (παρελάβετε), in quo et statis, per quod et salvamini; qua ratione (τίνι λόγῳ) praedicaverim vobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. *Tradidi* (παρέδωκα) enim vobis in primis, quod et *accepi:* quoniam ...“ (15, 1—3). Atque haec est traditio communis, unica, salutifera, *apostolica,* „sive enim ego sive illi (alii apostoli): sic praedicamus, et sic credidistis!“ (15, 11).

Doctrina igitur Christi, evangelium, concredita est *apostolis,* qui Christi *auctoritate* instructi absolutam *submissionem* postulare possunt ab hominibus.

654. *Romanis,* ecclesiae igitur quam Paulus non fundavit, immo tunc temporis (circa annum 56/7, Corinthi degens) ne viderat quidem, eodem modo scribit: „Gratias autem Deo, quod fuistis

servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinae, in quam *traditi* estis“ (εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, 6, 17). Qui „typus doctrinae“ unus est atque idem in tota Ecclesia, christianus et apostolicus. Nam quo modo verbum Dei, evangelium Christi, perveniet ad cognitionem hominum nisi praedicatione? „Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?“ (10, 15). *Missi* autem sunt apostoli Christi.

Idem conceptus magisterii observari potest in *epistulis captivitatis.* „Sicut ergo accepistis Iesum Christum (Christi evangelium) Dominum, in ipso ambulate ... sicut et didicistis.... Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem (παράδοσιν) hominum ..., et non secundum Christum“ (Col. 2, 6—8). — In epistula *ad Hebraeos* principium traditionis simul et successionis clare enuntiatur: „Propterea abundantius oportet observare nos ea, quae audivimus, ne forte pereffluamus (salutem neglegamus, seu iacturam subeamus) ... quae (salus) cum initium accepisset enarrari per Dominum — ab eis, qui audierunt (verba Christi) — in nos (pervenit et quidem) confirmata est ... signis et portentis ... et Spiritus Sancti distributionibus secundum suam voluntatem“ (2, 1—4). Ipse autem Paulus, quomodo „depositum“ (παραθήκην) sibi commissum successione tradat suis discipulis, referunt eius epistulae, quae *pastorales* nominantur (cf. 1 Tim. 6, 20; 2 Tim. 3, 14—4, 8).

655. 3. *Reliqua scripta Novi Testamenti.* — Salutem, quam Christus attulit, *prophetae* V^{is} T^{i} praedixerunt; itaque et ipsi facti sunt *ministri* verbi Dei, quod annuntiaverunt postmodum praedicatores evangelii in virtute Spiritus Sancti (1 Petri 1, 10—12; cf. 1, 25). Inter hos praedicatores fuit ipse *Petrus* (2 Petri 1, 12 sqq.), qui christianis veritatem iam pridem cognitam in memoriam revocat, quamdiu ipse versetur in hac vita (1, 13 sqq.); est etenim testis ocularis et fidus (1, 16 sqq.), idoneus qui aperiat sensum vaticiniorum Scripturae, quae non ab omnibus interpretationem admittit (1, 20 sq.). Sed sicut in V^{o} T^{o} falsi prophetae sibi arrogarunt munus propheticum, ita inter christianos exsurgunt falsi magistri (ψευδοδιδάσκαλοι), a quibus cavere oportet (2, 1 sqq.). Hinc auctor suam epistulam scribit, „ut memores sitis eorum, quae praedixi verborum a sanctis prophetis, et apostolorum vestrorum, praeceptorum Domini et Salvatoris“ (textus graecus ita habet: ut recordemini verborum, quae praedicta sunt a sanctis prophetis, et mandati Domini et Salvatoris [quod vobis cura] apostolorum vestrorum [nuntiatum est]; 3, 2). Quibus verbis *munus apostolicum praedicationis* evangelicae clare continetur.

Brevius idem exprimit *Iudas* in epistula, quam ex simili occasione scribit, nimirum contra errores aliquos grassantes: „... necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditae sanctis fidei" (3), i. e. quam firmissime tenere, immo luctari contra haereticos, ut integra maneat traditio, quae semel, in perpetuum nempe mansura, sanctis est data.

656. *Ioannes* vero in epistula sua prima provocat ad testimonium immediatum, quod dare valeat ut comes Christi (1 Io. 1, 1 sqq.), et ad missionem, quam a Christo accepit: „Et haec est annuntiatio, quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis: „Quoniam Deus lux est ..." (1, 5). Munere porro doctrinali etiam hac sua epistula fungi intendit; nam ex ipsis christianis prodierunt errores (2, 18 sq.), a quibus ut fideles caveant, monet Ioannes; nam licet christiani „unctionem" habeant a Spiritu Sancto (2, 20), quae eos doceat (2, 27), tamen indigent directione et monitione, ut „quod audistis ab initio, in vobis permaneat" (2, 24), neve ingrediantur vias illorum, qui, errores de Christo sectantes et spargentes, „antichristi" facti sunt (2, 18 sq.). Ad internam illam unctionem et illuminationem Spiritus Sancti accedat oportet *externa auctoritas apostolica,* quae spiritus discernere possit. Principium igitur practicum, quod sequi debent, est hoc: „Omnis, qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet; qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet" (2 Io. 9). Illud „recedere" (προάγειν, ultra limites procedere) connotat doctrinam certam et fixam, scilicet apostolicam. Cui opponitur doctrina eorum, „qui se dicunt apostolos esse et non sunt" (Apoc. 2, 2), sicut „doctrina Nicolaitarum" (2, 15) et illa, quae Thyatirae proferebatur (2, 24). „Angelus" ecclesiae sardensis monetur, ut in mente habeat, „qualiter acceperis (εἴληφας) et audieris, et serva..." (3, 3).

Tunc temporis principium *traditionis* et *successionis,* doctrina porro *christiana ut apostolica* plene agnita erant, ut ex conspectu testium ilico elucet.

III. De testimonio aetatis postapostolicae.

657. Apostolorum condicio certe quoad aliqua erat singularis et extraordinaria; sed *munus apostolicum* ut tale, scilicet opus Christi continuandum, transiit ad eorum successores (cf. *Ass. 19,* n. 464; 472 sqq.). Et cum intra munus apostolicum contineatur *magisterium,* praedicatio revelationis Christi, ex hac sola iam consideratione constat munus magisterii in Ecclesia *non exspirasse cum morte apostolorum.* Confirmatur autem haec veritas

ex testimonio diserto aetatis postapostolicae (de cuius indole supra n. 428 sq.). Sicut enim Paulus discipulis suis, Timotheo et Tito, munus magisterii authentici commisit, ita post mortem apostolorum viri ab ipsis edocti et instituti eorum locum tamquam eorum successores obtinent atque praeter cetera etiam magisterium exercent.

658. 1. *Fontes* quidem, qui nos de hoc exercitio certiores reddunt, non sunt numerosi; sed quotquot servati exsistunt, omnes sive virtualiter sive formaliter et diserte asserunt exsistere in Ecclesia munus magisterii, quod ut apostolicum derivatur ab ipso Christo. Documenta ista apte *dividi* possunt in ea, quae prodierunt potius *ex cura pastorali,* et alia, quae provocata sunt *impugnationibus* doctrinae christianae et ipsius Ecclesiae. Ad priora pertinent e. g. *Clementis* ad Corinthios, *Barnabae* quae dicitur, *Ignatii, Polycarpi* epistulae atque etiam *Didache;* et haec quidem scripta parcius de magisterio loquuntur. Altera vero classis iterum subdividitur; sunt scilicet libri, quorum finis est defensio religionis et Ecclesiae christianae contra impugnatores externos, Iudaeos et ethnicos; qui vocantur *apologiae.* Alii autem auctores *polemice* contra innovatores, qui ex sinu Ecclesiae prodierunt — „ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis" (1 Io. 2, 19) — sese verterunt, ut fideles servarent ab erroribus vel discidiis et schismatibus. Ipsi iam apostoli schismata (*Paulus* Corinthi) et haereses (*Paulus* iudaizantium, *Ioannes* doketismum, uterque forte iam speciem aliquam gnoseos) reprimere debuerunt; saeculo autem II haereses pullularunt, inter quas eminent montanismus et varia systemata gnostica. *Montanismus* (cf. n. 379; 438), provocans ad „novam prophetiam" Spiritus Sancti (Paracleti), reiecit *magisterium* et *apostolicum,* utpote ignarum huius novae revelationis, et *ecclesiasticum,* utpote mere traditionale. Contra hunc errorem magistri ecclesiastici propugnant auctoritatem omnimodam doctrinalem apostolorum, quae transierit ad Ecclesiam eiusque magisterium. Idem magisterium unice authenticum esse dicitur contra *gnosticos,* qui praetendebant profundiorem intellegentiam doctrinae Christi se habere, ideoque auctoritatem Ecclesiae respuerunt. Itaque in disputationibus cum hisce haeresibus excolebatur, iam saeculo II, idea *traditionis* et *successionis* (cf. n. 478), idea nimirum perfectae *unitatis* in Ecclesia per auctoritatem eius religiosam et doctrinalem.

Quibus praemissis iam ad singula documenta explicanda veniamus.

659. 2. *Conspectus testium.* — *Clemens* Romanus non solum ipse auctoritative docet (cf. n. 514), sed etiam diserte principium

successionis evolvit (cf. n. 469 sq.): „Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo; Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo, et apostoli a Christo... (qui) constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant" (42, 1 2 4; *K* 12). Ipsi „deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent" (44, 2; *K* 13).

Didache seu *doctrina (duodecim) apostolorum* non solum hoc suo nomine sed etiam vetustate est testimonium tum auctoritatis apostolicae doctrinalis tum principii *traditionis* in Ecclesia vigentis. Ministerium porro magisterii diserte commemoratur et commendatur, ut quam primum in ecclesia instituatur. Praeter nimirum apostolos et prophetas, de civitate in civitatem migrantes (c. 11; *K* 4), stabiles sunto in ecclesia episcopi et diaconi, qui adimpleant *ministerium* prophetarum et doctorum i. e. magisterii. Licet autem de modo, quo hi magistri instituantur, non disseratur (cf. n. 474), ipsum munus tamen universale in Ecclesia fuisse elucet.

Ignatio Antiocheno *doctrina Christi* est unica, ultimum criterium ad dirimendas controversias est Χριστομαθία (ad Philad. 8, 2), archivum totius salutis est ipse Christus (cf. ad Eph. 17, 2: λαβόντες θεοῦ γνῶσιν, ὅ ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός). Doctrina autem Christi est eadem, quam *apostoli* praedicabant, apostolica igitur; hinc Ignatius monet Magnesios: „Studete igitur confirmari in doctrinis (ἐν τοῖς δόγμασιν) Domini et apostolorum" (13, 1), quorum auctoritas summa est atque adeo absoluta, tum tempore apostolico (cf. ad Eph. 11, 2), tum pro ipso Ignatio; nam iis se comparari nullo modo contendit (ad Eph. 12; cf. 3, 1; ad Trall. 3, 3; ad Rom. 4, 3). Nihilominus auctoritas apostolorum, doctrinalis nempe, transiit ad singularum ecclesiarum *episcopos*, quibus se fideles uniant et submittant, ut praeserventur ab errore; nam sicut „Iesus Christus ... sententia (verbum) Patris est, (ita) et episcopi, (licet) usque ad finem terrae statuti (et dispersi), in sententia Iesu Christi sunt" (ad Eph. 3, 2), ita ut, qui ipsis adhaeret, deviare a veritate nequeat; locum enim Iesu Christi tenent, missi scilicet ab ipso Christo tamquam a patrefamilias (6, 1). Hinc in epistula ad Trallianos simul nominat Christum, et episcopum, et apostolos: „A talibus (haereticis) igitur vos custodite. Hoc autem fiet, si nec inflati nec avulsi fueritis a Deo Iesu Christo et episcopo et praeceptis apostolorum" (7, 1; cf. ad Philad. 7, 1). Hinc est quod Ecclesia gaudet charismate indefectibilitatis, virtute scilicet Christi, qui „in capite suo accepit unguentum, ut Ecclesiae spiret incorruptionem" (ad Eph. 17, 1).

Ignatius ergo, coaetaneus Ioannis apostoli, clare testatur in Ecclesia fuisse magisterium, vi institutionis Christi, hinc authenticum atque adeo infallibile (cf. n. 467 sq. 472 693).

Polycarpus, episcopus smyrnaeus, quem Ignatius in itinere suo romano Smyrnae vidit, discipulus apostolorum (*Irenaeus*, Adv. haer. 3, 3, 4; *R* 212), agnoscit auctoritatem omnimodam apostolorum, sicut Pauli (ad. Phil. 3, 2; cf. 11, 2 sq.), quorum doctrina nimirum est eadem ac ipsius Christi (6, 3), tradita ab initio (7, 2); haec traditio est norma veritatis. Ubinam haec traditio inveniatur, Polycarpus non diserte dicit; sed hoc ex condicione Polycarpi apparet, quem ipsi ethnici et Iudaei norunt ut „Asiae praeceptorem et christianorum patrem" (Martyr. Polycarpi 12, 2).

660. Quibus testimoniis pervenimus ad secundum fere decennium saeculi II; eodem autem tempore primae iam *apologiae* vel earum praecursores apparent, sicut fragmentum illud, a *Clemente* Alexandrino servatum, quod inscribitur *praedicatio (kerygma) Petri* (cf. n. 431; 515). In quo elucet persuasio christianorum ineuntis saeculi II doctrinam christianam et *apostolicam* esse eandem: „Vos (ait Christus apostolis suis), quos fideles apostolos esse duxi, mitto in mundum, annuntiare evangelium hominibus (totius) oecumenae ... ut audientes et credentes salventur...." (*Clem. Al.* Strom. 6, 6, 48). Apostoli vero, vel potius Petrus, monent auditores suos, ut „sancte et iuste discatis, quae tradidimus vobis, eaque custodiatis, novo modo colentes Deum, per Christum nempe" (6, 5, 41). Principium illud *traditionis*, tam clare pronuntiatum, quomodo eodem tempore adhibebatur, ostendit *Papias* Hierapolitanus, Ioannis auditor et sodalis Polycarpi, sicut testatur *Eusebius* (Hist. eccl. 3, 39, 1; *K* 45), qui scilicet interrogabat eos, „qui verum docerent ... qui Domini mandata fidei tradita et ab ipsa veritate profecta memorabant"; hinc adire solebat vel ipsos discipulos Domini, vel eorum comites et coaetaneos (*Eus.* l. c. 3, 39, 3 sq.; *K* 46). Ipsa igitur documenta christiana, evangelia, quae describit (Matth., Marc., Io.), traditionem non superfluam reddiderunt; ex duplice enim fonte dimanant veritates christianae. Eodem modo *Iustinus* novit non sola „memorabilia apostolorum", quae vocantur evangelia (Apol. I 66; *K* 55; et saepius), sed etiam traditionem, ad quam provocat (e. g. Apol. I 6)[2].

661. Eodem tempore, in *controversiis nempe cum haereticis* praesertim gnosticis, *idea unitatis* evehebatur et evolvebatur in argumentum peremptorium religionis et doctrinae christianae. Unitas autem *duplex* intellegitur. Et primum quidem *unitas* (extensive)

universalis (seu consensus), qua omnes christiani (orthodoxi) omnesque ecclesiae (cum suis episcopis; cf. n. 458 sqq.) in *unam Ecclesiam catholicam* uniebantur. Haec unitas, a Christo instituta (*Ass. 8,* n. 205 sqq.; *Ass. 14,* n. 362 sqq.; *Ass. 15,* n. 378 sqq.), a Paulo praedicata (*Ass. 16,* n. 396 sqq.), tamquam idea praedilecta recurrit in scriptis Patrum apostolicorum, ut e. g. *Ignatii,* qui postulat unitatem ecclesiae particularis in episcopo: „Studeatis ... una eucharistia uti; una est enim caro Domini nostri Iesu Christi et unus calix ..., unum altare, sicut unus episcopus ..." (ad Philad. 4; *K* 19). Omnes autem episcopi, licet dissiti, tamen in sententia Christi inter se uniti, cum suis ecclesiis constituunt Ecclesiam „catholicam": „Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum, ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica est Ecclesia (ad Smyn. 8, 3; *K* 21).

Altera vero forma unitatis est *unitas originis et continuitatis,* qua nimirum religio christiana eiusque *forma socialis* (Ecclesia) et *doctrina* eadem mansisse ostenditur inde ab auctore Iesu Christo. Et doctrina quidem Christi, quae tamquam depositum (παραθήκη) curae Ecclesiae fideique commissa est, ope *traditionis* (παράδοσις) integra semper et illibata servatur; forma vero socialis Ecclesiae eiusque constitutio simul cum deposito fidei atque munere magisterii *successione* (διαδοχή) in tuto ponitur, qua nimirum ipsa munera totaque hierarchia viva et efficacia permanent (cf. n. 478). Utraque, traditio nempe et successio, est *apostolica* (cf. n. 464), quia apostolis primo et immediate a Christo doctrina commissa et munera delata sunt. Nulla igitur doctrina potest esse christiana (i. e. a Christo revelata et praedicata), nisi fuerit apostolica; nulla auctoritas in Ecclesia valet, nisi ab iisdem apostolis, sive directe (successione directa muneris) sive indirecte (institutione apostolica vel vi apostolicae potestatis), derivetur.

Ex conspiratione dein utriusque formae unitatis, extensivae seu catholicae, et temporalis seu successione, evadit argumentum, quo iam saeculo II veritas doctrinae alicuius disputatae absolute probatur omnisque controversia dirimitur. Illa scilicet doctrina est *christiana,* quae ut *apostolica* in *traditione* Ecclesiae servatur; haec iam traditio cognoscitur *ex consensu ecclesiarum* inter se, quo unitas apparet. Cum autem haec eadem unitas etiam habeatur in coniunctione cum principio unitatis, scilicet cum *ecclesia romana* eiusque episcopo tamquam totius Ecclesiae primate, hinc argumentum aliquod abbreviatum et compendiarium, at non minus certum, exstat in consensu cum ista ecclesia romana.

Et haec quidem adumbrasse interim satis sit; singula autem documenta argumentum delineatum ulterius exponent.

662. *Clementem* Romanum et *Papiam* ad traditionem et successionem recurrere superius ostensum est (n. 659 sq.); quibus selecta quaedam exempla addere liceat.

Quinam valor attributus sit *successionis argumento,* elucet ex *catalogis episcoporum,* utpote successorum apostolorum (cf. n. 452 sqq.; 465 sq.). *Hegesippus,* ex partibus Orientis Romam proficiscens, teste *Eusebio* (Hist. eccl. 4, 22, 1) plurimos episcopos adiit, inter quos erant corinthiacus, Primus nomine, et romanus. Et Romae quidem catalogum fecit episcoporum (successionem, διαδοχήν); „in singulis autem episcoporum successionibus et per singulas urbes eadem manent, quae per legem ac prophetas et a Domino ipso praedicata sunt" (apud *Eus.,* Hist. eccl. 4, 22, 3; *K* 70; cf. de eius testimonio n. 466; 500).

Itinera porro *romana* frequentia multorum christianorum (cf. n. 520 sq.) facta sunt ad exquirendum consensum Ecclesiae; praeter *Hegesippum,* modo laudatum, nominari possunt *Polycarpus* (apud. *Eus.,* Hist. eccl. 5, 24, 16; *K* 100), *Iustinus* (*Eus.* l. c. 4, 11, 11, acta Iustini 3, 3; ed. *Otto* III 270 sq.), *Abercius* (in eiusdem epitaphio; *K* 155), *Origenes* (*Eus.* l. c. 6, 14, 10), alii.

Huc porro spectant *commercium epistularum* ecclesiarum inter se ac praecipue cum ecclesia romana (cf. n. 519) et *divulgatio librorum* christianorum, non solum sacrorum sed etiam aliorum auctorum, imprimis episcoporum, ut *Clementis* Romani ad Corinthios, *Ignatii, Dionysii* Corinthiaci, qui conqueritur de haereticis interpolationibus suarum epistularum (*Eus.,* Hist. eccl 4, 23, 12).

Usu deinde venit argumentum *ad dirimendas quaestiones,* quae movebantur vel intra Ecclesiam vel cum haereticis. Ita provocat Polycrates, episcopus ephesinus, in controversia de paschate celebrando et ad traditionem apostolicam (testimonium videlicet Philippi, Ioannis, Polycarpi, aliorum) et ad successionem (septem ex cognatis suis ante eum fuisse episcopos) et ad consensum Ecclesiae (se cum fratribus ex toto orbe venientibus saepe sermones contulisse; *Eus.* l. c. 5, 24, 2 sqq.; *K* 92 sqq.).

663. Eadem via incedunt episcopi, qui dimicant contra novam prophetiam *Montani.* Ipsi quidem montanistae construxerunt successionem quandam ad probandam suam doctrinam, non quidem hierarchiae sed prophetiae. Agabus scilicet, Iudas, Silas, filiae Philippi, Ammias, Quadratus numerantur ut praedecessores prophetissarum Priscillae et Maximillae, „quae *successerunt* in gratiam prophetiae" (apud *Eus.* l. c. 5, 17, 3 sq.). Tantopere tunc temporis persuasio doctrinam Christi esse apostolicam, successione tradendam, in omnium mentes invaserat. Catholici autem impug-

natores montanismi eum arguunt novitatis; doctrinam Montani esse diversam ab his, „quae ex successione maiorum Ecclesiae tradita fuerant" (Rufinus sec. *Eus.* l. c. 5, 16, 7; *CB*, ed. *Mommsen* II 463; παρὰ τὸ κατὰ παράδοσιν καὶ κατὰ διαδοχήν), contra sensum, immo in contumeliam et blasphemiam Ecclesiae catholicae (5, 16, 9). Hinc Montani asseclae ex Ecclesia expulsi sunt; episcopi vero catholici convincebant prophetissas spiritus mendacis, licet ob resistentiam asseclarum non potuerint ad finem pervenire (5, 16, 17). Postea *Serapion*, episcopus antiochenus (190—211), de haeresi Montani haec scribit ad *Caricum* et *Ponticum*: „Ut autem hoc quoque sciatis, scilicet virtutem (ἐνέργεια) huius systematis fallacis, quod vocatur nova prophetia, refutari a *tota fraternitate*, quae in mundo est, misi vobis litteras *Claudii Apollinarii*, qui fuit beatissimus episcopus Hierapoli Asiae", cui epistulae Serapionis adiectae erant subscriptiones aliorum episcoporum, quibus scilicet unitas Ecclesiae, reicientis Montani errorem, appareat (*Eus.* l. c. 5, 19, 2 sq.).

Idem Serapion scripsit librum *De evangelio quod Petri dicitur*, ex quo Eusebius aliqua affert: „Nam nos quidem, fratres, recipimus et Petrum et alios apostolos ut Christum; pseudepigrapha autem, sub eorum nomine vulgata, ut periti repudiamus, scientes nos talia non accepisse" (οὐ παρελάβομεν; *Eus.* l. c. 6, 12, 3). Hoc evangelium esse in usu apud illos, qui sint *„successores"* doketarum (6, 12, 6)[3].

664. Egregie deinde et systematice hoc argumentum adhibent *Irenaeus* et *Tertullianus*.

Et *Irenaeus* quidem breviter et lucide ideam fundamentalem eius complectitur in opusculo *Demonstratio apostolicae praedicationis*[4]: „Haec est, dilecte, praedicatio veritatis, et hic est modus redemptionis nostrae, et haec est via vitae, quam annuntiaverunt prophetae et confirmavit *Christus* et *apostoli* commendaverunt et *Ecclesia* in toto mundo tradit filiis suis. Quam oportet omni sinceritate custodire sana voluntate et placendo Deo operibus bonis et sana voluntate morum" (c. 98). Idem in opere maiore *Adv. haereses* ita exprimit: „. . . sola vera et salvifica fide, quam ab apostolis Ecclesia percepit et distribuit filiis suis. Etenim Dominus omnium dedit apostolis suis potestatem evangelii, per quos et veritatem, hoc est Dei filii doctrinam, cognovimus, quibus et dixit Dominus: Qui vos audit . . ." (lib. 3, Praef.). *Christus* igitur, auctor religionis et revelationis, integram commisit suis *apostolis*, qui eandem vicissim tradiderunt *Ecclesiae*, in qua inveniri potest ab omnibus, „qui vera velint videre; (nam) et habemus annumerare

eos, qui ab apostolis instituti sunt *episcopi* et successores eorum usque ad nos" (3, 3, 1; *K* 124). His itaque episcopis ut successoribus suis „suum ipsorum *locum magisterii*" tradiderunt (l. c.). Ex eorum igitur *consensu* veritas cognoscitur, quam videlicet Ecclesia „quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter . . . praedicat et docet et tradit, quasi unum possidens os" (1, 10, 2; *K* 104), cuius vox clarissime resonat in una *ecclesia romana*, propter eius potentiorem principalitatem (3, 3, 2; *K* 125; cf. n. 754 sq.). Inde Irenaeus Ecclesiam eiusque magisterium ita valet describere: „Agnitio *(gnosis)* vera est apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiae status in universo mundo . . . et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam quae in unoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt; quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum scripturas expositio legitima et diligens, et sine periculo et sine blasphemia; et praecipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quam agnitio (gnosis), gloriosius autem quam prophetia, omnibus autem reliquis charismatibus supereminentius" (4, 33, 8: *R* 242).

Christus — apostoli — episcopi Ecclesiae catholicae, traditio et successio et unitas, haec sunt elementa argumenti, quo *Irenaeus* errores gnosticos, longe periculosissimos istius temporis, refutat, certus cum sit non solos catholicos sed etiam haereticos ea ut legitima agnoscere, licet male applicent et falsa ex iis deducant.

665. *Tertullianus* idem argumentum, forma potius iuridica, proponit in libro qui inscribitur *De praescriptione haereticorum* (ex anno circiter 200). Considerat videlicet haereticos tamquam accusatores, qui Ecclesiam catholicam in iudicium adducunt de thesauro doctrinae Christi. Contra quos Tertullianus „exceptione" sua ante omnem actionem iuridicam vindicat catholicis ius possessionis, praescriptione nempe longi temporis acquisitum, immo possessionis inde ab initio religionis christianae, ab ipso Christo.

A *Christo* nimirum tota veritas provenit. „Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post evangelium. . . . Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus" (7; *R* 288). Cuius rei *„apostolos* Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt" (6). Haec autem Christi institutio continetur in „regula fidei", brevi scilicet compendio veritatis christianae (13; *K* 188; *R* 290).

Apostoli deinde „primo per Iudaeam contestata fide in Iesum Christum et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt et proinde *ecclesias* . . . condiderunt, a quibus traducem fidei . . . ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt . . . ut soboles apostolicarum ecclesiarum. . . . Itaque tot ac tantae ecclesiae *una* est illa, *ab apostolis prima,* ex qua omnes" (20; *K* 191; *R* 292). „Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis . . . conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. . . . Communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis" (21; R 293).

Hic autem *consensus* ecclesiarum est *infallibilis* veritatis; nam fieri non potest, ut omnes ecclesias dereliquerit Spiritus Sanctus, „ad hoc missus a Christo (ut Ecclesiam in veritatem deduceret), ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens ecclesias aliter interim intellegere, aliter credere, quam ipse per apostolos praedicabat: ecquid verisimile est, ut tot ac tantae in unam fidem erraverint?" (28; *R* 295.)

Criterium igitur unice sufficiens secundum Tertullianum idem est atque secundum auctores praecedentes. Quicumque velint probare veritatem doctrinae, „edant ergo *origines ecclesiarum* suarum; evolvant ordinem *episcoporum* suorum, ita per *successiones* ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem; hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt . . ." (32; *K* 192; *R* 296). Hae ecclesiae omnes atque aliae, quae postmodum institutae sunt quidem, sed „in eadem fide conspirantes . . . pro consanguinitate doctrinae" apostolicae deputantur, unam efficiunt Ecclesiam, unam sequuntur veritatem, traditam scilicet ab apostolis.

Traditio et successio, unitas et consensus, atque *ecclesia romana,* „cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt" (36; *K* 194; *R* 297), omnia pertinent Ecclesiae catholicae. Hinc Tertullianus: „Mea est possessio. Olim possideo. Habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum heres apostolorum" (37; *R* 298)[5]. —

666. Quibus expositis patet tempore Tertulliani, exeunte igitur saeculo II, argumentum traditionis plene evolutum, i. e. magisterium Ecclesiae ut munus agnitum fuisse. Illud etiam ex dictis elucet, quinam fuerint qui hoc munere fungerentur; sed de hac quaestione proprie in capite secundo agendum erit. Hoc vero loco aliqui textus adiciantur ex auctoribus vel aequalibus vel tempore subsequentibus. *Clemens* Alexandrinus novit „canonem ecclesiasticum" (e. g. *Strom.* 1, 19; *MSG* VIII, 813; 7, 16; ibid. IX, 545; 6, 15; ibid. IX, 349) et consensum ecclesiasticum, quo consonant inter se prophetae, apostoli, evangelium (*Protrept.* 10; *MSG* VIII, 213; *Paed.* 3, 11; ibid. VIII, 656; *Strom.* 6, 6; ibid. IX, 273; 7, 10; ibid. IX, 481 [*R* 433]; 7, 16; ibid. IX, 532 544 sq.)[6]. — *Origenes* (*De principiis* l. 1, praef. 2; *R* 443) monet, ut servetur „ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem et apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanens; illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica traditione discordat". Idem in apologia *contra Celsum* habita defendit principium traditionis et necessitatem magisterii, explicans sensum verum illius effati, quod christianis adscribebant: „Noli inquirere, crede potius! Fides tua te servabit! Mala est huius mundi sapientia, bona autem stultitia" (1, 9; *R* 513). Obtinent autem magisterium imprimis episcopi, simul tamen cum presbyteris; principibus Ecclesiae competit iudicium doctrinale (*In Num. homil.* 9, 1; *MSG* XII, 624; cf. n. 477)[7].

Et haec quidem de magisterii ecclesiastici exsistentia satis dicta sint; una nimirum atque universalis simul et constans est persuasio temporis primaevi apostolici et aetatis posterioris: Christum doctrinam suam credidisse apostolis ut magistris hominum, qui deinceps, alios in suum locum sufficientes, munus sibi delatum successione traderent Ecclesiae in omnem posteritatem. Hos successores — episcopos nempe — adfuisse in Ecclesia omnes christiani persuasum habebant, ita quidem ut ex eorum solo consensu argumentum veritatis christianae effici possit.

Scholion. De conceptu traditionis.

Inde a primis temporibus religionis christianae vox *traditionis* occurrit, non minus in libris sacris N^i T^i quam in documentis aetatis postapostolicae, et semper quidem ad designandum vel doctrinam christianam vel exercitium magisterii Ecclesiae vel eius essentialem indolem. Hinc non est quod miremur, si ipse postmodum tractatus de magisterio Ecclesiae hoc insignitur nomine: *De traditione* nimirum. Pronum igitur est, ut de conceptu traditionis eiusque relatione ad magisterium pauca quaedam disseramus. Procedimus in hac inquisitione ita, ut primo agamus de voce et conceptu traditionis, prout in usu et excultus erat ante christianos et apud ipsos christianos; deinde vero in conceptum traditionis religiosae doctrinalis amplius inquiramus.

1. De voce et usu traditionis.

667. a) *Traditio* sensu latissimo est actus, quo quis alii rem aliquam tradit (trans-dat), ita ut transitu res in aliam manum perveniat. Saepe autem simul connotatur condicio quaedam

adiecta, scilicet, ut res integra servetur vel finis rei certo obtineatur. Hoc sensu artiore traduntur mores, doctrinae, facta historica, opera litteraria, alia, quae deinde ipsa traditio (sensu *passivo* et *obiectivo*) vocantur.

b) Ex *obiecto* tradito *distinguuntur* deinde variae species traditionis: et *historica*[8] quidem tradit facta historica; *philosophica* vero doctrinas (placita, δόξαι) philosophorum, theoremata quaedam fundamentalia alicuius scholae philosophicae ut academiae, peripateticae[9]; *religiosa* denique, quae tradit doctrinas vel ritus religiosos. De his ultimis speciatim agendum est in quaestione nobis praeiacente, de traditionibus scilicet christianis.

c) Dubitari potest, num exsistat ulla historica religio, quae omnino careat sacra traditione. Excoluerant traditionem imprimis *Iudaei,* qua nimirum conservarent et tuerentur quidquid ad revelationem sibi factam pertineret; traditio enim est fructus quasi naturalis persuasionis religionem aliquam esse originis altioris et divinae. Inde exortum est ius iudaicum sacrum, *halakha* quod vocatur, ius nempe traditionale[10].

Simile quid in religionibus *ethnicis* observari licet. Ius *romanum,* ut hoc unum exemplum afferam, initio erat sacrale; legisperiti erant pontifices, prius iuris sacri (quod *fas* nominatur), deinde iuris profani (quod proprie *ius* vocatur). Utriusque iuris normae asservabantur in *archivis* (ἀρχεῖον, δημόσιον, τὰ δημόσια γράμματα, τὸ δημόσιον τεῦχος), quae *monumenta publica* vel *commentarios* pontificum, e. g. acta Fratrum Arvalium, et ritualia, ad cultum ac praesertim sacrificia rite peragenda, continebant, formulas invocationum, *indigitamenta, carmina.* Quas formulas ad amussim sequi necesse erat, sub poena nullitatis et inefficaciae. Inde factum est ut iam tempore Augusti carmina recitarentur (e. g. Fratrum Arvalium) et caeremoniae adhiberentur, quorum sensus non iam intellegebatur, nec ab ipsis pontificibus. Ratio erat fidelitas in tradendis ritibus antiquis[11].

668. d) In documentis *christianis* vox et conceptus traditionis (παραδιδόναι et correspondens παραλαμβάνειν) occurrunt et de traditionibus *Iudaeorum* (e. g. Matth. 15, 2 sqq.; Marc. 7, 3 sqq.; Act. 6, 14; Gal. 1, 14: Paulus secutus erat „traditiones paternas") et de traditionibus *„hominum"*, quae continent falsam philosophiam (Col. 2, 8), et de traditionibus religionis *christianae.* Ita *Lucas* in suo evangelio, similiter alii ante ipsum, intendit colligere et enarrare, quae *„tradiderunt* nobis, qui ab initio ipsi viderunt" (Luc. 1, 2). Imprimis autem *Paulus* apostolus hac voce utitur, inde quidem a prima epistula, quam scripsit Thessalonicensibus

(2, 13; 4, 1; cf. 2 Thess. 2, 15; 3, 6; Gal. 1, 9 12; 1 Cor. 11, 2 23; 15, 1 sqq.; Rom. 6, 17; Col. 2, 6; cf. 4, 17; Phil. 4, 9); accedit Iud. 3. *Ratio* autem, cur religio christiana sit traditionalis, est secundum Paulum eius *indoles* supernaturalis et *revelata:* „Ego enim accepi a Domino . . ." ait Paulus (1 Cor. 11, 23), et quidem „per revelationem Iesu Christi" (Gal. 1, 12); hanc Christi doctrinam tradit christianis: „Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi..." (1 Cor. 15, 3). Atque deinceps omnes magistri ecclesiastici dixerunt idipsum, eo solo discrimine ut decurrente tempore inter ipsos et Christum, auctorem revelationis et religionis, testes intermedii intersererentur, primum apostoli, dein apostolici, dein alii, e quibus ut legitimi et authentici eminent *episcopi.* Et haec quidem in ipsa assertione demonstrata sunt.

Nostrum vero in hoc scholio potius est, praesupposita veritate historica, inquirere in ipsum *conceptum* traditionis, qualis in Ecclesia semper viguit.

2. De conceptu traditionis eiusque relatione ad magisterium ecclesiasticum.

669. Ex dictis patet traditionem intellegi aliam *activam* et subiectivam, aliam *passivam* et obiectivam; in rerum natura utraque simul habetur, nam nequit esse actus tradendi, nisi sit quod tradatur. Haec traditio utramque complectens formam a *Franzelin*[12] vocatur *complexa.* Porro inquisitio haec iam restringitur ad traditionem *christianam,* i. e. (1) quae viget et qua viget *religio a Christo instituta;* (2) *doctrinalem,* qua nimirum revelatio christiana de generatione in generationem diffunditur et propagatur; (3) *dogmaticam (Dunin-Borkowsky),* i. e. *authenticam,* qua doctrina christiana auctoritative proponitur ab omnibus hominibus admittenda. Ipsam traditionem comparare debemus cum magisterio ecclesiastico, i. e. cum illo munere, quod secundum assertionem nostram Christus suae Ecclesiae commisit.

Quaestio ita posita facile solvi posse videtur. Nam si traditio sensu complexo includit et doctrinam traditam et actum tradendi, eo ipso etiam supponit personam tradentem; si deinde traditio intellegitur dogmatica et authentica, haec persona tradens praedita sit auctoritate doctrinali, ab ipso Christo sibi commissa, oportet. Ergo *traditio ecclesiastica* est (proxime actus, dein in concreto) illa persona, sive physica sive moralis, quae et quatenus auctoritate Christi doctrinam Christi annuntiat, cui proinde Christus munus magisterii sui contulit. Idem elucet ex consideratione magisterii Ecclesiae ut essentialiter traditionalis, quatenus debet docere doctrinam a Christo sibi commissam et traditam;

nam tale munus docendi in concreto est ipsa traditio, veritatis nempe, quam ut depositum fideliter custodiendum servare et communicare debet.

670. Quae cum ita sint, ulterius sequi videtur vi huius indolis traditionalis *totam semper* atque integram *doctrinam Christi contineri in* hac *traditione* seu *in magisterio Ecclesiae* eiusque exercitio, quod aptissime vocatur „praedicatio perennis evangelii (*Pesch,* Prael. dogm. I, n. 561). Si scilicet verum sit Christum totam suam doctrinam apostolis tradidisse praedicandam, si porro magisterium apostolorum est perenne, permanens nimirum in munere doctrinali Ecclesiae, fieri nequit quin etiam ipsa doctrina tradenda et docenda eadem fuerit et apostolis et magisterio ecclesiastico, i. e. tota et integra Christi revelatio. Ex hac iam sola consideratione quaestio quaedam fundamentalis *de fontibus* huius magisterii ecclesiastici peremptorie solvitur: magisterium scilicet ecclesiasticum, utpote vivum et authenticum, utpote dogmaticum et traditionale, *sibi ipsi est fons,* quatenus in sua praedicatione totam semper doctrinam Christi hominibus tradit; ipsa scilicet eius praedicatio perennis, si obiective spectatur, est doctrina Christi. Magisterium proinde Ecclesiae est *tribunal doctrinale definitivum* quoad doctrinam Christi, sive agitur de *ambitu* revelationis christianae, utrum aliqua veritas ad depositum fidei pertineat necne, sive de *sensu* singularum veritatum. Quibus expositis etiam relatio, quae intercedit inter magisterium (traditionem) et *fontes scriptos,* determinata est, saltem in genere; nequit scilicet esse ullus fons scriptus, qui non aliquo modo subsit magisterio ecclesiastico. Sed haec relatio, cum alia sit relate ad alios fontes scriptos, seorsum consideranda est et perpendenda [13].

3. *De relatione magisterii (traditionis) ad libros scriptos.*

671. Duo etenim oportet *distingui* genera scripturarum: alterum, quod *sacrum* vocatur, quia nimirum est verbum Dei scriptum, in libris duarum collectionum *Veteris* et *Novi Testamenti;* alterum vero librorum originis *humanae,* qui continent revelationem divinam, vel partim vel integram, vel unice vel simul cum aliis veritatibus atque etiam forte erroribus. Ad quod genus pertinent omnia scripta, quae quocumque modo de religione christiana agunt, imprimis autem illa, quae certa quadam ratione cohaerent cum magisterio Ecclesiae, ut e. g. scripta Patrum qui vocantur vel Doctorum Ecclesiae. Quidnam de his censendum, quaenam relatio ad magisterium statuenda sit, videamus.

a) Relatio magisterii (traditionis) ad Sacram Scripturam.

672. *Supponimus* in hac disquisitione *esse libros sacros,* i. e. a Deo inspiratos atque Ecclesiae ad usum publicum destinatos et traditos. Hoc factum probandum est seorsum ab hoc tractatu. Loquimur igitur interim in hypothesi. Haec iam Scriptura Sacra constat duabus ex collectionibus; et altera quidem primitus data erat *populo Israel* tamquam fons revelationis ipsi factae et instrumentum foederis, quod Iahve cum eo condiderat. Et foedus quidem vetus, praeparatorium et praefigurativum, institutione N^i^ T^i^ in sanguine Christi abrogatum est (cf. *Ass. 7,* n. 167 sqq.); libri autem sacri, non quidem ut documenta iuridica religionis mosaicae quae adhuc valeat, sed ut verbum Dei, a Christo agniti (cf. n. 180) et Ecclesiae suae traditi, ab apostolis inde ab initio ut fontes probationis adhibiti (cf. Act. 2, 15 sqq.; 7; 13, 14 sqq.; 17, 11), ab ipsa Ecclesia in canonem librorum sacrorum recepti sunt (cf. Trid. sess. IV, *D* 784).

Librorum vero *N^i^ T^i^* non est eadem ac Veteris condicio; nam continent ipsam revelationem christianam. Apostoli etenim eorumque discipuli et comites, qua voce qua scriptis libris vel epistulis, exercebant magisterium sibi iniunctum a Christo. Et ex his quidem scriptis aliqua, quae talia esse cognoscuntur revelatione divina, ipsum Deum habent auctorem, qui hagiographis tamquam causa rationali instrumentali usus est. Inde sequitur: quidquid in his libris contineatur, esse revelationem divinam, sive fuerint veritates religiosae, ut e. g. vita, doctrina, opus Christi (quae *per se revelatae* dicuntur), sive aliae, historicae, e. g. Paulum fuisse Corinthi, quae, cum externe tantummodo cohaereant cum veritatibus religiosis, *per accidens revelatae* vocantur.

673. Quaenam igitur est *relatio magisterii* et traditionis dogmaticae *ad hos libros sacros?* Quaestio ita posita dupliciter potest intellegi, obiective scilicet et subiective seu iuridice. *Obiective* intellecta respicit et comparat doctrinam hisce libris contentam cum deposito fidei, a Christo magisterio commisso; responsum ad hanc quaestionem indicandum est potius hoc loco quam funditus enucleandum, cum postea (in *Ass. 32,* n. 856 sqq.) ad eam redeundum sit et ostendendum libros sacros continere quidem revelationem christianam, at non totam. Quodsi in relationem *iuridicam* inquirimus, quae intercedit inter hos libros divinos et magisterium vivum, praerogativa quaedam dignitatis Sacrae Scripturae in tantum agnoscitur, in quantum est formaliter verbum Dei, scriptum scilicet a Deo; at praerogativa iuris et auctoritatis ex voluntate Christi competit magisterio vivo, cui ipsa Scriptura Sacra concredita est

in usum perennem Ecclesiae et per eam omnium hominum. Ex hoc facto *triplex relatio* magisterii ad libros sacros derivari potest: libri scilicet sacri (1) *pertinent* de iure ad *Ecclesiam* eiusque magisterium idque solum; ipsi nimirum dati sunt in utilitatem fidelium; quem finem ut obtineant, (2) *conservantur* fideliter et *explicantur* veraciter a magisterio; a quo exercetur traditio *interpretativa* quae vocatur vel *inhaesiva* (in explicandis textibus) vel *declarativa* (in determinando sensu obscuro alicuius textus). Ita (3) libri sacri quodammodo *vivificantur;* ingrediuntur nempe ipsum vivum magisterium. Vox divina libri inspirati resonat in ore magisterii authentici, in auribus Ecclesiae discentis. Atque ita fit ut, quaecumque a Deo revelata sunt, continenter exsistant et vivant et agant in Ecclesiae conscientia viva, quae ut talis est principium doctrinale et *directivum* (ut tribunal et norma seu *regula* fidei suprema) et *constitutivum* (ut fons doctrinae Christi integrae), principium ipsum vivum et semper vivificans[14].

b) Relatio magisterii (traditionis) ad alios libros, qui continent revelationem christianam.

674. In hac altera classe scriptorum, quae continent revelationem christianam, distingui oportet inter illa quae quomodolibet *cum magisterio ecclesiastico cohaerent,* et alia quae sunt meri *testes.* Ad prius genus pertinent ipsa *decreta magisterii* Ecclesiae, imprimis absoluta sive Concilii alicuius Oecumenici sive Romani Pontificis; deinde libri vel sententiae eorum, qui *in consensu Ecclesiae* docuerunt atque ut tales ab Ecclesia agniti sunt: *Patres* et *Doctores* Ecclesiae, minore gradu etiam scholae theologicae. De quibus postea agendum erit (*Ass. 33,* n. 867 sqq.). Qui omnes traditionem *dogmaticam* eatenus praebent, quatenus participant auctoritatem doctrinalem Ecclesiae. *Ceteri fontes* omnes traditionem *historicam* quidem continent doctrinae christianae, non vero dogmaticam; testantur enim, quaenam fuerit doctrina vel Ecclesiae, vel alicuius regionis, vel alicuius viri, determinato aliquo tempore.

Valor horum fontium *historice* et *scientifice* est quam maximus. Ita nimirum ostendi potest, quaenam fuerit persuasio temporum praecedentium, immo, si agatur de Patribus Ecclesiae, aetatis primaevae religionis christianae de veritate et indole certae alicuius propositionis; quaenam fuerint impugnationes, rationes defensivae, iudicia ecclesiastica, definitiones; quonam modo veritas aliqua paulatim clarius cognoscebatur et perspiciebatur, a difficultatibus vindicabatur, in possessionem securam et universalem fidelium transferebatur: brevi *progressus dogmaticus* (de quo cf. *Ass. 30,* n. 815 sqq.); argumenta theologica scientifica magna ex

parte cognoscuntur ex his fontibus. Sed hi omnes *neutiquam Ecclesiae* et eius magisterio sunt *necessarii,* ita ut, si omnes interirent, ne minima quidem pars detraheretur deposito fidei, Ecclesiae a Christo commisso. Ratio est in eo quod hi fontes omnes non sunt nisi testes magisterii vivi et perpetui; magisterium autem ipsum idem semper manet depositorium integrae revelationis christianae.

4. Notae terminologicae quaedam et distinctiones.

675. Conceptus traditionis hucusque explicatus invenitur in ipsis documentis Ecclesiae. *Concilium Tridentinum* in sess. IV statuit fundamentum ulterioris inquisitionis in veritates disputatas tunc temporis, *duos fontes,* libros scilicet sacros et traditiones nonscriptas. Veritatem nempe christianam „contineri in libris scriptis et *sine scripto traditionibus,* quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus *traditae* ad nos usque pervenerunt..." (*D* 783)[15]. Haec est traditio *dogmatica,* cuius origo est Christus, cuius primi praecones sunt apostoli, cuius organum perpetuum est Ecclesia eiusque magisterium. Haec porro ob ipsam originem recte vocatur *divina;* cui opponitur *humana* seu omnis illa, quae non est *formaliter* et immediate divina. Potest enim esse *virtualiter* seu *mediate divina,* ut traditio *ecclesiastica,* ad quam etiam pertinet *humano-apostolica,* i. e. veritas aliqua, quam apostoli non ut revelatam Ecclesiae tradiderunt (cf. *D* 995)[16].

676. Aliud quoddam discrimen terminologicum attentione dignum est, ne scilicet oriatur confusio de ipsa traditionis notione. Traditiones nimirum aliquando opponuntur veritatibus in Sacra Scriptura contentis, illae scilicet, quas revelatas esse *ex sola traditione orali* constet[17]. Altera consideratio vocat traditionem *omnes fontes scriptos praeter Sacram Scripturam* (et decisiones magisterii Ecclesiae), e quibus aliquid disci possit pro doctrina christiana, vel etiam „doctrinam et institutionem ad religionem pertinentem, quae a maioribus transmissa est Ecclesiae custodienda" *(Franzelin).* In singulis igitur auctoribus et in singulis commentationibus videndum erit, quonam sensu vox traditionis adhibeatur.

677. Regula fidei. — Expressio *regula fidei* vel *norma (canon)* fidei (doctrinae) occurrit inde a primis auctoribus christianis: *Paulus* (τύπος διδαχῆς Rom. 6, 17; ὁμολογία 1 Tim. 6, 12 sq.; Hebr. 3, 1; 4, 14; διδασκαλία 1 Tim. 6, 3); *Ioannes* (διδαχή 2 Io. 9 sqq.); *Doctrina duodecim* apostolorum (διδαχή, in ipsa iam inscriptione); *Clemens* Romanus (παραδόσεως κανών 1 Clem. 7, 2); *Polycarpus* (παραδοθεὶς λόγος ad Phil. 7, 2); *Hegesippus* (ὀρθὸς λόγος apud *Eus.,* Hist. eccl. 4, 22, 2; *K* 70); *Polycrates* (κανὼν τῆς πίστεως

apud *Eus.* l. c. 5, 24, 6; *K* 93); *Anonymus* quidam (κανὼν τῆς ἀρχαίας πίστεως apud *Eus.* l. c. 5, 28, 13); *Irenaeus* (κανὼν τῆς ἀληθείας Adv. haer. 1, 9, 4; cf. regulam fidei: 1, 10, 1; *K* 102 sq.; traditionem apostolorum: 3, 3, 1; *K* 124; opusculum in demonstrationem praedicationis apostolicae: εἰς ἐπίδειξιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος); *Tertullianus* porro saepe loquitur de regula fidei (e. g. De praescript. haer. 37; *R* 298); *Origenes* (praedicatio apostolica: De princ. I proem. 4 sqq.; *K* 237); *Cyprianus* (evangelica et apostolica traditio: Epist. 69, 3; *R* 589; symbolum: Epist. 69, 7; *CV*, ed. *Hartel* I 756). Alia testimonia v. n. 810 sqq.

Quibus in locis regula fidei sensu obiectivo intellegitur, ita tamen ut subintellegatur traditio viva et magisterium ecclesiasticum, quod conservat, tradit, explicat hanc regulam fidei seu traditionem apostolicam. Et re quidem vera regula fidei immediata, sed simul ultima et definitiva, est ipsum magisterium Ecclesiae, quod ita vocatur, quia et quatenus est tribunal a Christo statutum doctrinale supremum[18].

678. NOTAE. — **1** Doctrinam *modernistarum* v. in Decreto *„Lamentabili“*: „Christus determinatum doctrinae corpus, omnibus temporibus cunctisque hominibus applicabile, non docuit, sed potius incohavit motum quendam religiosum, diversis temporibus ac locis adaptatum vel adaptandum“ (prop. 59; *D* 2059; cf. 2058 2060); de magisterio Ecclesiae quid sentiant cf. Encyclicam *„Pascendi“* (*D* 2093). — „Summam assertorum catholicorum in ea re et controversiae cum Protestantibus“ composuit *I. V. Bainvel*, De magisterio vivo et traditione n. 8 (p. 8 sq.). — **2** Alia quaedam testimonia praebent *Aristides*, Apol. 15, ed. *Goodspeed* 15; *Tatianus*, Contra graec. 32, ed. *Goodspeed* 297; *Theophilus*, Ad Autol. 2, 14—22. Etiam in *actis martyrum* documenta eiusdem persuasionis occurrunt: *Acta Iustini* 4, 6, ed. *Otto* III 271; *Epist. Eccl. Viennensis et Lugdunensis* (apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 1, 43 49); *Acta martyrum Scilitanorum: K* 71; *Martyrium Carpi, Papyli, Agathonices: K* 78 sqq.; *Martyrium Apollonii* 5, 26, 42, ed. *Gebhardt* 46 53 56; de sensu vocis „*logia*“ cf. *J. Donovan*, The Logia in ancient and recent literature, Cambridge 1924. — **3** Cf. *M. Winkler*, Der Traditionsbegriff des Urchristentums bis Tertullian, München 1897. — **4** Versionem latinam paravit *S. Weber*, Freiburg 1917. — **5** Idem argumentum saepius apud *Tertullianum* recurrit: Adv. Marc. 4, 3—5 (c. 4: *R* 340); Adv. Prax. 2 (*R* 371); De virg. vel. 2 (*R* 329); saepe etiam provocat ad doctrinam vel consuetudinem traditam: De orat. 15; Ad uxor. 1, 2 sq.; 2, 1 sq.; De cor. 2 sq.; De anima 2 sq.; De carne Christi 2. — De eius systemate cf. *I. Kolberg*, Verfassung, Cultus und Disciplin der christl. Kirche nach den Schriften Tertullians, Braunsberg 1886; *K. Adam*, Der Kirchenbegriff Tertullians (Forsch. zur christl. Literatur- und Dogmengesch. VI, 4. Heft, Paderborn 1907), 23 sqq.; *Batiffol-Seppelt*, Urkirche u. Katholizismus 272 sqq. — **6** Cf. *Batiffol-Seppelt*, l. c. 257 sqq. — Textus collegit *A. Harnack**, Dogmengesch. I^4 369; cf. eundem apud *A. Hahn**, Bibliothek der Symbole und Glaubensregeln der alten Kirche (^{3}Breslau 1897) 368. Sententiam ab *Harnack* propositam: Clementem non novisse nec organisationem hierarchicam nec magisterium ecclesiasticum, quod episcopi exerceant, refutat *Batiffol-Seppelt* l. c. Cf. Clementis librum: Quis dives salvetur? 42, 2 (*R* 438). — **7** Materiam partim collegit *A. v. Harnack**, Der kirchengeschichtl.

Ertrag der exegetischen Arbeiten des Origenes (Texte u. Unters. XLII, 2. Heft [Leipzig 1919], 129 sqq.); cf. *Batiffol-Seppelt* l. c. 328 sqq. — Doctores hos duos scholae alexandrinae, Clementem et Origenem, non tam clare enuntiare magisterii indolem et auctoritatem verum est; sed eos deviare a consensu aliorum auctorum ostendi nequit; immo sunt effata eorum sat clara, qui hunc consensum manifestant. Ulterior inquisitio interim desideratur. — **8** De traditione historica cf. *St. v. Dunin-Borkowski*, Die Kirche als Stiftung Jesu (*Esser Mausbach*, Religion, Christentum, Kirche III^5 [1923]) 120 sqq.; *A. Feder*, Lehrbuch der geschichtl. Methode, ^{3}Regensb. 1924. — **9** In *scholis philosophicis* antiquis utrumque principium valebat, et traditionis, cuius expressio est αὐτὸς ἔφα, cuius testimonium est genus litterarium *doxographiae*, quae collegit et recensuit placita (δόξαι) singulorum philosophorum; et successionum (διαδοχαί), quibus describuntur conexiones inter philosophos eorumque scholas. Ita iam *Sotion* Alexandrinus circa 200 a. Chr. scripsit *Successiones philosophorum* (διαδοχαὶ τῶν φιλοσόφων); ex utroque genere litterario sese evolvit historia philosophiae, qualem e. g. scripsit *Diogenes Laërtios* circa 200 p. Chr. (περὶ βίων, δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων), qui 10 libris agit de singulis scholis (αἵρεσις). Cf. *E. Schwartz**, Diogenes Laertios in *Pauly-Wissowa*, Real-Enzyklop. der klass. Altertumsw. V (1905) 738 sqq. — **10** De traditione Iudaeorum cf. *I. Felten*, Neutest. Zeitgesch. I 337 sqq. 463 sqq.; *E. Schürer**, Gesch. des jüd. Volkes I$^{3/4}$ 112 sqq., II^4 363 sqq. — **11** *G. Wissowa*, Religion u. Kultus der Römer (Handb. der klass. Altertumswiss. V, 4 [München 1902], 333 442). — **12** De divina traditione et Scriptura (^{3}Romae 1882) 12: „in complexu“. — **13** *I. B. Franzelin* l. c. thes. 11, p. 96 sqq.; *I. V. Bainvel* l. c. n. 30, p. 39 sqq. — **14** *Franzelin* l. c. thes. 4, p. 22 sqq. — **15** De hoc decreto cf. *Concilium Tridentinum*, ed. *Soc. Goerres. [St. Ehses]* V (Friburgi 1911) 3 sqq. 91. — **16** *Franzelin* l. c. thes. 1, p. 11; *Bainvel* l. c. n. 9, p. 12. — **17** *St. v. Dunin-Borkowski* l. c. (*Esser-Mausbach* l. c. 122); *Hettinger-Weber*, Lehrb. der Fundamentaltheol. (^{3}Freiburg 1913) 674. — **18** *M. Cano*, De locis theologicis III 3; *Bellarmin.*, De controversiis Tomus I, Controversia I, lib. 4, c. 4 sqq.; *Franzelin* l. c. thes. 18, p. 215 sqq.; *Hettinger-Weber* l. c. 677 sqq.; textus collegit *Harnack** apud *Hahn** l. c. 366 sqq. — De explicatione S. Scripturae *„ad analogiam fidei“* (cf. Rom 12, 6) cf. *Conc. Trid.* sess. IV (*D* 786); *Conc. Vatic.* sess. III (*D* 1788 1798; cf. 2146); *Franzelin* l. c. p. 222 sq.; *Hettinger-Weber* l. c. 653; *Bainvel* l. c. n. 39, p. 47 sqq. — De propositione fidei per *acatholicos: L. Billot*, De Ecclesia Christi II (Romae 1899) 66 sqq. — De distinctione inter veritates fidei *fundamentales* et alias v. *G. Wilmers*, De religione revelata 588, nota 1.

Quaestio 2. De infallibilitate magisterii Ecclesiae.

679. *Praemittenda.* Quaestio altera huius capitis agit de proprietate aliqua essentiali magisterii, quod ut munus a Christo institutum et Ecclesiae per apostolos datum esse ostendimus, scilicet de infallibilitate doctrinali. Hoc tamen loco infallibilitas eatenus solum considerabitur quatenus est *qualitas necessario ex summa auctoritate doctrinali*, quam Christus Ecclesiae suae dedit, *dimanans* et *charisma* eidem *Ecclesiae a Christo diserte promissum*. Quae autem sint huius infallibilitatis organa, in capite

sequenti demum exponetur, ubi nimirum inquirendum erit in organa ipsius magisterii authentici ecclesiastici.

ASSERTIO 25. Magisterium Ecclesiae ab ipso Christo infallibilitate doctrinali praeditum est.

680. 1. *Conceptus infallibilitatis* vario modo intellegitur, scilicet vel *moralis* vel *doctrinalis;* et *moralis* quidem est impeccabilitas, qua cavetur, ne quis labatur in defectum aliquem moralem; de hac infallibilitate, *improprie* tali, non agimus. Infallibilitas vero *proprie* dicta respicit ordinem *cognitionis* et hinc etiam *doctrinae,* et excludit defectum intellectus in cognoscendis et diiudicandis et proinde etiam in proponendis et docendis rebus.

Porro haec infallibilitas asserit non solum *factum:* aliquem re vera non errare, sed insuper ac praecipue *impossibilitatem* errandi seu infallibilitatem *iuris* quae vocatur, in oppositione ad infallibilitatem *facti* (inerrantiam). Quae igitur definiri potest: immunitas ab errore talis, ut ipsa quoque possibilitas erroris excludatur.

2. Aliqualis infallibilitas convenit iam potentiis cognoscitivis *naturalibus,* quae sub certis condicionibus verum attingunt; quae tamen *absoluta* dici nequit. Hac vero in assertione loquimur de infallibilitate absoluta, quae scilicet cum exercitio magisterii ecclesiastici absolute coniungitur, ita ut, quamprimum magisterium sua auctoritate doctrinali plene utitur, eius decisio sit infallibilis. Ex quibus iam patet *rationem* huius infallibilitatis non posse esse naturalem, sed requirere interventum Dei *praeternaturalem.* Talem infallibilitatem praeternaturalem — quae de facto datur propter ordinem supernaturalem et hinc vocari potest supernaturalis — magisterio datam esse ostendendum erit.

681. 3. Ulterior *descriptio* infallibilitatis apte fiet secundum quattuor genera causarum. (1) Causa *quasi-formalis* infallibilitatis est ipse intellectus humanus, qui et in quantum a Deo praeservatur ab errore. Infallibilitas etenim absoluta convenit soli Deo, creaturae autem solum per participationem infallibilitatis divinae; hinc est in homine modo communicato, determinato, restricto. Ipsa autem infallibilitas non inhaeret intellectui humano tamquam forma quaedam accidentalis physica, sed est status quidam intellectus, seu ipse intellectus praeservatus ab errore et servatus in veritate, ita ut — intra ambitum a Deo statutum — necessario verum teneat, iudicet, proferat. (2) Causa *efficiens* est Deus, intellectum humanum praeservans ab errore eique assistens sua virtute, seu assistentia divina. Deus igitur aliquem influxum exercet in intellectum, non quidem inspirativum, quo fit auctor libri sacri et divini, neque necessario positivum, quo intellectui

indat species infusas vel revelet (novas) veritates, sed sufficit, ut Deus quocumque modo provideat, ne homo in iudicando et docendo erret. Si igitur praevidet magisterium Ecclesiae in decernenda aliqua propositione non erraturum esse, nullus influxus positivus requiritur, sed sufficit illa providentia (ordinaria vel peculiaris), qua ipse magisterium et Ecclesiam suam dirigit. Semper autem assistentia parata sit oportet, ut, si opus fuerit, interveniat et omne periculum erroris amoveat. Quae assistentia, tametsi aliquando (ex oppositione ad positivam et immediatam) *negativa* vocetur, nihilominus, quoad effectum, non est mere negativa; nam tuetur veritatem et certitudinem magisterii ecclesiastici[1]. (3) Causa *quasi-materialis interna*, seu obiectum infallibilitatis, est veritas aliqua tenenda vel doctrina aliqua docenda et authentice proponenda, et in magisterio Ecclesiae quidem revelatio christiana seu „depositum fidei" (de quo plura in *Ass. 30,* n. 794 sqq.) simul cum veritatibus ei annexis (*Ass. 31,* n. 826 sqq.). Causa deinde quasi-materialis *externa,* seu organum et subiectum huius praerogativae, est collegium Duodecim, sunt apostoli, sunt successores apostolorum, brevi, illi, quibus Christus munus magisterii commisit. (4) Causa denique *finalis* est proxime recta fides Ecclesiae ut discentis, remote totius generis humani, quod nempe secundum voluntatem Christi religionem christianam admittere atque in Ecclesiam intrare debet. Recte igitur ipsa quoque Ecclesia discens infallibilis dici potest, alio tamen modo ac Ecclesia docens seu magisterium; Ecclesia enim *docens* gaudet infallibilitate in docendo (activa), Ecclesia vero discens infallibilitate in credendo (passiva; inerrantia: *Ottiger,* Theol. fund. II 5).

682. Ex dictis elucet *discrimen conceptuum* quorundam, qui cognati vel affines videntur esse, ab idea infallibilitatis, scilicet imprimis revelationis et inspirationis. *Revelatio* enim, utpote locutio Dei attestans, communicat homini veritates vel nondum cognitas vel non eodem modo (divina nimirum auctoritate propositas et firmatas) cognitas; infallibilitas autem ex conceptu suo abstrahit ab origine veritatis sive divina sive humana, quam tuetur. *Inspiratio* deinde, quae definitur ille influxus Dei supernaturalis positivus et immediatus in hominis intellectum (et voluntatem), quo Deus fit auctor proprius et principalis alicuius libri, eo maxime differt ab infallibilitate quod inspiratione liber fit formaliter verbum Dei (scriptum), per infallibilitatem vero decretum aliquod doctrinale, a magisterio editum, non evehitur ad dignitatem locutionis divinae, sed manet humanum.

Altera quaedam sequela, sponte ex descriptione infallibilitatis profluens, docet *infallibilitatem* alicuius decisionis magisterii *non dependere ab activitate et industria humana* organorum magisterii; nam unice debetur assistentiae divinae; nihilominus ex alio capite, ex voluntate

nimirum Christi, cooperatio humana sedula postulatur, ut definitio bene praeparetur (cf. *Ass. 27,* n. 742, et *Ass. 28,* n. 770).

683. 4. Assertio nostra hunc *ordinem* sequitur, ut sicut praecedens exordiatur a verbis Christi, quibus apostolis hanc infallibilitatem promittit, deinde accedat ad testimonium apostolorum, qui suis sibi verbis eandem hanc infallibilitatem attribuebant, denique interroget consensum Ecclesiae postapostolicae, quidnam ipsa de infallibilitate magisterii ecclesiastici sentiat.

Numquam quidem defuerunt qui hoc charisma veritatis Ecclesiae competere *negaverint;* neque in antiquitate, ut *gnostici,* contendentes apostolos certas quasdam veritates altiores vel paucis dumtaxat et selectis communicasse vel ipsos ignorasse; ut *Marcion,* qui, ceteris apostolis reiectis ut iudaisticis, solum Paulum agnovit, sed correctum, vel potius mutilatum et alteratum [2]. *Reformatores* saeculi XVI reiecerunt quidem infallibilitatem Ecclesiae, non vero apostolorum [3]. *Liberales* denique protestantes cum denegata origine supernaturali Ecclesiae omnia etiam eius dona charismatica negare necesse est; quorum placita recurrunt in doctrina *modernistarum* de Ecclesiae magisterio: quod non sit nisi conscientia socialis, nata ex conscientiis singularibus membrorum Ecclesiae, „publicum officium in earundem conscientiarum commodum mandatum" habens, ita ut dici debeat: „illud ab eisdem conscientiis pendere ac proinde ad populares formas esse inflectendum" (Encycl. *„Pascendi"; D* 2093). Cum principiis videlicet modernismi, cum relativismo, symbolismo, immanentismo, evolutionismo munus stabile doctrinale, a Christo institutum, charismate divino infallibilitatis instructum, constare nullatenus potest.

I. Christus apostolis suis duodecim dedit praerogativam infallibilitatis.

684. Loquimur in hac prima parte de *verbis Christi* in evangeliis nobis servatis, quae diriguntur *ad apostolos* illos *duodecim,* quos ipse Christus tempore vitae collegit (*Ass. 9,* n. 249 sq.). Licet igitur Paulus eadem dignitate et auctoritate apostolica insignitus atque ab eodem Christo ad apostolatum vocatus sit (*Ass. 10,* n. 288 sqq.), propter ordinem chronologicum de eius infallibilitate in secunda parte disseremus.

Nullum quidem Christi exstat effatum, quod diserte *voce infallibilitatis* utatur; at ipsum factum quam clarissime continetur vel in sola missione apostolorum doctrinali, vel in sanctione qua hanc missionem prosequitur, vel in *assistentia* quam apostolis suis promittit, ut hoc munere suo atque speciatim magisterio rite fungi valeant.

1. *Ratio primaria,* et de se sola iam sufficiens, est ipsa *muneris apostolici indoles et auctoritas,* quod Christus asserit unum idemque cum sua propria missione divina esse, seu aliis verbis: *identitas missionis Christi et apostolorum* (cf. *Ass. 9, III,* n. 269 sqq.). Magisterium igitur apostolorum est ipsum magisterium Christi, prout successione legitima et translatione iuridica ad apostolos transiit; eadem est doctrina apostolorum ac Christi, eadem est auctoritas: „Qui vos audit, me audit" (Luc. 10, 16). Iamvero auctoritas Christi est absoluta, quia divina et legati (Filii) Dei; hinc magisterium eius est infallibile, tradens verbum Dei. Ergo etiam auctoritas apostolorum ut talium est absoluta; praedicatio apostolica ut talis est infallibilis vi voluntatis Christi, quae manifestatur in ipsa missione apostolica.

685. 2. Haec autem Christi voluntas ulterius manifestatur tum ex sanctione, quam adhibet praedicationi apostolorum, tum ex assistentia, quam ipsis promittit relate ad munus doctrinale.

Et primum quidem, ad *sanctionem* quod attinet, Christus obligavit omnes homines, ut admitterent praedicationem et doctrinam apostolorum, et quidem sub gravissimis poenis. Iamvero Christus nequit tali mandato obligare ad amplectendum errorem. Ergo debet esse vera doctrina apostolorum, i. e. apostoli ipsi debent esse, in quantum agunt legatos Christi, infallibiles.

In instructione, quam Christus apostolis suis mittendis tradit, dicit: „Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen, dico vobis: tolerabilius erit terrae Sodomorum et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati" (Matth. 10, 14 sq.). Haec quidem minatio respicit proxime missionem apostolorum praeviam; at ratio eadem est in omni missione et legatione Christi, scilicet quam ipse Christus exhibet dicens: „Qui recipit vos (praedicatores evangelii), me recipit; et qui me recipit, recipit eum, qui me misit" (10, 40). „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit (ἀθετῶν), me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me" (Luc. 10, 16). Rationem eandem legimus in evangelio Ioannis: „Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur" (3, 34). — Probabiliter huc referri possunt etiam illa verba, quae Christus in eadem instructione apostolis suis dicit: „qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in caelis est" (Matth. 10, 33); nam etsi haec verba etiam ad alios homines spectent, proxime tamen diriguntur apostolis ut talibus, ut praeconibus et testibus Christi, qui ut tales veritatem docent et docere debent, non obstantibus periculis nec ipsa morte.

Diserte denique idem exprimitur in conclusione Marci (16, 16): „Euntes in mundum universum (ait Christus) praedicate evange-

lium omni creaturae; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur." Quae verba, si quis accipere non vellet ut genuina Marci, saltem ei exhiberent persuasionem Ecclesiae primaevae.

686. 3. Christus non solum apostolis suis missionem tribuit, neque solum omnes homines obligavit, ut his suis legatis obtemperarent, sed etiam diserte exposuit rationem infallibilitatis, assistentiam videlicet eis promittens, vel propriam vel Spiritus Sancti, ut munere legati atque speciatim magisterii authentici rite fungi possent. Qua assistentia, utpote divina, omnis error arcetur a praedicatione apostolica, infallibilitas eidem promittitur et datur.

Et in hac quidem promissione assistentiae doctrinalis consonant evangelia Matth., Luc., Io., alterum alterum excipiens et explicans et confirmans. Quoniam autem testimonium Lucae ad auctoritatem Ioannis tamquam fontem suum reduci posse videtur[4], considerabimus primo textum *EvMatth.* (28, 16 sqq.), deinde simul verba relata apud Ioannem et Lucam.

a) *Testimonium EvMatth.* (28, 20). „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi"; haec verba, quibus evangelium secundum Matthaeum terminatur, simul continent promissionem assistentiae perennis, qua Christus suos apostolos in suo munere apostolico tuebitur, donec hoc saeculum durabit. Videamus, si placet, breviter contextum huius effati Christi, deinde eius sensum relate ad munus doctrinale apostolorum perenne.

Christus apparuit undecim apostolis in monte Galilaeae, „ubi constituerat illis Iesus" (28, 16). His proinde undecim, apostolis nimirum a Christo electis, verba illa Domini resuscitati diriguntur. Nunc demum nomen, quod ipse eis indidit Christus, *apostolorum* seu legatorum, plene explicatur, modusque agendi Christi in instruendis, praeparandis, educandis apostolis suis eisque solis (cf. n. 272 sqq.). Nunc, ante discessum ex hoc mundo, sollemnissima forma complectitur quidquid antea indicaverat et promiserat; ex plenitudine potestatis propriae legatis suis tradit plenitudinem auctoritatis: „Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra" (28, 18; cf. 11, 25). Hac instructi auctoritate et potestate, nomine et mandato Christi, apostoli exeant in mundum, ut universum Christo acquirant: „Euntes ergo facite *discipulos* (meos) omnes gentes (μαθητεύσατε, *Vg:* docete), baptizantes eos..., *docentes* eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis." Missio ergo est *doctrinalis*; nemo enim fieri potest discipulus et assecla Christi nisi praedicatione evangelii Christi. Quaenam haec prima

annuntiatio fuerit, discimus ex Act. 2, 38 sqq., ubi Petrus Iudaeos instruit, quid oporteat faciant; vel ex 1 Thess. 1, 9 sq., ubi Paulus brevissime complectitur summa capita a neophytis ethnicis complectenda: conversionem videlicet ab idolis ad Deum et exspectationem adventus Christi salvatoris, qui ex mortuis resurrexerit. Post baptismum deinde ulterior instructio catechetica introduxit fideles in omnem veritatem christianam (cf. Act. 20, 20 31)[5]. Missio igitur apostolica est simul sanctificatoria, administratione sacramenti baptismi seu initiationis, et doctrinalis, quae comprehendit revelationem Christi seu evangelium.

687. Quibus expositis *sensus* verborum sequentium facile erui poterit: „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" (28, 20). Locutio μετά τινος εἶναι in N° T° usu venit sensu vario: sive praesentiae localis (Marc. 1, 13: μετὰ τῶν θηρίων), sive commercii et colloquii (Marc. 6, 50: ἐλάλησεν μετ' αὐτῶν), sive sensu morali, amicitiae et fidelitatis (Matth. 12, 3: Δαυίδ ... καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; cf. 26, 51) et sequelae (Matth. 12, 30: ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ ἐστίν) vel praesidii et adiutorii (Matth. 1, 23: μεθ' ἡμῶν ὁ θεός; Luc. 1, 28: ὁ κύριος μετὰ σοῦ, cf. 1, 66; Io. 3, 2: „nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo" μετ' αὐτοῦ, 8, 29: „et qui me misit, mecum est", μετ' ἐμοῦ). Qui usus, translatus ex V^is T^i modo loquendi, unice satisfacit sensui effati Christi[6]. Nam haec assistentia, a Christo apostolis promissa, nequit intellegi praesentiae localis vel corporalis vel sequelae his in terris; nam Christus, derelinquens terram, redibit in caelum (Luc. 24, 51; Act. 1, 1 sqq.; Io 7, 33; 13, 33). Ergo est assistentia moralis adiutrix.

Quae assistentia promittitur *pro omni tempore* venturo seu usque ad finem (συντέλεια) huius saeculi seu aevi (αἰών), quod scilicet opponitur alteri saeculo, seu vitae aeternae (cf. *Ass. 4*; n. 109 sqq.). Finem autem huius saeculi ipse Christus descripsit tum in parabolis de zizaniis (Matth. 13, 40 sqq.) et de sagena (13, 49 sqq.), tum in oratione apocalyptica (Matth. 24, 3 sqq.; 25, 31 sqq.). Usque ad hunc finem, cuius tempus non revelavit (24, 36), manebit cum apostolis suis sua assistentia et virtute (divina: εἰμί), omnibus diebus (πάσας τὰς ἡμέρας).

Quaeritur denique, quodnam sit *obiectum* huius assistentiae. Non enim vita temporalis apostolorum eorumque praeservatio ab omni malo physico promittitur; nam Christus ipsis praedicit persecutiones (Matth. 5, 11 sq.; 10, 16 sqq.; 23, 34 sqq.; 24, 9 13; Io. 15, 21; 16, 2). Assistentia igitur respicit *munus apostolicum*. Et re quidem vera, haec ultima Christi verba particula καί[7] arcte

coniunguntur cum praecedentibus, sensu fere *„et ideo"*; quia scilicet munus tam grave et sublime apostolis traditur, cui exercendo de se impares sunt, Christus ipse sua illis virtute succurret. Assistentia igitur Christi promittitur pro munere sanctificatorio et pro munere *doctrinali;* promittitur porro illis, quibus primo et immediate a Christo traditur, undecim nempe apostolis, et omnibus, qui deinceps idem munus exercebunt, „usque ad consummationem saeculi" (cf. *Ass. 8,* n. 217 sqq.; *Ass. 15*; n. 378 sqq.).

Quae cum ita sint, assistentia illa apostolis promissa includat *infallibilitatem* necesse est. Nam datur haec virtus, ut apostoli possint docere doctrinam Christi genuinam et integram; iamvero haec virtus, utpote divina, effectu suo carere nequit, i. e. quaecumque apostoli ut tales docent, erit doctrina Christi vera, seu in proponenda doctrina Christi apostoli sunt infallibiles.

688. b) *Testimonium EvIo.* (14, 15.25; 15, 26; 16, 7) *et EvLuc.* (24, 46 sqq.). Effata, quae refert Ioannes, explicant, quomodo assistentia, quam Christus suis apostolis promisit (Matth. 28, 20), sese manifestatura sit. Christus enim mittet apostolis suis *Spiritum Sanctum* et quidem ut Spiritum *veritatis.* Sub hac sola ratione considerabimus hic Spiritum Sanctum; alias quaestiones, de natura huius Spiritus deque eius relatione ad Patrem et Filium (cf. Matth. 28, 19), ad inquisitiones dogmaticas remittimus.

Spiritus Sanctus a Christo vocatur paraclitus (παράκλητος), quod vi vocis est *„in auxilium vocatus"* tamquam *patronus* et advocatus (cf. 1 Io 2, 1), sensu translato etiam *consolator.* Adiuvabit igitur apostolos eisque assistet (Io. 14, 15 25; 15, 26; 16, 7). Ratio adiutorii ulterius determinatur voce *veritatis* (πνεῦμα τῆς ἀληθείας: 15, 15; 15. 26; 16, 13); est enim Spiritus amans veritatis et docens veritatem. Adiutorium igitur apostolis promissum est *doctrinale.* Hoc idem variis modis a Christo dicitur. Vocat Spiritum Sanctum *„alium* paraclitum", qui scilicet vices geret ipsius Christi; Christus autem erat magister suorum discipulorum: „Vos vocatis me magister et domine; et bene dicitis; sum etenim" (13, 13). Ergo Spiritus veritatis munus magistri Christi exercebit, et quidem ita „ut maneat vobiscum in aeternum" (ἵνα ᾖ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα: 14, 16). Certe his verbis idem enuntiatur ac in ultimo versu *EvMatth.* (28 20), aliis verbis: assistentiam illam, quam Christus apostolis suis promisit, praestabit per Spiritum Sanctum. Ipse enim „vos docebit omnia et suggeret (ὑπομνήσει, in memoriam revocabit) vobis omnia, quaecumque dixero (εἶπον) vobis" (14, 26); „adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus

veritatis, docebit vos omnem veritatem (ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν); non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur ... quia de meo accipiet et annuntiabit vobis" (16, 12—14). Ita demum, instructi virtute Spiritus Sancti, apostoli poterunt esse *testes* Christi: „ille (Spiritus Sanctus) testimonium perhibebit de me, et (ita) vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis" (15, 26 sq.).

689. Similia plane effata Christi refert *Lucas,* quatenus non solum munus doctrinale apostolorum *testimonium* a Christo vocari asserit (cf. 24, 48; Act. 1, 8), ad quod exhibendum apostoli idonei sint, quia „ab initio" cum Christo fuerint, scilicet „in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus" (Act. 1, 21; cf. 10, 37), sed etiam Spiritum dicit a Christo apostolis promissum esse, ut hoc munere testium fungi queant, scilicet referens verba Christi: „Vos autem testes estis horum. Et ego mittam promissum Patris mei in vos ..." (Luc. 24, 48 sq.); „... accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes ..." (Act. 1, 8).[8]

Secundum utrumque igitur evangelistam, Ioannem nempe et Lucam, Christus apostolis suis promittit auxilium aliquod speciale, supernaturale, doctrinale in ordine ad munus magisterii, ut nimirum ea omnia eaque sola, quae docuerat, et ipsi docere possent homines itaque evadere *testes fideles Christi eiusque doctrinae.* Cum autem hoc auxilium sit absolutum et absolute efficax, hinc apostoli re vera erunt testes fide digni et omnis erroris et deceptionis expertes, i. e. erunt testes et magistri infallibiles. Cum munere porro doctrinali apostolorum ipsum charisma infallibilitatis permanebit usque ad finem mundi, i. e. transibit ad omnes apostolorum *successores.*

690. Quae modo ex verbis Christi deduximus, haec eadem magnopere *suadentur consideratione quadam,* quae exorditur a solo facto magisterii eiusque scopo et fine. Christus scilicet doctrinam a se revelatam apostolis suis commisit praedicandam omnibus hominibus. Iamvero apostoli hanc missionem exsequi nullo modo valebant sine peculiari quodam consilio et auxilio divino. Christus proinde debuit hoc eis auxilium praestare, si finem obtinere voluit.

Difficultas et impossibilitas huius missionis coalescit ex variis rationibus, quae partim inveniuntur in ipsa doctrina religiosa revelata, partim in dispositione et condicione, audientium, hominum nempe, partim denique in indole apostolorum. Et (1) quidem ad *ipsam doctrinam* quod attinet, constat ex historia neque cognitionem Dei apud gentes omnes sparsam (naturalem) neque revelationem V^is^ T^i^ servatam esse illaesam sine speciali Dei adiutorio. Immo in gentibus observatur depravatio

religiosa eo magis progrediens, quo maior erat cultura externa[9]; in populo autem Israel Deus speciali munere prophetico magisterium ordinarium adiuvit et complevit, ut, et quae iam revelata erant, conservarentur, et nova per ipsos revelarentur[10]. — (2) Praedicatio deinde revelationis a Christo allatae pati debuit et passa est maximas *difficultates,* tum *ex parte hominum* cultorum et sapientium, quibus erat, teste Paulo (1 Cor. 1, 23), *stultitia,* tum ex parte aliorum et quidem plurimorum, quibus erat scandalum, Iudaeis quippe et omnibus, qui, similiter sentientes, salvatorem crucifixum et sequelam postulantem in via crucis ferre non potuerunt (cf. *Ass. 23,* n. 615 sqq.). — (3) Apostoli vero seu legati et magistri novae religionis non solum erant illitterati (ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται, Act. 4, 13), sed etiam imbuti ideis et obnoxii praeiudiciis suae gentis, alienis a mente Christi eiusque religionis, etiam post Christi resurrectionem a mortuis (cf. Act. 1, 6). Hae vero difficultates in eorum successoribus non solum manere sed etiam summopere augeri debuerunt progrediente tempore, nisi conveniente remedio Christus auctor religionis ipse eis occurreret. Medium autem conveniens, i. e. muneri doctrinali accommodatum, est huius magisterii infallibilitas (cf. *Ass. 32,* n. 856 sqq.).

II. Apostoli sibi infallibilitatem doctrinalem attribuerunt.

691. Haec secunda pars demonstrationis, quae confirmat primam, ex illo iam solo facto constat, quod evangelia, tempore apostolico scripta, referunt verba Christi superius allata. Cum tamen de eorum sensu non sit eadem catholicorum cum aliis auctoribus sententia, iuvat interrogare ipsos apostolos, quonam scilicet modo suum magisterium suamque auctoritatem doctrinalem intellexerint. Testis erit imprimis *Paulus,* qui, cum suum apostolatum atque suam doctrinam de libertate christiana contra iudaizantes debuerit defendere, praedicat suam absolutam auctoritatem doctrinalem seu infallibilitatem apostolicam (cf. *Ass. 10,* n. 302 sqq.).

Et hanc quidem suam auctoritatem exhibet tum in locis, quos in assertione praecedenti (24, n. 652 sqq.) iam consideravimus, ex epistulis nempe *ad Thessalonicenses,* ad *Corinthios,* ad *Romanos,* tum in aliis, quos, si libet, hoc loco allegabimus. Contra suos adversarios, iudaistas videlicet, litigat Paulus imprimis in epistulis *ad Galatas* et in altera quam scripsit Corinthiis. In priore epistula defendit suam doctrinam de libertate christiana a iugo Veteris Legis auctoritate sua apostolica utpote absoluta seu infallibili. Hinc insistit in exordio et in ipsa iam inscriptione epistulae in sua condicione apostolica: „Paulus apostolus — non ab hominibus neque per hominem —, sed per Iesum Christum et Deum Patrem . . .“ (Gal. 1, 1). Ut talis praedicat evangelium Christi, „non secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Iesu Christi“ (1, 12), quia placuit Deo, „ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem eum in gentibus“ (1, 16). Vi huius vocationis et missionis apostolicae est, quod Paulus nequeat docere nisi evangelium Christi genuinum, quod praedicavit Galatis (1, 6). Hinc si quis eis proponat „aliud evangelium“, non est evangelium Christi, sed eius perversio et corruptio (1, 7). Neque enim angelus de caelo, neque ipse Paulus aliud evangelium, „praeterquam quod evangelizavimus vobis“, annuntiare poterit, quin eo ipso anathema fiat Deoque exosus, quia pervertit verbum Dei (1, 8 sq.). Et haec quidem ab omnibus christianis agnoscuntur; non enim de dignitate et auctoritate apostolica in se considerata est controversia Pauli cum suis adversariis, sed de quaestione, num Paulo haec dignitas competat, vel saltem ex aequo competat cum aliis apostolis. Inde intelleguntur, quae Paulus tum in hac epistula scribit (cf. Gal. 1, 15 sqq.; 2, 1 sqq., imprimis 2, 7—9), tum in epistula *secunda ad Corinthios* (11, 1 sqq.). Etiam in hac epistula loquitur de „alio evangelio, quod non recepistis“ (11, 4), intruso in ecclesiam corinthiacam per adversarios Pauli. Cum quibus deinde se comparans enumerat titulos sui apostolatus legitimos (11, 5 sqq.; cf. *Ass. 10,* n. 302 sqq.). Eadem porro persuasio subest epistulae *ad Ephesios,* in qua munera doctrinalia, in Ecclesia a Christo instituta, exhibet, inter quae primo loco apostolatum (4, 11). Epistulam primam *ad Timotheum* scribit, ut discipulus sciat, quomodo eum oporteat conversari „in domo Dei, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis“ (1 Tim. 3, 15).

692. *Alii apostoli* non aliter sentiunt de auctoritate doctrinali ipsis propria. *Petrus* in prima epistula commemorat consensum prophetarum V^is^ T^i^, qui praedixerunt Christi passiones et glorias, et apostolorum, qui evangelium annuntiaverunt *„in Spiritu Sancto,* qui missus erat de caelo“ (*Vg:* Spiritu Sancto misso de caelo; 1, 12); alludit igitur ad eandem missionem Spiritus Sancti, quam Christus secundum *EvIo.* promiserat et postmodum exsecutus est (secundum Lucam). Eadem porro est persuasio *Ioannis* apostoli, qua initio primae suae epistulae christianis dicit se ipsis annuntiare vitam aeternam tamquam Iesu Christi testem ocularem et ab ipso Deo confirmatum: „ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo“ (1 Io. 1, 3). *Chrisma* (χρῖσμα: 2, 20 27) vero Spiritus Sancti, quoniam non est immediata Spiritus Sancti illuminatio (n. 656), est assistentia eius coniuncta cum magisterio apostolorum.

III. De consensu Ecclesiae postapostolicae.

693. Cum de infallibilitate magisterii ecclesiastici agendum sit in assertionibus sequentibus, in quibus eadem testimonia magna

ex parte recurrunt, hoc loco pauca quaedam, ex primis scilicet decenniis huius aetatis postapostolicae, proponere intendimus, ex quibus appareat continuitas eiusdem persuasionis in Ecclesia.

Ignatius Antiochenus, apostolis aequalis eorumque discipulus, vocat quidem evangelium „perfectionem incorruptionis" (ad Philad. 9, 2), sed hanc incorruptionem (ἀφθαρσία) non consequetur qui non sit unitus „episcopo et praesidentibus in typum et doctrinam (demonstrationem) incorruptionis" et immortalitatis (ad Magn. 6, 2), quae non solum alteri vitae competit, sed etiam Ecclesiae, cui ipse eius auctor et fundator, Iesus Christus, incorruptionem spiravit (Eph. 17, 1). Hinc Ignatius admonet Ephesios, ut „in episcopi sententiam" concurrant, quia „episcopi, per tractus terrae constituti, in sententia Iesu Christi sunt", sicut „Iesus Christus . . . sententia Patris est" (3, 2; cf. n. 659; similiter ad Magn. 13).

Haec porro persuasio infallibilitatis Ecclesiae eiusque magisterii subest argumentis traditionis et successionis (cf. n. 661 sqq.), quae ad dirimendas controversias ab Ecclesiae magistris adhibebantur, sive agebatur de Montani ‚nova prophetia', sive de figmentis gnosticis refutandis: „Illa eaque sola sunt vera, consona nimirum revelationi christianae et doctrinae apostolicae, quae unanimis Ecclesia docet." Hanc formam demonstrationis videmus usu venire in scriptis *Irenaei* (n. 664 et infra n. 771 sqq.), qui provocat ad „praedicationem . . . Ecclesiae undique constantem et aequaliter perseverantem et testimonium habentem a prophetis et ab apostolis et ab omnibus discipulis . . . et eam, quae secundum salutem hominis est, solitam operationem, quae est in fide nostra; quam perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas, in quo est . . ." (Adv. haer. 3, 24, 1; *R* 226). Clarius ne ipse *Tertullianus* quidem (cf. n. 665) persuasionem sui temporis enuntiavit. *Clemens* vero Alexandrinus haec scribit: „Iam enim audemus dicere . . . eum omnia scire et firma comprehensione comprehendere ea etiam quae sunt nobis dubia et inexplicabilia, qui vere est cognitione praeditus; cuiusmodi fuit Iacobus, Petrus, Ioannes, Paulus et reliqui apostoli. Est enim prophetia cognitione (gnosi, γνώσεως) plena, ut quae data sit a Domino et rursus per Dominum declarata apostolis" (Strom. 6, 8; *MSG* IX 289).

Atque haec testimonia, quae, licet sint paucorum scriptorum, tamen iure dicuntur exhibere sensum totius Ecclesiae istius temporis, interim sufficiant, donec scilicet excipiantur et compleantur aliis, quae diserte organa magisterii ecclesiastici infallibilia respiciunt.

Scholion. De exspectatione apostolorum parusiae Christi ut brevi instantis.

694. Plurimae quidem contra assertionem modo propositam *difficultates* moveri possunt et re vera moventur[11], ex quarum numero una dumtaxat paulo latius explicanda esse videtur, quia scilicet non solum est omnium gravissima, sed etiam cum argumento horum de Ecclesia tractatuum quam arctissime cohaeret, scilicet quaestio, *num apostoli alterum Christi adventum (parusiam) mox instare certo tenuerint,* idem christianos docuerint, itaque non solum ipsi *erraverint in proponenda Christi doctrina* sed etiam Ecclesiam primaevam in errorem necessarium secum adduxerint.

In assertione scilicet 4, agentes de indole simul transcendentali et simul praesente *Regni Dei* a Christo praedicati, ostensum est ex documentis temporis apostolici christianos (et apostolos) de *indole praesenti Regni Dei* minime quidem dubitasse, quibus nimirum Ecclesia eiusque bona erant realia et praesentia: bona messianica Regni Dei a Christo conditi (n. 129 sq.). Alteram autem esse quaestionem de secundo adventu Christi, qui ut iudex universalis revertens finem huic mundo imponat atque fidelibus suis victoriam et gloriam impertiat (n. 128). Hanc alteram exponendam esse hac in assertione bonum ducimus.

Multi sunt qui putent hanc quaestionem solvi vix posse, quin concedatur apostolos subiective saltem persuasum habuisse se ipsos visuros esse parusiam Christi, neque soli protestantes, liberales et modernistae, sed etiam auctores quidam catholici, aliis licet rationibus permoti. Attamen textuum, qui in quaestionem veniunt, examen accuratius evincit Paulum aliosque scriptores sacros possibilitatem quidem asseruisse atque etiam desiderium fovisse, ut ipsi viderent Dominum venientem in nubibus caeli cum gloria et maiestate, sed *firmum iudicium* atque certam persuasionem de tempore parusiae nequaquam habuisse. Ad quem finem ita procedimus ut (1) conspectu quodam exhibeamus textus omnes, qui de parusiae tempore agunt, primo Pauli, deinde aliorum hagiographorum, et quidem secundum ordinem chronologicum, quantum fieri poterit; deinde (2) interpretationem horum textuum atque principia quaedam, quae ad solvendam quaestionem adhibenda videntur, adiciamus.

1. Conspectus textuum.

695. a) *Ex epistulis Pauli.* — In *prima epistula ad Thessalonicenses* Paulus loquitur de „dormientibus", consolans nimirum Thessalonicenses de sorte eorum, qui mortui sunt ante parusiam Domini: „ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent" (4, 13).

Deus enim eos, „qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus (οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι) in adventum Domini, non praeveniemus eos, qui dormierunt . . . (nam) mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur (οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι), simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera . . ." (4, 14—17). „De temporibus autem et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet" (5, 1 sq.).

In *secunda* epistula *ad Thessalonicenses* apostolus occurrit quibusdam opinionibus falsis circa parusiam Domini in ista ecclesia sparsis, „quasi instet dies Domini" (2, 2). Nam praecedent hunc diem aliqua facta, christianis nota, scilicet defectio (ἀποστασία, *Vg*: discessio) et revelatio hominis repudiationis legis (ἀνομίας, alii testes legunt ἁμαρτίας, *Vg*: peccati), filii perditionis, qui ipsius Dei adversarium sese manifestat (2, 3 sq.). Ipsam autem hanc revelationem detinet aliquid, quod Paulus vocat κατέχον: „Nam mysterium iam operatur iniquitatis"; quamprimum deinde κατέχων ille, qui detinet et remoratur, e medio sublatus est, „revelabitur ille iniquus (ἄνομος), quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui (ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ) eum", qui virtute diabolica instructus omni modo homines conabitur decipere, signis etiam et miraculis falsis.

696. Epistulae *magnae* quae vocantur haec fere habent: *Prima ad Corinthios* commemorat „revelationem Domini nostri Iesu Christi" et „diem adventus Domini nostri Iesu Christi" (1, 7 sq.: ἀποκάλυψις τοῦ κυρίου, ἡμέρα τοῦ κυρίου), quem exspectant christiani. Dies Domini manifestabit opera hominum (3, 13). — Sicut Deus Christum suscitavit, ita „et nos suscitabit per virtutem suam" (6, 14). — Agens de virginitate ait Paulus: „Tempus breve est (ὁ καιρὸς συνεσταλμένος ἐστίν, contractum est: 7, 29); „praeterit enim figura huius mundi" (7, 31). — Quae in V° T° narrantur de poenis a Deo inflictis (10, 1 sqq.), „scripta sunt . . . ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt (τέλη τῶν αἰώνων, 10, 11). — Eucharistia celebranda est, „donec (Dominus) veniat" (11, 26). — In instructione de resurrectione corporum universali (15, 1 sqq.) hunc ordinem servari dicit, ut primitiae sit Christus; deinde resurgent illi, qui sunt Christi in adventu eius (*Vg*: qui in adventu eius crediderunt; 15, 23). — Exclamatio in fine epistulae addita *„marana tha"* (Domine noster, veni! secundum alios: *maran atha:* Dominus noster venit) desiderium parusiae exprimere ut probabile admitti potest.

In *secunda* epistula *ad Corinthios* non solum obvenit „dies Domini Iesu Christi" (1, 14), neque solum Paulus resurrectionem universalem ut factum futurum affert („qui suscitavit Iesum, et nos cum Iesu suscitabit [cf. 1 Cor. 6, 14] et constituet vobiscum" 4, 14), sed clare etiam exhibetur desiderium apostoli, ut sine morte (sine destructione domus terrestris: 5, 1) superinduatur gloria caelesti quasi tunica super vestem (5, 2 4). Simul autem in iudicio universali omnes apparituros esse dicit „ante tribunal Christi" (5, 10; cf. Gal. 6, 7 sqq.).

Eadem idea, quam legimus in utraque epistula ad Corinthios, Deum scilicet suscitare christianos sicut Christum suscitavit, recurrit in *epistula ad Romanos* (8, 11): „qui suscitavit Iesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis". In expositione sortis populi Israel indicat parusiam Christi eventuram post conversionem Israel: „Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc: . . . quia caecitas (obcaecatio, πώρωσις) ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret; et sic omnis Israel salvus fie(re)t . . ." (11, 25 sq.; cf. Luc. 21, 24). — Lectores suos apostolus adhortatur, ut de somno surgant; „nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus" (ad fidem pervenimus; 13, 11).

697. In epistulis *captivitatis* exspectatio adventus Christi non minus clare exprimitur quam in prioribus; Paulus autem ipse — captivus — simul indicat possibile esse, ut moriatur, antequam viderit parusiam. Et *Philippenses* quidem monet, ut, sicut Deus opus suum perficiet „usque in diem Christi Iesu" (1, 6), ita et ipsi perficiantur in omni opere bono „in diem Christi" (1, 10), ad gloriam Pauli „in die Christi" (2, 16). „Nostra autem conversatio (vel vitae ratio vel civitas: πολίτευμα) in caelis est, unde etiam salvatorem exspectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae . . ." (3, 20 sq.). Hinc: „gaudete in Domino semper. . . . Dominus prope est" (4, 4 sq.), sive apparet in parusia gloriosa, sive in morte. „Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum . . . quid eligam ignoro . . . dissolvi et esse cum Christo multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos" (1, 21—24).

Etiam *Colossenses* adhortatur Paulus, ut memores sint *civitatis* suae caelestis: „. . . quae sursum sunt quaerite . . . quae sursum sunt sapite. . . . Mortui enim estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit, vita vestra,

tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria" (3, 1—4). Inde: „tempus redimentes" (τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενοι, 4, 5) sitis; nescimus enim, quando Dominus venturus sit; semper prope est, ante ianuas.

In epistula ad *Ephesios* de adventu Christi simili plane ratione loquitur ac in epistula ad Romanos (8, 11): „Et nolite contristari Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis" (εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως, 4, 30), sed ut sapientes redimite tempus; „quoniam dies mali sunt" (5, 16; cf. Col. 4, 5). „Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo . . ." (6, 13).

698. Epistulae porro *pastorales* atque imprimis secunda ad Timotheum, ultima scilicet, quam Paulus scripsit, duplicem quasi adventum Christi distinguunt, alterum in morte, alterum in die iudicii universalis. *Tito* scribit Christum apparuisse (ἐπεφάνη), ut „sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum (ἐπιφάνειαν) gloriae magni Dei et salvatoris nostri Iesu Christi . . ." (2, 12). — *Timotheum* monet, ut servet „mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum (ἐπιφάνεια) Domini nostri Iesu Christi, quem suis temporibus (καιροῖς ἰδίοις) ostendet beatus et solus potens, rex regum et dominus dominantium . . ." (1 Tim. 6, 14 sq.). — In *secunda ad Timotheum* Paulus exspectat mortem sibi imminentem, sed plenus fiducia, certus, „quia potens est (Christus) depositum meum servare in illum diem" (1, 12), qui etiam retribuet Onesiphoro beneficium apostolo praestitum (1, 18). In fine vero Paulus Timotheum adiurat per Deum et Iesum Christum, „qui iudicaturus est vivos et mortuos, per adventum (ἐπιφάνειαν) ipsius et regnum eius" (4, 1), ut opus evangelicum meliore quo possit modo adimpleat. Ipse enim apostolus est in eo ut sicut libamentum effundatur, morte scilicet gloriosa pro Christo tolerata. „Tempus resolutionis (ἀναλύσεως, cf. Phil. 1, 23) meae instat. . . . In reliquo reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex (cf. 1, 12); non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum (ἐπιφάνειαν) eius" (4, 6—8). „Liberabit (*Vg*: liberavit) me Dominus ab omni opere malo et salvum faciet in regnum suum caeleste . . ." (4, 18).

Epistula denique *ad Hebraeos* vocat tempus messianicum, per Christum adductum „novissime diebus istis" (ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων, 1, 2; cf. Act. 2, 17). Utitur deinde voce *finis* (τέλος, 3, 6 14; 6, 11) sive vitae sive huius saeculi (cf. 6, 8; 7, 3; porro 1 Cor. 15, 24; 1 Petri 4, 7; Iac. 5, 11) seu consummationis, quam exspectant christiani sensu pleniore quam illi, qui vivebant

sub V^e^ T^o^ (11, 40), „regnum immobile suscipientes" (12, 28). „Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium, in sanguine testamenti aeterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono . . ." (13, 20 sq.).

699. b) Ex *epistulis catholicis* hi fere textus in quaestionem veniunt:

Iacobus divites alloquitur: „Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus (ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, 5, 3). Addit deinde monitionem ad omnes spectantem: „Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini" (ἕως τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου, 5, 7) . . . quoniam adventus Domini appropinquavit" (ὅτι ἡ παρουσία τοῦ κυρίου ἤγγικεν, 5, 8); . . . ecce iudex ante ianuam assistit" (πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν, 5, 9).

Prima epistula Petri testatur Christum resurrectione sua spem fundasse christianorum „in hereditatem incorruptibilem . . . conservatam in caelis . . . paratam revelari in tempore novissimo" (ἀποκαλυφθῆναι ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, 1, 4 sq.), quam exspectent christiani semper parati, „succincti lumbos mentis" suae (1, 13). Similis ratio recurrit 4, 7 sq.: „Omnium autem finis appropinquavit (τὸ τέλος ἤγγικεν); estote itaque prudentes et vigilate in orationibus." Speciatim presbyteri sunt participes gloriae Christi, „quae in futuro revelanda est" (μελλούσης ἀποκαλύπτεσθαι δόξης, 5, 1). Omnes autem vocavit Deus „in aeternam suam gloriam in Christo Iesu" (5, 10).

In *altera epistula* apostolus indicat mortem sibi brevi imminentem („certus quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Iesus Christus significavit mihi"; 1, 14); deinde in tertio capite refutat certas quasdam opiniones falsas, quae veniunt in novissimis diebus (ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν, 3, 3), et dicunt: „Ubi est promissio adventus eius?" (ἡ ἐπαγγελία τῆς παρουσίας αὐτοῦ; *Vg*: promissio aut adventus eius; 3, 4). Petrus respondet caelos, qui nunc sunt, et terram reservata esse in diem iudicii, igni comburenda. Quando vero hic dies veniat, incertum est; nam „unus dies apud Dominum sicut mille anni . . . Dominus . . . patienter agit. . . . Adveniet autem dies Domini (ἡμέρα κυρίου) ut fur . . . (christiani vero exspectent et properent) in adventum diei Domini (τὴν παρουσίαν τῆς τοῦ θεοῦ ἡμέρας; 3, 7—12). Christo „gloria et nunc et in diem aeternitatis (εἰς ἡμέραν αἰῶνος). Amen" (3, 18).

Ioannes eundem modum loquendi servat nominans „antichristos" haereticos scilicet gnosticos [12]: „unde scimus quia novissima hora est" (1 Io. 2, 18; ἐσχάτη ὥρα ἐστίν). — Postmodum nominat diem iudicii (ἡμέρα τῆς κρίσεως, 4, 17).

In conclusione denique ultimi libri N[i] T[i], *Apocalypsis* Ioannis, legimus haec: „Ne signaveris verba prophetiae libri huius; tempus enim prope est. . . . Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua" (22, 10, 12). Et porro: „Dicit qui testimonium perhibet istorum: Etiam, venio cito! Amen! — Veni, Domine Iesu!" (22, 20). —

Et haec quidem sunt principalia, quae in quaestione nostra discutienda considerari oportet; alii quidam textus in ipsa inquisitione allegabuntur. Hinc iam de sensu horum testium eorumque vel consensu vel dissensu atque de ipsius Ecclesiae primitivae sententia de parusia Domini agamus.

2. Quidnam apostoli de secundo adventu Christi senserint.

700. a) *Quaestio iuris.* — Infallibilitas apostolorum, de qua loquimur, respicit solum *munus* eorum *doctrinale,* i. e. actus docendi, quos exercent *ut* legati Christi, doctrinam Christi authentice proponentes. Hinc non negamus apostolos in aliis, quae vel non spectant ad depositum fidei, vel quae non ut legati Christi, authentice, proferunt, posse *errare.* Ut exemplum talis asserti afferri solet verbum Pauli in oratione Mileti habita (Act. 20, 25): „Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes"; quia postmodum, priore scilicet captivitate superata, iterum in Asia atque etiam Ephesi (1 Tim. 1, 3) et Mileti fuit, ubi reliquit Trophimum, ephesinum, aegrotum (2 Tim. 4, 20). *At* nullo modo constat Paulum *certo* affirmasse se non iam visurum esse ephesinos episcopos et presbyteros. Probabiliter ex iis, quas Spiritus Sanctus ei praedixerat, persecutionibus (Act. 20, 23; cf. 21, 11 sqq.) vel ex consilio, quod ceperat eundi Romam et ulterius (Rom. 15, 22 sqq.), conclusionem deduxit fore ut forte non iam videret ecclesiam ephesinam. Si vero Paulus in hac assertione erraverit, error etiam in Sacra Scriptura *referri* potuit ab hagiographo.

Aliud dicendum est de opinione errorem non tantummodo posse *referri* a sacro auctore, sed etiam *asseri ut opinionem propriam.* Quaeri scilicet potuit, num forte hagiographus errorem aliquem non quidem ut doctrinam Christi, sed ut propriam persuasionem proferre possit, ita ut e. g. in quaestione de adventu Domini altero Paulus ut apostolus quidem Christi clare doceat tempus esse incertum, sed subiectivam opinionem addat se ipsum adhuc vivum parusiam Domini visurum esse. Responsum huius quaestionis dependet a notione et ab extensione inspirationis, qua, si re vera Deus fit libri sacri auctor, „omne id, quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat, retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto"; hinc dici nequit apostolos, „licet sub inspiratione Spiritus Sancti nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit" (*Resp. Comm. de re Bibl.* 18 Iunii 1915; *D* 2180). Sed de hac quaestione alibi fusius agendum erit, postquam de indole inspirata Sacrae Scripturae constat. Nostrum autem erit quaestionem facti aggredi: numquid videlicet apostoli adventum Christi mox et proxime certo instare docuerint necne.

701. b) *Quaestio facti.* — Ex iis quae supra (*Ass. 4,* n. 109 sqq.) disputata sunt, apparet apostolos persuasum habuisse *Regnum Dei,* i. e. messianicum, cum bonis messianicis iam adesse et quidem in Ecclesia Christi (n. 128 sqq.). Tempus igitur salutis, „dies novissimi" iam advenerunt, sicut Petrus praedicat in prima sua oratione Hierosolymis habita (Act. 2, 17). Hoc salutis tempus durabit usque ad alterum Christi adventum, ad reditum scilicet eius, ut iudicet gentes (cf. Act. 1, 11). — Extra controversiam porro admittitur viguisse in Ecclesia primaeva persuasionem: tempus huius adventus esse incertum, saltem eatenus quod dies et mensis et annus determinari nequeat; Christum autem subito appariturum esse (cf. n. 115 sqq.). — Porro aliqua saltem facta historica parusiam Christi certo praecedent, sicut destructio Urbis sacrae. — Nullum denique erat dubium secundum fontes nostros omnes: *singulos* christianos non esse certos se adventum Christi gloriosum visuros esse vivos; nam christiani moriebantur vel interficiebantur, ut Stephanus (Act. 7, 60) atque ipsi apostoli, ut Iacobus Zebedaei (Act. 12, 2); immo in ecclesia Thessalonicensium, recenter a Paulo fundata, mors plurium christianorum quodammodo christianos anxiavit de eorum sorte. Porro Paulus saltem possibile habet se moriturum esse (Act. 20, 25; 21, 11 sqq.; cf. supra n. 700; de testimonio ipsius apostoli infra); de Petri autem morte et martyrio circumferebatur effatum ipsius Domini (Io. 21, 18 sq.; 2 Petri 1, 14), et aliud de Ioannis sorte, ab ipso Ioanne refutatum ut male intellectum (Io. 21, 20 sqq.). Hinc quaestio id solum respicere debet, *num apostoli et Ecclesiae primaevae christiani persuasum habuerint parusiam Domini tam proxime instare ut certe homines nunc (tunc) viventes* (e. g. aliqui saltem ex apostolis, ut Ioannes) *eam visuri essent.*

702. Consideremus singulorum auctorum, quorum textus supra recensuimus, sensum et sententiam, ad parusiam Christi eiusque tempus quod attinet.

Et *Paulum* quidem aiunt manifestare in epistulis suis evolutionem quandam eo sensu ut in primis epistulis clare exprimat persuasionem se vivum visurum esse adventum Christi; in posterioribus autem, experientia edoctum, mortem suam praeviam vel ut possibilem vel ut certam considerasse. Et re quidem vera: certa quaedam evolutio concedenda videtur, quae iam ex usu eius loquendi elucet. Nam in prioribus epistulis utitur voce

παρουσία (praesentia: 1 Thess. 2, 19; 3, 13; 4, 15; 5, 23. 2 Thess. 2, 1 8. 1 Cor. 1, 8; 15, 23; cf. Matth. 24, 3 27 37 39; Iac. 5, 7 8; 2 Petri 1, 16; 3, 4 12; 1 Io. 2, 28); postmodum autem ἐπιφάνεια (splendor seu maiestas: Tit. 2, 13. 1 Tim. 6, 14. 2 Tim. 1, 10; 4, 1 8; cf. Tit. 2, 11; 3, 4: ἐπιφαίνειν, sed etiam 2 Thess. 2, 8: ἡ ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας)[13]. Ceterum ex hoc usu loquendi diversitas quoad ipsam exspectationem adventus Christi minime deduci potest, nisi in eo quod *parusia* de solo altero adventu, *epiphania* autem de priore et de altero adventu (ad iudicium sive universale sive particulare) Christi adhibetur. Terminus deinde longe plurimum adhibitus est *„dies"* (Christi, vel Domini, vel ille, vel iudicii, vel redemptionis), inde a prima usque ad ultimam epistulam. Dies vero „ille" alterum adventum Christi non solum ad iudicium universale significat sed etiam ad iudicium particulare, quod sequitur mortem singulorum hominum; idque clarius in epistulis ultimis Pauli[14]. De propria morte Paulus loquitur tamquam de solutione (ἀνάλυσις, 2 Tim. 4, 6; cf. Phil. 1, 23); simili ratione 2 Cor. 5, 1 de dissolutione (καταλύειν) domus huius habitationis (cf. 2 Petri 1, 14: depositio tabernaculi mei: ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματος). — Hic igitur usus loquendi *evolutionem* quandam significare videtur ea lege ut Paulus progrediente tempore clarius distinguat inter adventum Christi ad iudicium particulare et ad iudicium universale. Estne hoc verum? Et porro: poterit quidquam ex hoc usu loquendi deduci relate ad sententiam Pauli de tempore parusiae Christi? Quaestio haec inspicere et examinare debebit imprimis epistulas priores inde a *prima ad Thessalonicenses.*

703. Et in hac quidem epistula dicitur inveniri clarum Pauli *effatum de tempore adventus Domini,* in iis scilicet verbis quibus opponit eos, „qui dormierunt (mortui sunt) per Iesum", *nobis,* „qui vivimus, qui residui sumus (relinquimur) in adventum Domini" (οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι, 4, 14 sq.). Numquid igitur Paulus certus est se ipsum cum christianis thessalonicensibus (vel omnibus vel aliquibus) vivum visurum esse parusiam Christi? Hoc videtur esse impossibile, inspecta condicione ecclesiae Thessalonicensium, quae premitur persecutionibus (2, 14 sq.) atque iam mortuos suos (aliquos vel plures) deplorat (4, 13 sqq.). Insuper apostolus eis in memoriam revocat doctrinam suam de adventu Domini: dies Domini veniet sicut fur in nocte (5, 2), ex inopinato. Paulus igitur certe idem docet quod Christus (secundum evangelia; cf. Matth. 24, 37 sqq.) et diserte asserit diem esse incertum; immo cum iisdem evangeliis — vel traditionibus evangelicis et praedicationibus

ceterorum apostolorum — christianos instruit certa quaedam facta hunc adventum Christi praecessura esse. Quae sunt „discessio" seu defectio (ἀποστασία, 2 Thess. 2, 3) et adventus „hominis peccati" et „filii perditionis", qui dicitur habere aliquam relationem ad templum (2, 4), cuius destructio a Christo praedicta est (Matth. 23, 38; 24, 1 sqq. Marc. 13, 1 sqq. Luc. 21, 6 24; cf. 13, 34 sq.). Haec omnia nondum evenerunt, cum Paulus alteram epistulam ad Thessalonicenses scriberet; nam adhuc aliquis „detinet" adventum *antichristi*[15], quem christiani thessalonicenses, sicut omnes christiani, bene norunt (2, 5 sq.). Quaestio quidem, quisnam sit ὁ κατέχων vel quidnam τὸ κατέχον, a nobis difficillime solvitur[16] atque responsa maxime varia invenit; nostrae autem inquisitioni sufficit, ut Paulus neget diem Domini instare proxime (2, 2), et affirmet ante adventum Christi praecedere scelus immane hominis peccati in templo Domini patratum, ipsius filii perditionis apparitionem, quae possibilis erit, quam primum ὁ κατέχων e medio tollitur vel sublatus est[17], et — secundum epistulam ad Romanos (11, 25; cf. Luc. 21, 24) — conversionem Israel.

Quibus expositis haud sane probabile videtur esse Paulum, qui horum eventuum tempus nescit, *certo* parusiam Domini se visurum esse affirmare. Hinc, si verba in priore epistula ad Thessalonicenses relata (4, 15 17) alium sensum admittunt atque absolutum, hic praeferendus et admittendus est. Iamvero praeter absolutam etiam *condicionatam* assertionem continere possunt: scilicet participia illa ἡμεῖς οἱ ζῶντες, οἱ περιλειπόμενοι apte ita solvuntur ut exhibeant condicionem: *„si* scilicet tunc adhuc vivimus et relinquimur" vel *„quotquot* residui erimus"[18]. Quae solutio confirmatur ex aliis Pauli epistulis.

704. In *prima epistula ad Corinthios* verba aliqua Pauli leguntur, quae considerari possunt tamquam correspondentia eis, quae modo examinata sunt. In refutatione errorum circa resurrectionem mortuorum (15, 1 sqq.) dicit: „Omnes quidem non dormiemus (moriemur), omnes autem immutabimur" (*Vg:* Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur), significans aliquos vivos visuros esse adventum Christi, et quidem, si verba haec sensu absoluto sumuntur, ex iis qui tunc (tempore Pauli) vivebant; *at* idem Paulus in eadem epistula bis loquitur de resurrectione ea ratione ut se ipsum includere videatur in numerum resuscitandorum: „Deus vero et *nos* suscitabit per virtutem suam" (6, 14), vel resurrectionem *universalem* videatur admittere: „. . . per hominem (Christum) resurrectio mortuorum . . . in Christo *omnes* vivificabuntur . . . primitiae Christus; deinde ii qui sunt Christi

in adventu eius, deinde finis" (15, 21—23). Numquid ex hisce Pauli verbis deduci potest Paulum *certo* affirmare se moriturum esse et resurrecturum? Similiter alloquitur in epistula *ad Romanos* christianos: „(Deus) vivificabit mortalia corpora vestra ..." (8, 11; cf. 2 Cor. 4, 14), scilicet sicut suscitavit Iesum ex mortuis. Haec autem secundum sensum Pauli *condicionate* intellegi debent: scilicet ii, qui in adventu Christi iam dormierunt, resuscitabuntur; alii autem, qui vivi videbunt Christum venientem ad iudicium, tantummodo, simul cum resuscitatis, immutabuntur. *Certum* autem iudicium, *quinam* ex tunc viventibus ad hos vel illos pertineant, Paulus non tulit.

Idipsum deinde clare apparet ex epistula *ad Philippenses.* In hac epistula occurrit expressio aliqua, quae per se sola considerata videri possit ostendere apostoli persuasionem parusiam Domini *instare:* „Dominus prope est!" (4, 5.) *At* in eadem epistula Paulus patefacit desiderium mortis (1, 21 sqq.). Et simile quid valet de epistulis pastoralibus, quae designant eadem voce *epiphaniae* et primum adventum Christi et alterum, sive in iudicio particulari post mortem sive ad iudicium universale in fine mundi.

Quae cum ita se habeant, merito *negatur Paulum certo iudicio affirmasse* vel *seipsum* vel quemquam ex christianis tunc viventibus *visurum esse parusiam Christi. At* omnino admittimus Pauli verbis subesse et persuasionem adventum Christi gloriosum *posse* contingere iam tempore vitae ipsius apostoli, et hoc quidem consonanter ad verba Christi; porro exprimi vivum *desiderium* huius parusiae (cf. 2 Cor. 5, 1 sqq.), quod paulatim demum, tardante parusia, mitigatur atque modificatur et transmutatur in desiderium mortis (Phil. 1, 23).

705. Reliquum est ut *ceteros* quoque *fontes* examinemus; e quibus tamen novum vel determinatum quid relate ad tempus parusiae Domini non discimus. In *epistula Iacobi* parusia Domini nominatur et adhibetur ut motivum vitae christianae; et quidem, ut videtur, non solum parusia ad iudicium universale sed etiam ad particulare (5, 7 sqq.). Iudex est ante portas; omnes proinde parati sint, ut eum ingredientem suscipiant. Idem valet de parusia Domini; semper prope est; sed quandonam veniat, incertum manet. „Patientes igitur estote usque ad parusiam Domini" (5, 7). Ita etiam *Petrus* dicit iudicem semper esse promptum „iudicare vivos et mortuos" (1 Petri 4, 5); nam „omnium finis appropinquavit" (4, 7), tempus messianicum adest, cuius hereditas praeclara se manifestabit plene in revelatione Iesu Christi (1, 3 sqq.). Ipse quidem apostolus antea mortem subibit, secundum vaticinium

Domini (2 Petri 1, 14 sq.); ergo de tempore nil determinatur. Hanc eandem persuasionem exprimit *EvIo.* (21, 18): Petrum scilicet testimonium sanguinis redditurum esse pro Christo; simul Ioannes destruit famam quandam, quae nitatur in verbo Domini, scilicet se, Ioannem, permansurum esse usque ad adventum Domini („donec veniam", ἕως ἔρχομαι, 21, 22). Sed „non dixit ei Iesus: Non moritur!" (21, 23). Notatu dignum est effatum Christi ab Ioanne relatum: „Et si abiero et praeparavero vobis locum (ait Iesus apostolis suis), iterum venio (πάλιν ἔρχομαι) et accipiam vos ad meipsum ..." (14, 3). Illud autem „*venire*" Iesu Christi non refertur ad iudicium universale, sed ad particulare post mortem apostolorum, sicut tempore compositionis quarti evangelii, mortuis scilicet plurimis apostolis, extra dubium erat. Ergo expressiones tales, quales occurrunt in *epistulis Ioannis:* „novissima hora est" (1 Io. 2, 18), et similes, de parusia quidem Christi intelleguntur, sed tempus adventus Domini neutiquam definiunt ut proxime instans. Ulterius autem sequitur magna cautela opus esse in interpretatione textuum, qui spectant ad parusiam eiusque tempus designare videntur. Christianis nimirum in animo haerebat verbum Domini: „Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate" (Act. 1, 7).

706. Quae si *complectamur,* ita fere *sententiam* et *dispositionem* Ecclesiae primaevae describere possumus: Aderat *certe persuasio* Dominum ad iudicium universale *rediturum* esse; *tempus* huius adventus esse *incertum,* ita quidem ut iam fieri possit primis adhuc christianis viventibus, si scilicet certa *quaedam facta,* a Christo annuntiata, praecessissent. Sed haec facta eiusmodi esse videbantur, quae contingere *possent* brevi. Hinc *possibile* erat Christum *mox* appariturum esse. Haec possibilitas semper praesens eo magis mentibus christianorum obversabatur, quo ardentius parusia Christi *desiderabatur* vel ob Christi amorem (cf. Phil. 1, 21: „mori lucrum") vel ob pericula et persecutiones, quae opprimebant christianos; quo saepius porro adventus Domini tamquam motivum vitae christianae adhibebatur. Paulatim tamen ipsa historica evolutione (cf. 2 Petri 3, 4: „Ubi est promissio [aut] adventus eius?") ardor quidem exspectationis temperabatur, persuasio tamen manebat Dominum sicut furem nocte appariturum esse (3, 10) et apparere posse brevi (3, 9). Et haec quidem persuasio, verbis ipsis Domini consona, semper in Ecclesia permansit, modo vivax modo latens: „Dominus prope est" [19].

707. NOTAE. — **1** Cf. *L. Billot,* Tractatus de Ecclesia Christi II (Romae 1899) 52; *H. Felder,* Apologetica. II: Demonstratio catholica (Paderborn 1920)

206 sqq., cum bibliographia. — **2** De haereticis antiquis, negantibus infallibilitatem Ecclesiae, cf. *I. Ottiger*, Theol. fund. II 6 sqq.; de gnosticis e. g. *Irenaeus,* Adv. haer. 3, 5, 1; *Tertullianus,* De praescr. haer. 22; de Marcione *Th. Zahn**, Gesch. des neutest. Kanons II 409 sqq.; *A. v. Harnack**, Marcion. Das Evangelium vom fremden Gott (Texte u. Unters. XLV, ²Leipzig 1925); cf. Stimmen der Zeit CIII (1922) 17 sqq. — **3** *E. Haupt**, Zum Verständnis des Apostolats I (Halle 1895) 1: „Beide Kirchen (Ecclesia catholica et protestantes) sahen in den Aposteln die Träger der Regierungsgewalt und der Lehrauktorität, doch so, daß der römischen der Nachdruck mehr auf jene, der evangelischen auf diese Seite fiel. Aber nach römischer Anschauung haben die Apostel ihre Auktorität den Bischöfen als ihren Nachfolgern hinterlassen: diese haben wenigstens in ihrer Gesamtheit, bez. in ihrem Haupte, an der Infallibilität der Apostel Anteil. Dies leugnet der Protestantismus: er kennt keine unfehlbare Kirche, und daher ist ihm die Stellung der Apostel eine noch viel einzigartigere. . . . Sie sind die einzige Auktorität in der Kirche. . . . Aber für beide Kirchen ist das Fundament ihrer Anschauung von den Aposteln deren persönliche Berufung durch Christus, welche sie vor allen andern auszeichnet und ihre Infallibilität verbürgt." — **4** *H. I. Cladder,* Unsere Evangelien (Freiburg 1919) 179 sqq. — **5** *K. Pieper,* Die Missionspredigt des hl. Paulus. Ihre Fundstellen und ihr Inhalt. Eine bibl.-theol. Untersuchung (Predigt-Studien IV [Paderborn 1921] 62 sqq. 75 sqq.). — **6** *F. Zorell, LG* s. v. μετά 353 sq.; de usu in V° T° cf. *I. Ottiger* l. c. II 9 sq. — **7** De usu particulae καί vide *Zorell* l. c. s. v. καί 274 sqq. — **8** Concordat Ioannis evangelium, quatenus paraclitus mittitur a Christo: „quem ego mittam vobis a Patre" (15, 26; cf. 16, 7); Pater mittet „alium" paraclitum, rogatus a Christo (14, 16) vel in nomine Christi (14, 26). — **9** Cf. e. g. *W. Schmidt,* Die Uroffenbarung als Anfang der Offenbarungen Gottes (*Esser-Mausbach,* Religion, Christentum, Kirche I⁵ [1923] 539 sq., cum bibliographia). — **10** De infallibilitate V^is^ T^i^ cf. *I. B. Franzelin,* Theses de Ecclesia Christi (Romae 1887) thes. 3, p. 21 sqq.; *N. Peters,* Die Religion des A. T. (*Esser-Mausbach* l. c. II⁵ 1 sqq., cum bibliographia). — **11** Obiectiones, quae fieri solent, v. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. I⁶/⁷, n. 270; *idem,* Compendium I², n. 189 sqq.; *I. Ottiger* l. c. 23 sqq. — **12** Cf. *H. I. Cladder,* Cerinth und unsere Evangelien (Bibl. Zeitschr. XIV [1919] 317—332). — **13** De usu profano vocum *„parusiae"* et *„epiphaniae"* cf. *A. Deissmann**, Licht vom Osten ¹1908, 269 sqq., ⁴1923, 314 sqq. — **14** *„Dies"* sensu eschatologico variis cum determinationibus occurrit, scilicet: dies Dei: 2 Petr. 3, 12; — dies Domini: 1 Thess. 5, 2. 2 Thess. 2, 2. 1 Cor. 1, 8; 5, 5. 2 Cor. 1, 14. 2 Petri 3, 10; — dies Christi: Phil. 1, 6 10; 2, 16; — dies Filii hominis: Luc. 17, 26 30; — dies meus (Christi): Io. 8, 56; — dies (sine addito): Hebr. 10, 25; — dies iudicii: Matth. 10, 15; 11, 22 24; 12, 36. 2 Petri 2, 9; 3, 7. 1 Io. 4, 17. Iud. 6; cf. Rom. 2, 5 16; — dies redemptionis: Eph. 4, 30; cf. Luc. 21, 28; — dies aeternus (saeculi): 2 Petri 3, 18; — dies magnus: Apoc. 6, 17; 16, 14. Act. 2, 20; — dies extremus seu ultimus: Io. 6, 39 40 44 54; 11, 24; 12, 48 (cf. in ultimis diebus: 2 Tim. 3, 1. Iac. 5, 3. Hebr. 1, 2; in ultimo tempore: 1 Io. 2, 18. 1 Petr. 1, 5. Iud. 18); — dies ille: Matth. 24, 36. Marc. 13, 32. Luc. 10, 12; 17, 31; 21, 34. 2 Thess. 1, 10. 2 Tim. 1, 12 18; 4, 8; cf. Apc. 16, 14. — **15** Nomen hoc occurrit tantum apud Ioannem: 1 Io. 2, 18 22; 4, 3. 2 Io. 7; cf. *pseudochristus:* Matth. 24, 24. Marc. 13, 22. — **16** *V. Hartl* in Zeitschr. für kath. Theol. XLV (1921) 455—475 contendit ὁ κατέχων esse Iacobum fratrem Domini et episcopum ecclesiae hierosolymitanae, qui anno 63 necatus sit a Iudaeis, et τὸ κατέχον cultum legitimum templi, a quo christiani eodem tempore exclusi

sint decreto sollemni synedrii. — **17** De eschatologia 2 Thess. cf. *I. Wrzol,* Die Echtheit des zweiten Thessalonicherbriefes (Bibl. Studien XIX, 4. Heft [Freiburg 1916], 112 sqq.). — **18** Hanc solutionem proponit et propugnat *U. Holzmeister* in Zeitschr. für kath. Theol. XL (1916) 167 sqq., explicans Responsum *Commissionis de re Bibl.* 18 Iunii 1915 (*D* 2179 sqq.), quod in tertia parte speciatim considerat 1 Thess. 4, 15—17 atque decernit nullam hisce versibus involvi affirmationem parusiae proxime instantis secundum sensum Pauli. — **19** Cf. Commentarii in respectiv. libros N^i^ T^i^.; speciatim de hac nostra quaestione e. g. *F. Tillmann,* Die Wiederkunft Christi nach den paulinischen Briefen (Bibl. Studien XIV, 1./2. Heft, Freiburg 1909); *I. Knabenbauer* in Stimmen aus Maria-Laach LXXIV (1908) 487 sqq.; *I. Rohr,* Die Geheime Offenbarung und die Zukunftserwartungen des Urchristentums (Bibl. Zeitfragen IV, 4, Münster 1911); *A. Lemonnyer,* art. „Fin du monde" in Dict. apolog. I (1910) 1911 sqq.; hi autem commentarii priores conferendi sunt cum Responso *Comm. de re Bibl.* „De parousia seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi in epistulis sancti Pauli Apostoli" (*D* 2179 sqq.), de quo *L. Billot* in Études CLI (1917 II) 545 sqq. 681 sqq.; CLIII (1917 IV) 273 sqq.; CLIV (1918 I) 137; CLV (1918 II) 129 sqq.; CLVII (1918 IV) 262 sqq.; CLIX (1919 II) 5 sqq.; CLX (1919 III) 129 sqq.; *L. Méchineau* in Civiltà cattolica 1918 III 481 sqq.; 1918 IV 16 sqq. 199 sqq. 375 sqq.; 1919 I 31 sqq. 202 sqq.; 1919 II 204 sqq. 415 sqq.; *F. Prat,* La théologie de S. Paul I¹⁰ (1924) 89; II⁷ (1923) 427 sqq.

CAPUT II.

DE SUBIECTO SEU ORGANO MAGISTERII ECCLESIAE.

708. Munus magisterii, a Christo institutum et Ecclesiae suae traditum, requirit subiectum seu organum, quod exerceat officium doctrinale, cui scilicet Christus dedit missionem doctrinalem simul cum auctoritate propria, qua possit et debeat omnes homines nomine Christi docere revelationem Christi. In hoc quidem capite secundo *quaerimus, quinam sint,* quibus in Ecclesia *traditum sit munus doctrinale,* seu quinam sint *magistri authentici ecclesiastici,* et quidem ex voluntate Christi et vi institutionis Christi.

Nullum iam dubium est *apostolos* primos fuisse magistros authenticos, quibus nimirum ipse Christus immediate munus magisterii contulit. Neque illorum munus doctrinale iterum demonstrabitur. Inquisitio igitur nostra tendit in id, ut ostendat, quinam *apostolorum successores* in munere magisterii fuerint et sint, ad quosnam magisterium Christi legitime transierit per apostolos et in apostolis. Simul deinde *altera quaestio,* intime conexa cum priore, solvi debet, quaenam horum successorum sit *auctoritas* doctrinalis. Estne eadem ac apostolorum? Gaudentne successores apostolorum, magisterium ecclesiasticum perenne, eadem praerogativa *infallibilitatis* atque ipsi apostoli? quanam ratione? quonam ambitu? sub quibusnam condicionibus?

Cui disquisitioni *praemittimus* pauca quaedam (1) de infallibilitate *singulorum* apostolorum et (2) de *relatione,* quae intercedit inter *auctoritatem* doctrinalem et *infallibilitatem.* Deinde (3) ordinem capitis adumbrabimus.

709. 1. Apostolos esse infallibiles ex verbis Christi atque consensu Ecclesiae deductum est in assertione praecedente. At nondum constat, quidnam valeat de *singulis* apostolis; nam verba Christi directa sunt ad omnes apostolos duodecim (vel undecim) *ut collegium.* Hinc videri possunt gaudere apostoli infallibilitate tunc tantummodo, cum collegialiter agunt, consentientes de aliqua doctrina tamquam doctrina Christi. Et re quidem vera: *ex verbis Christi* in se consideratis infallibilitas *singulorum* apostolorum — si excipias Petrum, de quo speciatim agendum est (cf. *Ass. 28,* n. 747 sqq.) — nequit inferri. Attamen ex alio fonte, ex consensu scilicet Ecclesiae primitivae hanc ipsam singulis quoque apostolis competere sequitur. Testis nobis est *Paulus.* Ipse enim apostolo ut tali, non solum collegio, attribuit infallibilitatem, et sibi ipsi, et ex paritate iuris, aliis apostolis. Simul autem ex eodem consensu apparet hanc praerogativam fuisse *personalem,* apostolis ut talibus, i. e. *ut Christi legatis immediatis,* concessam, quae non transierit ad successores in eorum munere doctrinali. Sed de hac quaestione in assertione sequenti.

710. 2. Altera quaestio solvenda, antequam de organo magisterii atque de eiusdem auctoritate agamus, spectat *relationem inter auctoritatem doctrinalem* et *infallibilitatem.* Quaeri nimirum potest et debet, num quaevis auctoritas doctrinalis secum ferat infallibilitatem doctrinae, sive num quivis magister authenticus qua talis sit infallibilis, et quidem in quolibet actu docendi.

In responso *distinguendi* erunt magistri *authentici* et alii, qui ab authenticis auctoritatem aliquam docendi acceperunt, *auxiliares.*

Et primum quidem, quod ad magistros *authenticos* attinet, valet vi assertionis praecedentis principium: Magister authenticus est infallibilis, si (1) habet plenam auctoritatem doctrinalem, a Christo Ecclesiae traditam, eamque (2) summo gradu exercere vult et exercet. Duae igitur *condiciones* vel restrictiones considerandae sunt: altera ex parte auctoritatis, altera ex parte exercitii. De *priore* agendum erit hoc ipso capite secundo, quo ostendetur non omnes magistros authenticos plena gaudere auctoritate doctrinali neque infallibilitate (e. g. episcopos singulos seorsum spectatos). *Altera* condicio deducitur ex exercitio auctoritatis doctrinalis. Neque enim ille, qui (ut Concilium Oecumenicum vel Romanus Pontifex) gaudet summa auctoritate doctrinali, ideo cogitur eadem semper summo gradu uti; sed poterit decisionem aliquam doctrinalem proponere ut probabilem, vel etiam ut certam at non absolute et definitive; aliis verbis: usus auctoritatis dependet a libera voluntate magistri authentici. Haec autem condicio probatur tum ex natura rei tum ex usu magisterii ecclesiastici. Magisterium enim Ecclesiae ab hominibus exercetur in societate religiosa Ecclesiae, modo humano pro hominibus, prout fert necessitas et opportunitas, evolutionis et progressus, (cf. *Ass. 30,* n. 815 sqq.), loci et temporis et quaestionis ratio. Hoc idem testatur et comprobat Ecclesiae ac magisterii historia et modus procedendi, quae non solas definitiones et decreta peremptoria atque irrevocabilia et irreformabilia, quia infallibilia, edidit, sed plurimas decisiones, quibus vim absolutam non vindicavit.

De magistris auxiliaribus

711. Praeter magistros authenticos, successores scilicet apostolorum, *alii* etiam, *auxiliares,* exercent munus doctrinale in Ecclesia, nomine et mandato Ecclesiae, auctoritate igitur ab ipsa participata. De quibus, secundum ea, quae modo dicta sunt, haec valent: Gaudent vera auctoritate doctrinali, ipsis non quidem a Christo immediate (sicut magistris authenticis, vi institutionis apostolatus), attamen ab Ecclesia commissa; hinc eis debetur intra ambitum suae potestatis subiectio religiosa. Infallibilitate autem gaudere hi nullatenus possunt. Nam infallibilitatis charisma, assistentia nimirum Spiritus Sancti ab omni errore praeservans, promissum est soli magisterio authentico, et hinc communicari nequit; coniunctum porro est secundum voluntatem Christi cum huius auctoritatis gradu summo, et hinc neque a Christo magistris auxiliaribus communicatur. Ceterum, quid valeant singuli magistri, tuto semper discitur ab ipsa Ecclesia; nam *principium* in hac materia *fundamentale* statui debet hoc: Magisterium infallibile Ecclesiae scire debet et hinc scit ea omnia quae requiruntur, ut munus suum rite excercere valeat; iamvero non potest munere suo rite fungi, nisi infallibiliter certo cognoscat non solum veritatem ipsi concreditam, sed etiam propriae potestatis et auctoritatis ambitum. Quamprimum excederet hunc ambitum, actum esset de infallibilitate. Inde est quod argumentum, petitum ex usu magisterii, est certissimum, dummodo constet de exsistentia infallibilis magisterii.

Licet igitur decisiones non-absolutae magisterii authentici vel doctrinalis auctoritas magistrorum auxiliarium non sint infallibiles, non tamen negatur hos actus *dirigi* certa quadam ratione a *Spiritu Sancto* et *providentia Dei peculiari*; qua omnia reguntur, quae spectant ad religionem christianam tamquam ad corpus

Christi (*Ass. 16*, n. 404 sq.; confer n. 392 et infra n. 928 sqq. 966 sqq.), quod regitur a Deo, „qui operatur omnia in omnibus" (1 Cor. 12, 6).

712. 3. De *ordine* procedendi in hoc capite. — Cum ex assertionibus praecedentibus huius tractatus *constet* Christum apostolis suis *magisterium* ut *munus* tradidisse et quidem perpetuum, cumque ex tractatu priore probatum sit *episcopos* esse *successores apostolorum* in eorum munere essentiali et ordinario, hoc capite agendum erit speciatim de munere et auctoritate doctrinali episcoporum tamquam magistrorum authenticorum. Iamvero alia est condicio Petri eiusque successorum in primatu, alia aliorum episcoporum. Hinc seorsum considerabimus primum *munus doctrinale episcoporum*, quaenam scilicet sit auctoritas *singulorum*, prout suam quisque partem gregis dominici (dioecesim suam) docent, quaenam, si inter se et cum Romano Pontifice coniuncti constituunt magisterium *universale* Ecclesiae, sive per orbem dispersum sive in Concilio Oecumenico collectum. Deinde transibimus ad examinandam potestatem magisterii, qua gaudet *Romanus Pontifex* tamquam Petri successor in primatu, si vel „ex cathedra" seu definitive, summa sua auctoritate utens, loquitur, vel decisiones fert minoris auctoritatis, sive per proprios actus, ut e. g. in encyclicis, constitutionibus, sive etiam per organa sua doctrinalia, Congregationes Romanas. Inde patet *divisio* huius capitis;

Quaestio 1: De auctoritate doctrinali episcoporum, et quidem
- a) singulorum in sua quisque dioecesi docentium,
- b) constituentium magisterium universale.

Quaestio 2: De auctoritate doctrinali Romani Pontificis,
- a) si ex cathedra loquitur;
- b) si minore gradu auctoritatis suae utitur, in specie per Congregationes Romanas.

Quaestio 1. De auctoritate doctrinali episcoporum.

713. In expositione praecedenti iam indicatus est *duplex* quidam *respectus*, sub quo magisterium episcoporum considerari debeat. Episcopi enim proxime regunt et docent illam partem fidelium, quae iis intra Ecclesiam competit, suam nimirum dioecesim; iidem autem simul pertinent ad magisterium universale Ecclesiae, quam ut tales docent collegialiter. Alia vero est eorum auctoritas, si seorsum singuli docent, alia, si ut membra magisterii universalis munere doctrinali funguntur.

A. De auctoritate singulorum episcoporum.

Praeter dioeceses, quibus praesunt episcopi, Ecclesia alias quoque divisiones ordinis maioris habet, *provincias* scilicet *ecclesiasticas,* quae subsunt archiepiscopo vel metropolitae (*CIC* 272). Pronum est atque etiam praescriptum (*CIC* 283), ut talium provinciarum episcopi aliquando conveniant ad discernendas quaestiones ecclesiasticas in *concilia provincialia* quae vocantur. Immo plurium etiam provinciarum antistites convenire possunt in concilium *plenarium* quod vocatur (*CIC* 281). Quaeritur iam, quaenam sit talium conciliorum particularium auctoritas doctrinalis. Ita in assertione sequenti duas partes distinguendas et examinandas habemus: quid nimirum *singuli* episcopi *in sua* quisque *dioecesi* docentes, quid collecti in *conciliis particularibus* (sive provincialibus sive plenariis) valeant.

ASSERTIO 26. Episcopi, licet singuli vel etiam in conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri doctores seu magistri sunt.

714. Ipsa verba huius assertionis desumpta sunt ex *Codice Iuris Canonici* (can. 1326), ut specimen illius claritatis eximiae, qua excellet novi iuris ecclesiastici sylloge. Pauca admodum addenda sunt ad explicandum et determinandum sensum assertionis.

Episcopi intelleguntur „ordinarii", praepositi igitur ecclesiarum particularium, qui eas monarchice regunt, seu, ut eiusdem Codicis verbis utamur: „Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur, quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis" (*CIC* 329). Non igitur respiciuntur episcopi auxiliares (*CIC* 350) vel titulares (*CIC* 348).

Hi quidem episcopi *residentiales,* „ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis" (*CIC* 334, 1), considerantur tum *singuli* quatenus partem Ecclesiae sibi traditam docent, tum ut *membra synodi particularis* cuiuslibet; cuius auctoritas limites provinciae ecclesiasticae, vel territorii etiam maioris cuius praepositi collecti sunt, non excedit. Excluduntur ergo ex hac disquisitione omnes actus doctrinales, qui ab episcopo ponuntur tamquam membro magisterii universalis Ecclesiae.

Actus magisterii ita determinati et circumscripti dicuntur esse *authentici* quidem, positi ex vera auctoritate doctrinali religiosa, cui ex voluntate Christi debetur subiectio interna religiosa, at *non infallibiles,* praeservati nimirum speciali assistentia Spiritus Sancti ab errore. Haec autem auctoritas doctrinalis ipsis non

competit nisi in coniunctione et subiectione sub Romano Pontifice tamquam primate Ecclesiae. Quod quidem hac in assertione non diserte demonstrandum est, cum certum sit ex iis, quae de primatu episcopi romani in priore tractatu disputata sunt (*Ass. 21,* n. 508 sqq.). Ex altera vero parte praeter episcopos (et Romanum Pontificem) nulli sunt magistri authentici in Ecclesia; ceteri vero omnes, qui de facto magisterium exercent, docent ex missione horum magistrorum authenticorum, ut magistri *auxiliares.*

Duae partes huius assertionis agent (I) de auctoritate doctrinali episcoporum, sive singulorum sive in synodis particularibus congregatorum; quae tamen (II) non est absoluta neque infallibilis.

I. Episcopi sunt magistri authentici ex institutione Christi.

1. De singulis episcopis.

715. a) *Factum* constat ex assertione probata episcopos esse *successores apostolorum* in eorum munere ordinario (*Ass. 19,* n. 458 sqq.), ad quod essentialiter pertinet magisterium (*Ass. 24,* n. 641 sqq.). Ipsum igitur Iesu Christi magisterium, quod ut legatus divinus, ut Messias (et Filius Dei naturalis) exercuit (Hebr. 1, 1 sq.), quod deinde apostolis suis duodecim (undecim) commisit (Matth. 28, 18 sqq.) atque etiam Paulo apostolo (*Ass. 10,* n. 288 sqq.; *Ass. 24,* n. 651 sqq.), quod voluit esse perpetuum in Ecclesia sua perenni (*Ass. 8,* n. 213 sq.; *Ass. 15,* n. 378 sqq.), integrum transiit ad episcopos tamquam successores iuridicos apostolorum.

Haec quoque fuit persuasio *Ecclesiae primitivae,* cuius testes asserunt munus magisterii transiisse ad episcopos, sicut *Clemens Romanus* (42; *K* 12) et *Ignatius* Antiochenus (ad Trall. 7; ad Magn. 13; ad Eph. 3; ad Pol. 2 sqq.; ad Smyrn. 8; *K* 21; cf. *Ass. 19,* n. 472 sq. et n. 467 sq.). *Irenaeum* et *Tertullianum* idem confirmare supra (*Ass. 24,* n. 664 sq.) ostensum est.

716. b) *Modus* autem, quo sese manifestat haec episcopi auctoritas doctrinalis, est varius. Ipse etenim episcopus in sua dioecesi est *unicus* — si abstrahas a Romano Pontifice — *magister authenticus* suorum fidelium; omnes alii, qui fideles ei subiectos docent, ab ipso deputantur (cf. *CIC* 1327 sq.). Quod magisterium exercet vel ipse praedicando evangelium, instruendo dioecesanos suos praedicatione et litteris pastoralibus, vel per eos, quos sibi in auxilium adsciscit, imprimis parochos, sed etiam alios viros idoneos (*CIC* 1327); sed hi omnes egent missione canonica, collata vel officio vel facultate peculiariter data (*CIC* 1328 1337).

biskup naučava 1) po svojim eksponentima
2) poslanicama
3) školskim knjigama koje odobri,

dogmatska stvar, a ne samo juridička

Omnis igitur instructio religiosa ab episcopo dependet, sive per catechesin (*CIC* 1336) sive per conciones (*CIC* 1337 sqq.) vel populus fidelis docetur, vel ministri Ecclesiae instruuntur in seminariis vel aliis modis et viis (*CIC* 1352 sqq.). Officium pastorale visitationis et vigilantiae magnopere inculcatur (*CIC* 1357; cf. 343). Simile quid valet de scholis quibuslibet (*CIC* 1381), de librorum edendorum censura praevia (*CIC* 1385), de relatione nocivorum librorum ad episcopum (*CIC* 1397) et aliis. Quae omnia circumscribunt ambitum magisterii episcopalis tamquam vere universalis in sua dioecesi.

Cui obligationi et auctoritati doctrinali correspondet *subiectio,* quae magisterio episcopali debetur a subditis. Est enim episcopus verus praepositus religiosus, ex voluntate nimirum Christi et vi muneris ipsi collati vera auctoritate praeditus etiam doctrinali. Hinc ei praestari debet *oboedientia* religiosa, neque solum quoad res disciplinares, sed etiam quoad doctrinam; oboedientia igitur *intellectus* (interna) et *religiosa,* ob motivum religionis a Deo institutae et magisterii a Christo vera auctoritate praediti. Licet igitur decisio aliqua episcopi infallibilis non sit (cf. partem II); requirit tamen, ut fideles eam accipiant non solum cum reverentia et subiectione externa, sed etiam interna tali quae iudicium episcopi suum facit, nisi certo constet (e. g. decisione tribunalis altioris, e. g. Romani Pontificis) eidem subesse errorem; in quo casu tamen silentium obsequiosum servandum est, donec auctoritas altior votum publice ediderit[1].

2. De synodis particularibus.

717. *Synodos particulares* intellegimus conventus episcoporum legitimos, coactos ad discernendas res ecclesiasticas, qui non fuerint universales seu oecumenici, imprimis provinciales et plenarios, de quibus loquitur *Codex Iuris Canonici* (can. 281 sqq.).

Finis igitur concilii particularis est deliberare de rebus ecclesiasticis atque decernere, quae ad disciplinam vel ad doctrinam necessaria esse videantur (*CIC* 290). *Membra* sunt episcopi; hinc synodi dioecesanae, quae in unaquaque dioecesi decimo quoque anno celebrandae sunt (*CIC* 356), quibus praeter episcopum loci alii sacerdotes a iure determinati intersunt (*CIC* 358), non sunt concilia; unicus enim legislator in tali synodo est episcopus (*CIC* 362). Multo minus concilia legitima habentur vel haberi possunt, quae quocumque modo sapiunt democratiam et evertunt principium Ecclesiae hierarchicum, sicut synodus sic dicta Pistoriensis (Pistoriae anno 1786; *D* 1502 1506 sqq.). Neque denique conventus episcoporum eiusdem provinciae ecclesiasticae, saltem

quinto quoque anno a metropolita convocandi (*CIC* 292), vel etiam „conferentiae" quae dicuntur episcoporum alicuius terrae, ut Germaniae ad Sepulcrum S. Bonifatii, dicuntur concilia (provincialia). Sed ut conventus aliquis episcoporum vere sit concilium, impleri debent sollemnitates a iure praescriptae (*CIC* 281 sqq.): imprimis convocatio a legitima auctoritate, scilicet ad concilium plenarium per legatum Romani Pontificis, ad provinciale per metropolitam (*CIC* 281 284, 1); praesidentia in ipso actu (*CIC* 288); approbatio per Sedem Apostolicam (*CIC* 291).

Haec concilia, ita coacta et constituta, pollere *auctoritate doctrinali* quoad eos, qui subsunt episcopis congregatis, probatione non indiget. Auctoritas enim concilii alia non est nisi episcoporum, qui ei assistunt atque decretis suam auctoritatem tribuunt; hinc est quod „decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata obligant in suo cuiusque territorio universo" (*CIC* 291, 2), et quidem ea obligatione quae correspondet auctoritati doctrinali episcopali, de qua in priore parte locuti sumus; neque enim approbatione ex parte *Congregationis Romanae Concilii* plus eis auctoritatis accrescit, nisi fuerint speciali modo ad actus Romani Pontificis evecta [2].

II. Episcopi vel singuli vel in conciliis particularibus congregati non sunt infallibiles.

1. Singuli episcopi.

718. a) Infallibilitas, cum sit praerogativa coniuncta cum magisterio Ecclesiae ex positiva institutione Dei et Christi, iis tantummodo adscribi potest, quibus secundum fontes competit. Iamvero secundum fontes Iesus directe hanc infallibilitatem promisit apostolis ut collegio (Duodecim); singulorum autem apostolorum infallibilitatem ex aliis rationibus derivamus (cf. n. 709). Ergo nisi certo, ex positivis documentis, constet contrarium, admitti debet infallibilitatem cum magisterii munere ab apostolis transiisse ad episcopos *ut collegium,* ita ut sint infallibiles, si *in consensu* (obiectivo et subiectivo) doceant.

b) Haec iam ratio potius negativa confirmatur testimonio *positivo* fontium omnium inde ab epistulis Pauli. Ipse etenim *Paulus* collaboratores et successores suos non videtur considerare ut infallibiles, ne Timotheum et Titum quidem. Inde monitiones, ut fideliter custodiant depositum doctrinae ipsis traditum, ut caveant a falsis doctrinis, quae tunc iam invadere conabantur Ecclesiam (cf. 1 Tim. 4, 7 13; Tit. 2, 7; 3, 9; 2 Tim. 2, 23; dein quae de episcopo desiderantur: 1 Tim. 3, 6; Tit. 1, 9). Hinc eos non sibi aequales iudicat (cf. n. 301; 1 Cor. 1, 1; 3, 5 sq.; Col.

1, 1). Eodem modo *Ioannes* in suis epistulis (cf. 1 Io. 2, 18 sq.) non videtur supponere singulos magistros ecclesiasticos hac praerogativa gaudere.

719. Clarius idem elucet ex testimoniis *temporis posterioris,* imprimis ex persuasione *consensum* episcoporum esse perquirendum, ut habeatur certitudo in aliqua quaestione disceptata (cf. n. 478 659 sqq. 693); ita *Ignatius, Hegesippus, Polycrates, Irenaeus, Tertullianus,* ita tota Ecclesia primaeva. Implicite igitur indicatur episcopos singulos posse errare; atque hoc ipsum *diserte* iidem testes asserunt. Iam *Clemens Romanus* videtur supponere episcopos posse munere suo minus bene fungi (ad Cor. 44; *K* 13); item *Ignatius,* qui admonet Polycarpum, episcopum smyrnaeum, epistula sua.

Irenaeus deinde hoc idem clare enuntiat identidem. De traditione et successione loquens testatur apostolos tradidisse locum sui magisterii aliis, successoribus in munere doctrinali, „quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, *lapsis* autem summa calamitas" (Adv. haer. 3, 3, 1; *K* 124); quae verba optime intelleguntur sensu reduplicativo: scilicet *ut* magistri bene vel male agentes merentur vel praemium vel poenam; negari tamen nequit ea sensu etiam latiore sumi posse; hinc alium textum adiciamus. Explicans scilicet curnam soli christiani recte legere valeant Scripturam Sacram, rationem addit: Christum nimirum thesaurum explanasse absconditum. Deinde pergit: „Quapropter iis qui in Ecclesia sunt presbyteris (episcopi intelleguntur secundum modum loquendi Irenaei; cf. n. 423 sq.) obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione *charisma veritatis* certum secundum placitum Patris acceperunt (i. e. consensus Ecclesiae, in qua ut episcopi-presbyteri munus magisterii exercent [3, 3, 1; *K* 124], est infallibilis); reliquos vero, qui *absistunt* a principali successione et quocumque loco colligunt(ur), suspectos habere . . . (scilicet *haereticos* et schismaticos et hypocritas, qui operantur quaestus vel vanae gloriae gratia). . . . Omnes autem hi deciderunt a veritate" (4, 26, 2; *K* 136); nam non docent in consensu aliorum episcoporum et Ecclesiae. Sed quaeri potest, num forte inter eos etiam sint qui vel aliquando *episcopi catholici* fuerint, vel nunc etiam, licet externe tantum, ad Ecclesiam pertineant? Respondet *Irenaeus* in sequentibus: „Qui vero *crediti* quidem sunt a multis esse presbyteri, serviunt autem suis voluptatibus et non praeponunt timorem Dei in cordibus suis, sed contumeliis agunt reliquos, et *principalis consessionis tumore elati* sunt, . . . redarguun-

tur a Verbo . . ." (ergo est certe sermo de iis, qui iudicio omnium et suo proprio sunt presbyteri-episcopi Ecclesiae, in communione cum aliis episcopis). „Ab omnibus igitur talibus absistere oportet; adhaerere vero his qui et apostolorum . . . doctrinam custodiunt et *cum presbyterii ordine sermonem sanum* et conversationem sine offensa praestant, ad conformationem et correptionem reliquorum" (4, 26, 4; *K* 136[1]). Ergo sunt presbyteri rite *ordinati*, qui delinquere possunt vel circa *doctrinam* sacram, vel circa vitae rationem vere christianam. Pergit deinde *Irenaeus:* „Ubi igitur tales inveniat aliquis, Paulus docens ait: ‚Posuit . . .' (1 Cor. 12, 28). Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ea quae est ab apostolis Ecclesiae successio, et id quod est *sanum* et irreprobabile conversationis et inadulteratum et incorruptibile *sermonis* constat. Hi enim et . . . *fidem* nostram custodiunt, et . . . dilectionem adaugent . . . et scripturas sine periculo nobis *exponunt* . . ." (4, 26, 5; *K* 136[2]).

Irenaeus igitur certe non omnibus et singulis episcopis charisma veritatis tribuit (si excipias episcopum romanum; cf. *Ass. 28,* n. 754 sq.), sed *collegio* episcoporum eorumque consensui; tunc etenim temporis non deerant qui, etsi episcopi, tamen erraverunt, eo quod consensum Ecclesiae non secuti erant, sed „suam utilitatem potius considerantes quam unitatem Ecclesiae . . . propter modicas et quaslibet causas magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt et, quantum in ipsis est, interficiunt" (4, 33, 7; *R* 241)[3].

720. *Tertullianus,* fidelis Irenaei interpres atque eiusdem traditionis et persuasionis et consensus testis, idem asserit ac Irenaeus, atque diserte etiam episcopum inter eos, qui deficere possunt a fide, enumerat: „Quid ergo? Si *episcopus,* si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus a regula fuerit, ideo haereses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? . . . Avolent, quantum volunt, paleae levis fidei. . . . Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati deverterunt? . . . ipse traditor Christi de apostolis fuit. Miramur de ecclesiis eius, si a quibusdam deseruntur?" (De praescr. 3; ed. *Oehler* II 5). Verba deinde Irenaei supra citata de episcopis ut successoribus apostolorum (Adv. haer. 3, 3, 1; *K* 124) ipse eadem fere repetit: „Edant ergo (haeretici) origines ecclesiarum suarum; evolvant *ordinem* episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, *qui tamen cum apostolis perseveraverit,* habuerit auctorem et antecessorem" (De praescr. 32;

K 192; cf. verba similia *Clementis Alex.*, Strom. 7, 17; *MSG* IX, 552).

721. Exempla ecclesiarum particularium vel episcoporum, qui sese ab unitate Ecclesiae seiungebant, non desunt. *Irenaeus* ipse commemorat causam corinthiacam a Clemente compositam. Dissensio enim non modica (cf. Adv. haer. 3, 4, 1 [*K* 126[1]], ubi est sermo de quaestionibus *modicis,* ad quas discernendas recurrendum sit ad ecclesias antiquissimas, immediate ab apostolis conditas) orta erat in ecclesia corinthiaca; hinc „scripsit quae est Romae ecclesia (sub Clemente episcopo) potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et *reparans fidem* eorum et annuntians, quam in recenti ab apostolis acceperat, traditionem . . ." (l. c. 3, 3, 3; *R* 211). Ipsum documentum, epistula *Clementis* ad Corinthios, comprobat hoc iudicium Irenaei (cf. n. 514). Alia exempla ex tempore priore non sunt frequentia, nisi quis assumere velit inter *marcionitas,* qui organisationem Ecclesiae catholicae imitati sunt[4], fuisse etiam episcopos antea catholicos. De *Novatiano* deque episcopis, qui ipsi manus imposuerunt, refert *Cornelius,* episcopus romanus, in epistula ad Fabium, episcopum antiochenum (apud *Eus.,* Hist. eccl. 6, 43, 7 sqq.; *K* 254).

Huc non spectant dissensiones in quaestione de die paschatis celebrando, quam episcopi Asiae, duce *Polycrate* ephesino, aliter solverunt atque ceteri omnes; de qua decisione agendum erit in altera parte, in qua disquisitio fertur in infallibilitatem synodorum particularium. Et haec quidem erat quaestio proxime disciplinaris; ad quaestiones autem *dogmaticas* pertinet *chiliasmus,* de quo *I. B. Franzelin,* comparans opinionem „de regno Christi millenario penes Patres ante saeculum quartum . . . cum consensu opposito Patrum subsequentium"[5]. Ceterum experientia omnium temporum constat episcopos, si nimirum recedant a consensu magisterii universalis Ecclesiae, posse errare, et multos in errores incidisse atque non raro suos secum greges in defectionem abduxisse.

2. *Synodi particulares.*

722. a) Habere synodos non est aliquid Ecclesiae proprium, sed commune cum omni societate et organisatione[6], in specie cum omni religione sociali. Et in societate quidem *democratice* constituta (cf. n. 385) conveniunt vel omnia membra vel eorum deputati tamquam repraesentantes communitatis; in religione vero *hierarchice* constituta (cf. *Ass. 11,* n. 316) hae synodi non solum ab auctoritate legitima convocantur, sed etiam ab organis huius auctoritatis constituuntur; haec organa in Ecclesia sunt illi,

quibus ipse Christus, in munere a se condito, auctoritatem tribuit: episcopi scilicet et primas eorum et totius Ecclesiae, Romanus Pontifex.

Tales synodi *habitae* sunt inde ab initio Ecclesiae, ab electione scilicet Matthiae (*Ass. 10,* n. 291 sq.) et conventu apostolorum ad discernendam quaestionem de valore Legis Veteris (Act. 15; *Ass. 7,* n. 195). Historia Ecclesiae refert deinde plura concilia, celebrata iam saeculo II, e. g. illud, de quo *Pseudo-Eusebius* (cf. n. 517) loquitur, in causa *montanismi* (cf. n. 438), in controversia *de paschate celebrando* (cf. n. 435 sq.), de *rebaptizandis haereticis* (cf. *K* index s. v. „Baptismus haereticorum") et alia (cf. *K* index s. v. „Concilium")[7].

723. b) Has synodos magni factas esse atque earum *auctoritatem* plurimum valuisse patet; sunt etenim forma quaedam consensus, ad quem Ecclesia primitiva usque provocabat (cf. n. 478 661 sqq.). At iam saeculo II exeunte concilium particulare quoddam, auctore Victore, romano episcopo, a *Polycrate* Ephesum coactum (*Eus.,* Hist. eccl. 5, 24, 8; *K* 95) quaestionem de die celebrandi paschatis decidit contra consensum aliarum synodorum et ecclesiarum, quae omnes cum romana consenserant; quapropter *Victor* „omnes Asiae vicinarumque provinciarum ecclesias tamquam contraria rectae *fidei* sentientes a communione abscindere conatur, datisque litteris universos, qui illic erant fratres, proscribit et ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat" (*Eus.* l. c. 5, 24, 9; *K* 97); quem postmodum *Irenaeus* ab hoc modo procedendi arcet epistula sua (*Eus.* l. c.; *K* 98 sqq.; cf. *Ass. 21,* n. 524). Egregie hoc facto ostenditur, quid valeat consensus Ecclesiae et cum romano episcopo, quid valeat consensus alicuius regionis (provinciae) episcoporum atque concilii *particularis;* infallibilitas nimirum huic minime tribuitur. Immo ipse Polycrates, ut defenderet praxim suam quartodecimanam, primo provocat ad traditionem ab apostolis aliisque viris ecclesiasticis acceptam, deinde ad consensum plurimorum ex omni mundi plaga ad se venientium cum quibus sermones contulerit, porro ad auctoritatem Scripturae, demum ad concilium Ephesi coactum. Episcoporum „nomina si scripsero, ingens numerus videbitur. Hi ... epistulam nostram assensu suo comprobarunt ..." (*Eus.* l. c.; *K* 95). — Idem postea observatur in synodis habitis de quaestione, num baptizati ab haereticis rebaptizari debeant; *Cyprianus* et *Firmilianus,* cum episcopis suis in conciliis congregati, ab episcopo romano aliisque episcopis non agnoscebantur esse infallibiles. Sed de his hactenus.

724. NOTAE. — **1** Cf. Encyclicam „*Pascendi dominici gregis*" de die 8 Sept. 1907, ed. *Herder* p. 112; alia documenta in *Conspectu dogmatico* n. 911 sqq. 978. — **2** Cf. *Concilium Milevitanum II* (anni 416) et *Carthaginense XVI* (anni 418) a Zosimo (417—418) approbatum (*D* 101 sqq.) vel *Arausicanum II* (anni 529) a Bonifacio II (530—532) confirmatum (*D* 174 sqq.). — **3** *G. Esser* Nochmals das Irenäuszeugnis für den Primat der römischen Kirche (Theologie und Glaube XIV [1922] 344—362), defendit et probat contra *H. Koch** (Theol. Studien und Kritiken XCIII [1921] 54—72) Irenaeum non considerasse singulas ecclesias et singulos episcopos ut infallibiles; cf. etiam Zeitschr. für kath. Theol. XLV (1921) 627 sqq.; *K. Müller**, Das Charisma veritatis und der Episkopat bei Irenaeus (Zeitschr. für neutest. Wissenschaft XXIII [1924] 216—222), negat secundum Irenaeum speciale charisma episcopis ut talibus datum esse. — **4** De organisatione sectae Marcionis cf. *Batiffol-Seppelt,* Urkirche und Katholizismus 238 sqq.: Dritter Exkurs: Marcionitismus und Katholizismus; *A. v. Harnack**, Marcion. Das Evangelium vom fremden Gott (Texte u. Unters. XLV), [1]Leipzig 1921, contendit Ecclesiam organisationem suam universalem in oppositione contra Marcionitismum atque ad eius exemplum evolvisse (191 sqq. 241 sqq.); recte iam *Batiffol-Seppelt* l. c. — **5** De divina traditione et Scriptura thesis 16 ([3]Romae 1883), p. 186 sqq. — **6** Synodi plurimae sive religiosae sive profanae (politicae) notae sunt, et aliae quidem democraticae (e. g. in multis civitatibus graecis), aliae aristocraticae vel oligarchicae (ut senatus populi romani), aliae religiosae (cf. collegia sacerdotalia romana vel conventus [concilia, κοινά] in provinciis romanis constituti ad provehendum cultum caesareum). In populo *Israel* synedrium hierosolymitanum erat auctoritas summa in rebus religiosis atque in plurimis etiam profanis, in iis nimirum, quae pertinebant ad autonomiam Iudaeis concessam (cf. *Ass. 11,* n. 323 sqq.). — **7** De variis synodis ecclesiasticis II et III saeculi cf. *C. I. Hefele,* Conciliengesch. I[2] (1873) 83 sqq.; *Hefele-Leclercq,* Histoire des Conciles I (Paris 1907) 125 sqq. — De montanismo atque de quaestione, num synodi habitae sint in causa Montani, cf. *Batiffol-Seppelt* l. c. 227; *idem* de controversia relate ad diem paschatis celebrandum (229 sqq.) et ad rebaptizandos haereticos (389 sqq.; cf. 381 sqq.).

B. De auctoritate collegii episcoporum seu universalis magisterii.

725. Episcopi proxime quidem praeficiuntur particulari cuidam ecclesiae, quam regunt et docent; attamen iidem relationes etiam habent ad Ecclesiam universalem. Sicut enim singulae ecclesiae particulares non extra Ecclesiam exsistunt neque seorsum ab ea exsistere possunt, sed in Ecclesia universali et per eam subsistunt (cf. *Ass. 17,* n. 411 sqq.), ita earum episcopi pertinent simul ad Ecclesiam universalem, ad eius scilicet regimen et magisterium universale, non quidem qua singuli, sed ut membra collegii episcopalis sub Romano Pontifice constituti. De hoc episcoporum magisterio universali iam agendum est.

Magisterium *universale* intellegi potest vel illud, quod pro omnibus membris alicuius societatis (religionis) vel etiam pro omnibus hominibus institutum, vel illud, quod ex omnibus magistris (authenticis) constitutum est. Magisterium Ecclesiae universale

utrumque sensum in se continet; est enim, sicut ipsa Ecclesia Christi, destinatum ad docendos omnes homines (*Ass. 24,* n. 641 sqq.) et complectitur in se omnes magistros Ecclesiae authenticos, episcopos scilicet cum Romano Pontifice. Magisterium igitur universale describi potest ut collegium seu *corpus magistrorum authenticorum, qui et quatenus docent Ecclesiam totam* (omnesque homines). Auctoritas proinde huius magisterii est extensive et intensive maxima.

Exercitium huius magisterii distinguitur duplex: ordinarium et extraordinarium. *Ordinarium* est consensus formalis episcoporum, qui dispersi suam quisque dioecesim regunt, in docendo: consensus scilicet episcoporum inter se et cum capite omnium, cum Romano Pontifice. Consensus ille *formalis* dicitur in oppositione ad materialem seu obiectivum tantum, quo plures inter se consentiunt, quin de ipso consensu sciant; requiritur autem consensus formalis, ut vinculum illud habeatur, quo ex episcopis localiter dissitis collegium et corpus doctrinale constituatur, vinculum nimirum morale et sociale. *Extraordinarium* autem magisterium addit ad consensum formalem et ad vinculum morale *localem* etiam *coniunctionem* magistrorum, in *Concilio* aliquo *universali* seu Oecumenico. Talis concilii, cum raro admodum celebretur, magisterium recte extraordinarium vocatur.

Conveniunt igitur magisterium ordinarium et extraordinarium in eo ut utrumque sit actus et exercitium universalis Ecclesiae docentis; differunt tantummodo ratione huius exercitii. Hinc de utroque in eadem licebit agere inquisitione.

ASSERTIO 27. Episcopi sunt infallibiles, quatenus constituunt magisterium Ecclesiae universale et supremum, vel dispersi per orbem (magisterium ordinarium exercentes) vel collecti in Concilio Oecumenico (magisterium exercentes extraordinarium).

Sensus et scopus assertionis in eo est ut ostendat non solum veritatem: magisterium uuiversale Ecclesiae esse infallibile; hoc enim ex antea dictis evidens forte videri possit; sed etiam huius magisterii exercitium esse duplex atque utrique competere infallibilitatem doctrinae. Agemus igitur in *parte I* de episcopis, qui ut dispersi attamen moraliter inter se coniuncti constituunt magisterium ordinarium; in *parte II* de episcopis in Concilio Oecumenico collectis. In utraque parte prius *factum* infallibilitatis statuemus, deinde *explicationem* ulteriorem addemus.

Pars I. De episcopis dispersis eorumque magisterio ordinario.

726. 1. *Factum* infallibilitatis. — Episcopos Ecclesiae, in quantum constituunt magisterium universale consensu suo, esse infallibiles sequitur non solummodo ex intentione Christi, sed etiam ex persuasione Ecclesiae primaevae.

Christus enim dedit apostolis suis infallibilitatem qua magistris Ecclesiae et omnium hominum; iamvero secundum eundem Ecclesia eiusque munera sunt perennia (cf. *Ass. 24,* n. 642 645 sqq.); ergo successores apostolorum in munere docendi eadem gaudent infallibilitate. Atqui successores apostolorum sunt episcopi; ergo hi sunt infallibiles, in quantum constituunt magisterium universale Ecclesiae et in mutuo consensu Ecclesiam docent. Et re quidem vera, si episcopi errarent, tota iam Ecclesia, quae eos secundum Christi voluntatem ut magistros sequitur, in errorem induceretur.

Ecclesiam autem *primitivam* ita intentionem Christi interpretatam esse ostendit evolutio argumenti „ex consensu" (n. 661 sqq.), cuius testes imprimis sunt *Ignatius* (e. g. ad Eph. 3, 2; 17, 1), *Hegesippus* (*K* 70), *Irenaeus* (*K* 104 sqq. 124 sq. 126[1] 136; *R* 242), *Tertullianus* (*K* 191 sq.; *R* 293 sqq.), *Polycrates* (*K* 94), alii. Haec persuasio postea magis evoluta est, donec in *Concilio Vaticano* formam suam classicam acceperit (*D* 1792; cf. 1683; de definitione Vaticani in Scholio, n. 729), quae transiit in *Codicem Iuris Canonici* (can. 1323, 1).

727. 2. *Ulterior explicatio* magisterii ordinarii. — Quaeritur imprimis de *ratione infallibilitatis* et de *obiecto* huius magisterii.

a) De *ratione infallibilitatis* magisterii ordinarii. — Quomodo iidem episcopi, qui ut magistri suae dioecesis errare possunt, simul ut membra magisterii universalis gaudere possunt charismate infallibilitatis? Ratio huius differentiae est in condicione diversa episcopi, prout vel partem Ecclesiae, suos scilicet subditos sibi dioecesanos, tamquam magister authenticus docet, vel prout simul cum omnibus aliis episcopis magisterium supremum Ecclesiae universalis constituit. Ut talis enim gaudet assistentia Spiritus Sancti, qua magisterium universale praeservatur ab errore ut collegium. Aliis vero actibus doctrinalibus episcopalibus, iis nimirum, quos exercet ut praepositus suae dioecesis, haec assistentia non est promissa.

Quodsi deinde quaeratur, *quonam modo* hoc *corpus* magisterii universale *constituatur,* recte quidem dicitur constitui per episcoporum *consensum;* atvero hic consensus non est primarie consensus episcoporum inter se, quasi inter pares, qui aequalitate iuris regunt et docent Ecclesiam, sed consensus *cum Romano Pontifice* tamquam capite Ecclesiae universalis. Consequenter deinde omnes, ita cum Romano Pontifice coniuncti, etiam inter se uniti

sunt, vinculo non solum obiectivo, sed etiam subiectivo et formali, scientes se in subiectione sub Romano Pontifice omnes eandem doctrinam proferre. Hoc igitur collegium pollet infallibilitate. Ita iam *Ignatius* novit non solum consensum episcoporum super orbem terrae dispersorum (ad Eph. 3, 2), sed etiam ecclesiam romanam, quae praesidet universo coetui caritatis (ad Rom., prooem.; *K* 25); clarius etiam *Irenaeus*, qui provocat contra haereticos ad traditionem Ecclesiae universalem, cuius tamen testimonio aequivaleat auctoritas unius ecclesiae romanae, cum qua omnes aliae consentire debent „propter eius potentiorem principalitatem" (Adv. haer. 3, 3, 2; *K* 125).

Vinculum illud morale inter Romanum Pontificem et episcopos atque etiam episcoporum inter se *constituitur* commercio frequenti tum epistulari tum personali, sive per nuntios et legatos romanos sive itinere episcoporum ad Urbem (cf. *CIC* 340 sqq.), ita ut et Romanus Pontifex invigilare possit toti gregi suo atque omnibus eius pastoribus, et episcopi sciant se suam partem gregis docere in consensu cum summo pastore omnium, Romano scilicet Pontifice. Ita porro formatur et excolitur unitas illa admirabilis Ecclesiae catholicae, quae de se iam, etsi non esset originis divinae, ipsi daret robur incomparabile. Quibus expositis apparet *condicio* plane singularis *Romani Pontificis* eiusque magisterii supremi in exercendo magisterio universali Ecclesiae ordinario; habet enim de iure et de facto partes in eo quam maxime essentiales, quas egregie describit *Concilium Vaticanum* (sess. IV, c. 4; *D* 1836), ita ut aliquando dubium esse possit, utrum aliquis actus doctrinalis sit magisterii universalis an vero pontificalis et papalis; at haec quaestio similiter decidi debet ac analoga de partibus Romani Pontificis in Concilio Oecumenico (cf. assertionis huius pars altera; n. 744 sqq.).

728. b) *Obiectum* huius magisterii universalis ordinarii in genere idem esse dicendum est atque obiectum concilii universalis, scilicet directe veritates revelatae, indirecte veritates cum revelatis conexae (cf. *Ass. 30*, n. 795 sqq., et *31*, n. 826 sqq.). Concilium quidem *Vaticanum* diserte non loquitur nisi de veritatibus, quae tamquam divinitus revelatae credendae proponuntur (sess. III, c. 3; *D* 1792); atque iisdem verbis utitur *Codex Iuris Canonici* (can. 1323, 1); hae tamen decisiones non exclusive sed praecisive intellegendae sunt, quatenus concilium noluit quidem auctoritate sua summa definire veritates annexas etiam pertinere ad obiectum magisterii universalis, neque tamen derogare sententiae affirmanti inter theologos communi et certae.

Ita docentur veritates a magisterio hoc universali, quae non sunt formaliter definitae, ut e. g. mysteria vitae Iesu Christi, quae non solum fide *divina* creduntur, quia revelata in Sacra Scriptura, sed etiam fide *catholica*, quia proposita a magisterio Ecclesiae universali ordinario. *At*

in hoc capite *difficultas* quaedam occurrit quoad effectum huius magisterii: scilicet, qui fiat, ut doctrina aliqua, a magisterio ordinario proposita, non possit doceri vel saltem non doceatur ut fide divina *certo* credenda. Cogita Immaculatam Conceptionem Beatae Virginis Mariae decennio ante ipsam eius definitionem, vel nostris diebus eiusdem Beatae Virginis assumptionem in caelum vel mediationem omnium gratiarum: curnam tam ardenter tunc petebatur, nunc desideratur *definitio* sollemnis sive Romani Pontificis sive alicuius Concilii Oecumenici? Ratio non quidem est defectus auctoritatis magisterii ordinarii, sed videtur esse solummodo defectus formae sollemnis et clare circumscriptae, qua gaudet definitio sollemnis, qua caret magisterium ordinarium. Difficilius scilicet constat propositio alicuius veritatis, tamquam revelatae, ex parte magisterii ordinarii; hinc, quoniam „declarata seu definita dogmatice res nulla intellegitur, nisi id manifeste constiterit" (*CIC* 1323, 3), vix ac ne vix quidem alicui veritati revelatae, a solo magisterio ordinario ut tali propositae, nostra aetate talis adscribitur certitudo, ut absque dubio ab omnibus credenda atque haereticus dicendus sit, qui eam negaverit [1]. Quodsi constet vel constaret aliquam veritatem ab universo magisterio proponi ut certo de fide tenendam, negatio eius esset haeresis.

Sed etiamsi magisterium ordinarium nunc iam raro vel numquam aliquam veritatem, antea nondum ut de fide tenendam, ad dignitatem dogmatis fidei evehat, manet tamen eius *exercitium* alio ex capite *utilissimum* atque moraliter etiam *necessarium*; ipsum enim habet partes praecipuas in praeparandis definitionibus sollemnibus, quatenus veritates in deposito fidei contentas diserte exhibet, efformat, formulis aptioribus exprimit, devotiones ac festa fovet quae cum talibus veritatibus conexa sunt, itaque ipsas quoque veritates propagat, theologiam scientificam excolit aliisque modis confert ad *progressum dogmaticum* (de quo cf. *Ass. 30*, n. 815 sqq.). Ita duplex exercitium magisterii ordinarii iure distinguitur: et alterum quidem, quo proponit, explicat, defendit veritates certe vel in deposito fidei contentas vel cum eo conexas; alterum vero, quo contribuit ad excolendam doctrinam christianam atque melius perspiciendas et exhauriendas divitias revelationis christianae.

Huic deinde magisterio inserviunt actus non solum magistrorum authenticorum, sed omnium etiam *auxiliarium*, in quantum coniuncti sunt cum magisterio universali, qui omnes conspirantes et consonantes unum quodammodo organum constituunt doctrinale et infallibile. „Ex quibus consequitur per actus fere non infallibiles procurari infallibiliter veritatem doctrinae et fidei. Quod quomodo fiat is intelleget, qui cogitaverit cum assistentiam Spiritus Sancti Ecclesiae promissam eiusque influxum in Ecclesia multiformem, tum mentium commercium variosque doc-

trinae meatus et vitam, ut ita dicam, socialem veritatis divinae in vita et conscientia sociali Ecclesiae." [2]

Scholion 1. De definitione Concilii Vaticani.

729. De auctoritate quidem peremptoria Concilii Oecumenici in altera demum huius assertionis parte agemus; at cum eam demonstremus independenter ab hac priore parte, legitime eam adducere possumus in probationem, maxime autem in explicationem magisterii ordinarii, quomodo scilicet patres illius concilii cogitaverint. Consideramus igitur hanc definitionem et *historice,* tamquam testimonium Ecclesiae eiusque consensus de hac quaestione, et *dogmatice,* tamquam decretum concilii universalis.

In primo schemate huius capitis tertii de fide, quod ab *I. B. Franzelin* [3] aliisque theologis elaboratum erat, nil fere legebatur de his, quae postea a concilio definita sunt [4]. Quoniam autem eius forma non omnibus patribus placuit, episcopus paderbornensis, *C. Martin,* ut membrum deputationis de fide, iussus est aliud proponere schema, in quo conficiendo usus est auxilio *I. Kleutgen.* In hoc schemate novo non quidem deest magisterii ordinarii mentio [5]. Postmodum autem ab episcopo ratisbonensi, *I. Senestrey,* additio [6] proposita est similis illi formae, quae schemati emendato inserta est, scilicet: „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario magisterio credenda proponuntur" [7], cuius sensum et scopum relator, archiepiscopus *Simor* ita explicat: „Quae sequitur paragraphus: *Porro fide divina,* dirigitur contra illos, qui dicunt illud solum credendum esse, quod concilium definivit, et non etiam illud quod Ecclesia docens dispersa unanimi consensu tamquam divinitus revelatum praedicat ac docet." [8] Variae deinde propositae sunt *emendationes* [9], quae spectant partim ad formam partim ad nexum cum praecedentibus et sequentibus. Schema deinde emendatum a relatore, episcopo *Martin,* patribus congregatis propositum est atque, quae mutata seu potius addita sunt, explicata sunt, nimirum vox *„universalis"* ad designandum magisterium ordinarium, „ne quis (ait relator) putet nos loqui hoc loco de magisterio infallibili Sanctae Sedis Apostolicae, hoc magisterium infallibile opponendo nempe conciliis generalibus . . . hoc igitur verbum *universale* . . . significat . . . magisterium totius Ecclesiae per orbem dispersae". Porro inserta sunt verba „tamquam divinitus revelata", et quidem eo fine, ne scholarum opiniones, etsi certae, „inserantur doctrinae fidei; nam si dicitur Ecclesiam aliquid docere tamquam divinitus revelatum, non est possibile esse solummodo opiniones scholae". Haec forma (*D* 1792) omnibus deinde patribus, uno alterove excepto, placuit [10].

Scholion 2. Doctrina Cardinalis Franzelin.

730. Praeclara de hoc magisterio universali ordinario est doctrina Cardinalis *Franzelin,* qui ut testis concilii Vaticani, ut sacrae theologiae lector in Urbis universitate Gregoriana, ut auctor celeberrimus atque inter theologos saeculi XIX eminentissimus in hac nostra materia peculiarem videtur mereri considerationem.

Loquens scilicet de *subiecto* (organo) infallibilitatis in docendo (Thesis XII, Scholion I, Principium I) primo statuit hoc subiectum esse „corpus pastorum et doctorum in unione, consensione et subordinatione ad visibile caput Ecclesiae; idque a) in universali et consentiente praedicatione doctrinae de fide vel moribus; b) in sollemnibus iudiciis seu definitionibus eiusdem doctrinae". Deinde prosequitur *causam* infallibilitatis huius magisterii. Et causa quidem *efficiens* infallibilitatem docentis Ecclesiae est promissa assistentia Spiritus veritatis. Condicio porro et causa formalis, per quam episcopi tamquam successores apostolorum constituuntur in ratione docentis Ecclesiae, est visibile caput Ecclesiae a Christo institutum, et unio atque consensio membrorum cum hoc capite, „sicut universim forma unitatis visibilis est ipsum visibile caput Ecclesiae". Hoc quidem caput est infallibile etiam per se spectatum, simul autem „velut componens et informans corpus Ecclesiae docentis, quae ipsamet sic constituta (corpus cum capite) est infallibilis per assistentiam Spiritus veritatis. *Duplex* igitur est *subiectum infallibilitatis,* cuius inadaequatam distinctionem „indicat ipsa Vaticana definitio. . . . Comparatur enim ibi infallibilitas Pontificis ex cathedra definientis cum infallibilitate definientis Ecclesiae; illa directe et data opera a concilio declaratur; haec ut certa supponitur et assumitur ut terminus comparationis" [11]. Sed de his in assertione sequenti agendum erit.

Pars II. De episcopis collectis in Concilio Oecumenico eorumque magisterio extraordinario et infallibili.

731. Ex iis quae in priore parte huius asserti dicta sunt, patet *magisterium extraordinarium* episcoporum nil differre ab ordinario ad auctoritatem vel ad efficaciam vel ad ambitum doctrinae quod attinet, sed unice forma, qua magisterium universale exercetur. In concilio enim universali seu oecumenico episcopi Ecclesiae uniti sunt non solo vinculo morali (conspirationis et unionis), sed insuper praesentia et associatione *locali,* qua fit ut consensus facilius obtineatur, manifestetur, declaretur et definiatur, atque ut

omnino eadem auctoritas
distinctio localis

definitio conciliaris habeatur pro sollemnissimo actu magisterii universalis Ecclesiae.

Nullum proinde dubium esse potest concilium universale, quod re vera tale fuerit, esse *infallibile;* neque haec quaestio tantopere agenda erit in hac parte, quam alia quaedam gravior: quandonam scilicet congregatio episcoporum possit iure vocari concilium universale atque ut infallibilis considerari; siquidem evidens est numquam ad unum omnes episcopos vel collectos umquam esse vel colligi posse. Hinc ita procedimus ut (1) quam brevissime expediamus *quaestionem generalem:* universale concilium esse infallibile; deinde (2) indagemus *condiciones,* quae impletae esse debent, ut conventus episcoporum possit dici Concilium Oecumenicum. In qua altera quaestione plurima disci possunt ex actis *Concilii Vaticani,* quippe quod has quaestiones diligenter tractavit et historice et dogmatice.

1. Concilium Oecumenicum est infallibile.

732. *Concilium universale* seu *oecumenicum* est conventus legitimus omnium episcoporum ad deliberandas et decernendas res ecclesiasticas. *Obiectum* concilii igitur, sicut omnis concilii ecclesiastici, sunt res et quaestiones, quae spectant ad Ecclesiam, sive ad fidem et doctrinam, sive ad mores et disciplinam. *Membra* concilii de his rebus deliberare et decernere, i. e. iudices agere debent, qui potestate et auctoritate praediti quaestiones decidunt, normas statuunt, Ecclesiam universam docent et regunt. Ex hisce iam patet eos solos posse esse membra talis concilii, qui hac potestate gaudent, i. e. per se primo episcopos, et quidem, ut habeatur magisterium supremum et universale, episcopos omnes, qui, ut dictum est in priore parte, cum Romano Pontifice constituunt magisterium universale Ecclesiae. Romanus proinde Pontifex non solum non excluditur ex tali episcoporum conventu, sed ita necessario includitur, ut, „si contingat Romanum Pontificem durante Concilii celebratione e vita decedere, ipso iure hoc intermittatur" (*CIC* 229). Ipsa quoque *legitimitas* Concilii Oecumenici pendet a Romano Pontifice, qui ut caput totius Ecclesiae solus potest illud convocare, solus ei praesidere (sive ipse sive per legatos suos), solus approbare decreta conciliaria eisque vim tribuere definitivam sua confirmatione.

Concilium ita constitutum re vera pollere *infallibilitate* ilico patet. Nam Christus dedit Ecclesiae suae atque in specie magisterio eius donum infallibilitatis (*Ass. 25,* n. 680 sqq.). Iamvero hoc magisterium Ecclesiae constituitur episcopis unitis cum Romano Pontifice eique subditis. Ergo omnis actus huius magisterii, positus

ex plenitudine auctoritatis qua pollet, est infallibilis, sive est magisterii ordinarii, episcoporum per orbem terrarum dispersorum, sive conciliaris, episcoporum videlicet cum Romano Pontifice unitorum in Concilio Oecumenico. Immo in concilio unitas universalitatis quam perfectissime verificatur.

At quaeri potest, quandonam haec universalitas Concilio Oecumenico eiusque infallibilitati essentialis habeatur. De hac in altera parte.

2. Quae requirantur, ut concilium aliquod dici possit oecumenicum seu vere universale.

733. Alia est quaestio *iuris,* alia quaestio *facti.* Et quaestio quidem facti, num concilia illa viginti, quae a *Nicaeno I* (anni 325) usque ad *Vaticanum* (anni 1869/70) ut oecumenica considerantur, vere universalia fuerint, nobis solvenda non est quoad singula; praebet tamen historia eorum, quae de facto ut universalia agnita sunt, indicia quaedam magni valoris, e quibus appareat, quid requiratur ad Concilii Oecumenici universalitatem de iure.

Triplex quidem apparet *difficultas,* quae universalitati obstare videtur, scilicet (1) *defectus praesentiae.* In nullo concilio de facto aderant omnes episcopi neque adesse poterunt umquam; hinc, si praesentia *physice universalis* requiritur, iam actum est de concilii possibilitate. In Concilio *Nicaeno I* numerus episcoporum superabat 300; secundum, *Constantinopolitanum I,* congregavit 150 catholicos et 36 macedonianos episcopos; *Ephesinum* universim 250; *Chalcedonense* 520 (vel 630); in sessionibus porro *Tridentini* prioribus aderant 60 vel 70, neque umquam plures quam 213[12]. (2) Maior etiam exsurgit difficultas, si attendatur ad universalitatem non solum numericam, sed *virtualem* et intensivam, qua scilicet *repraesentetur universale magisterium* Ecclesiae. In prioribus nimirum Conciliis Oecumenicis episcopi congregati erant omnes fere orientales. In *Nicaeno I* aderant episcopi ex Occidente unversim 4, e quibus unus, Hosius, simul cum duobus presbyteris vices egit Romani Pontificis, Silvestri; in *Constantinopolitano I* aderant soli episcopi orientales; haec synodus postmodum demum agnita est ut oecumenica; ad *Ephesinum* missi erant a Romano Pontifice 2 episcopi et 1 presbyter; similiter Leo Magnus ut suos legatos misit 2 episcopos et 2 presbyteros ad Concilium *Chalcedonense,* qui cum 2 episcopis africanis fuerunt unici episcopi occidentales; quonam igitur iure talia concilia vere universalia et oecumenica esse dicuntur? (3) Tertia denique difficultas provenit ex *defectu consensus* episcoporum congregatorum; nam hic consensus teste historia non semper aderat neque necessario adest, siquidem *singuli* episcopi, qui consentire debent, ut habeatur iudicium conciliare, non gaudent assistentia Spiritus Sancti, ut iam ante hoc iudicium conciliare unam omnes veritatem certo agnoscant. Quinam igitur consensus requiritur, ut habeatur decretum vere conciliare atque adeo universale, magisterii scilicet universalis Ecclesiae? Hae, en, sunt quaestiones solvendae.

In quibus ita, si libet, procedimus, ut sequamur normas iuris canonici nunc vigentes, quae spectant ad concilium universale (*CIC* 222 sqq.), quibus universalitatem Concilii Oecumenici verificari ostendemus. Quoniam, ut dictum est, in concilio celebrando partes habent et episcopi et Romanus Pontifex, agemus (a) de *episcopis* et (b) deinde de *Romano Pontifice* eiusque auctoritate in concilio convocando, dirigendo, confirmando.

734. a) De *episcoporum* parte in Concilio Oecumenico.

Episcopi, qui de iure intersunt et interesse debent concilio universali, intelleguntur imprimis ordinarii seu *residentiales* (*CIC* 334, 1; cf. supra n. 714), ii scilicet, qui monarchice suam quisque dioecesim regunt et docent (patriarchae, primates, archiepiscopi, episcopi residentiales, etiam nondum consecrati: *CIC* 223, 2); consecratio autem episcopalis ideo non requiritur, quia episcopi non ratione ordinis, sed ratione *iurisdictionis* sunt iudices doctrinales (cf. *CIC* 108, 3). Hi episcopi simul cum Romano Pontifice testimonium perhibent veritati, docent omnes homines, iudicant, non ut consiliarii dumtaxat, sed ut veri *iudices*[13]). Praeter hos episcopos alii convocantur vel ipso iure canonico (ut, praeter S. R. E. Cardinales, abbates vel praelati nullius, superiores supremi congregationum monasticarum vel religionum clericalium exemptarum, episcopi titulares: *CIC* 223) vel ad beneplacitum Romani Pontificis, qui convocandis suam auctoritatem tribuit eosque idoneos reddit, qui ut iudices assideant sessionibus concilii.

Universalitas episcoporum duplex esse debet, scilicet et praesentiae et consensus. Universalitas quidem *praesentiae* physica vel *absoluta* sane non requiritur, quia requiri nequit, salva ipsius concilii possibilitate[14]. Christus autem suam Ecclesiam instituit ut societatem humanam, quae humano modo regi debet atque respicere illa omnia, quae ceteroquin in societatibus humanis valent. Neque ad merum numerum episcoporum attendi debet, sed potius ad relationem, quam habent intra magisterium universale Ecclesiae; requiritur enim et sufficit, ut episcopi congregati repraesentent *universam Ecclesiam docentem*, ut si adsit Romanus Pontifex (vel eius legati) simul cum maiore parte vel etiam minore parte episcoporum, qui tamen instar totius magisterii sunt.

In Concilio *Vaticano*, ut exemplum desumatur ex concilio, cuius universalitas in dubium vocari nequit et quod ab universa Ecclesia ut oecumenicum agnitum est, aderant omnino membra 747, ex 1050 episcopis, qui de iure vocati ei interesse poterant; deerant igitur, varias ob causas, circiter 270 episcopi. Ex quo solo iam numero, si comparetur cum numero episcoporum (non: praelatorum) in prioribus conciliis collectorum, Concilii Vaticani praecellentia quaedam apparet atque vera universalitas; quae tamen melius perspicietur ab eo qui perpendat hisce episcopis congregatis magisterium universale plene repraesentari. Aderant etenim ex 11 patriarchis 10, ex 11 primatibus 10; ex 127 porro archiepiscopis assistebant sessioni tertiae 107, e quibus 53 ex Europa, 23 ex Oriente graeco, 16 ex America; ex 529 episcopis denique votum dederunt in eadem sessione tertia 456, e quibus 297 oriundi ex Europa, 73 ex America, 13 ex Asia occidentali, 33 ex Asia orientali, 13 ex Australia et Oceania, 9 ex Africa, qui omnes, si simul considerentur, universalitatem Ecclesiae eiusque magisterii egregie repraesentare dici debent[15].

Accedit autem aliud quid, scilicet obligatio eorum episcoporum, qui ipsi venire non possunt, ut mittant *procuratorem*, qui, etsi suffragium deliberativum non habeat, acta tamen concilii subscribendi iure potitur (*CIC* 224). Nemo igitur eorum, qui ut iudices assistere possunt concilio, ab eo excluditur, immo omnes, ut suum votum saltem per legatum reddant, invitantur[16].

735. Gravior videtur esse quaestio de *universalitate consensus* seu *iudicii*, ut scilicet, dissentientibus aliquibus vel multis patribus congregatis, tamen decretum conciliare vere dici possit et debeat universale, quod videlicet prodierit ex consensu magisterii Ecclesiae universalis, et ut tale polleat infallibilitate.

Videamus igitur, quinam consensus patrum requiri possit et debeat, ut universalis dicatur. Certe requiri nequit nec proinde requiritur consensus *physice* et *absolute unanimis;* ratio est eadem atque illa, qua excluditur necessitas praesentiae absolute universalis, scilicet impossibilitas moralis fere omnis actus conciliaris et collegialis et socialis. Quaeri autem potest, num saltem necessarius sit consensus *moraliter unanimis*.

Et haec quidem iudicii universalitas moralis a quibusdam episcopis, qui scilicet numero erant minore, *Concilii Vaticani* defendebatur tamquam necessaria ad formandum decretum conciliare[17]. *Rationes* autem, quas afferebant, non tantopere ex natura rei — nam ex ipsa contrarium sequitur — quam ex praxi Ecclesiae vel ex effatis Patrum et theologorum desumuntur. Imprimis adducitur exemplum *Pii IV*, qui statuerat, ne in re quadam gravi quidquam decerneretur nisi suffragio unanimi omnium patrum Tridenti congregatorum. *At* haec Romani Pontificis voluntas non provenit ex persuasione maioritatem vocum non sufficere ad validum decretum conciliare, sed ex quadam sollicitudine, ne propter tale decretum (num Romanus Pontifex sit supra Concilium Oecumenicum, in qua veritate affirmanda novem decimae partes patrum consentiebant) discidia inter episcopos orirentur. — *Dicta* deinde, quae afferuntur, certe hanc quaestionem universalitatis moralis vel non tangunt vel sensu contrario decidunt. Verba scilicet *Christi* (Io. 17, 9 sqq.), ad quae provocat *postulatum*[18] aliquod praesidibus concilii datum, nil de hac quaestione continent; quae autem apud *Vincentium Lirinensem* in-

veniuntur: „Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus"..., sensu quidem positivo, nequaquam autem exclusivo intellegi possunt. Atque idem valet de sententia *Roberti Bellarmini,* qui dixerit doctrinam fidei probari ex consensu ecclesiarum; inde deduxerunt definitiones fieri non posse nisi consensu, moraliter saltem unanimi, ecclesiarum quas episcopi repraesentent. *At* huic argumentationi duplex subest error: scilicet (1) veritatem non posse cognosci nisi consensu *omnium* ecclesiarum; (2) vero episcopos, modo *democratico,* non esse nisi *testes* fidei suarum ecclesiarum et ut tales, fere ut earum deputatos, interesse concilio universali, cum tamen eidem assistant unice propter auctoritatem ipsis hierarchice collatam, non ut testes, sed ut *iudices* vi eiusdem auctoritatis.

736. Sed etsi concederetur *possibilitas* talis moralis universalitatis, dici debet non posse requiri. Nam est possibile, ut tot episcopi deficiant a fide vel *devient a tramite veritatis,* ut ceteri non iam constituant magisterium moraliter unanime, ne in concilio quidem. Accedit deinde ipsius huius universalitatis moralis *indoles indeterminata.* Quotnam requiruntur episcopi, ut illa obtineatur moralis unanimitas: novem ex decem? an septem ex octo? an quinque ex sex? Dixerunt quidem sufficere septem ex octo; sed numquid omnes hanc proportionem agnoscent? numquid ipse auctor rationem reddere poterit, curnam talis numerus sufficiat? Quodsi porro historiam conciliorum interrogemus, alii numeri, sat diversi, referuntur: in Concilio *Nicaeno I* dissenserunt circiter 20 ($= {}^1/_{15}$), in *Constantinopolitano I* 36 ($= {}^1/_5$), in *Ephesino* 37 vel 43 ($= {}^1/_7$ vel ${}^1/_6$). Concilium autem *Tridentinum* propter decretum Pii IV, supra laudatum, non pervenit ad definitionem harum veritatum, quae erant in quaestione. Postea deinde maior numerus votorum ut sufficiens agnitus est ad decisionem.

Ceterum tota haec quaestio habet valorem fere *theoreticum;* nam ii certe episcopi, sive sunt omnes sive est pars maior sive etiam minor et minima, sunt in tuta possessione veritatis, qui consentiunt Romano Pontifici. Et si quando contingeret, ut veritas aliqua definiretur in concilio a parte minore, quae tamen sit in consensu Pontificis Romani, huic sententiae infallibilitas certissime conveniret. Dubium autem illud solum esse posset, utrum talis definitio sit potius conciliaris dicenda an vero Romani Pontificis, *ex cathedra,* ut aiunt, loquentis [19]. — De huius iam Romani Pontificis partibus in Concilio Oecumenico agendum est.

b) De Romani Pontificis parte in Concilio Oecumenico.

737. Pontifex Romanus est quidem non solum primas totius Ecclesiae, sed etiam patriarcha ecclesiae occidentalis, primas Italiae, episcopus ecclesiae particularis romanae; sed in hac inquisitione consideratur solummodo ut *primas universalis Ecclesiae* tamquam successor Petri, ut caput visibile Ecclesiae universalis et vinculum

uniens membra magisterii universalis, quasi causa formalis huius unionis, eodem modo in Concilio Oecumenico atque in magisterio disperso (cf. n. 730). Et haec quidem valent *in genere;* quaerimus autem, quaenam sint *iura,* quae ex hac Romani Pontificis condicione derivantur relate ad concilium universale. Quae spectant concilii convocationem, directionem, confirmationem; quae singula iam consideranda sunt.

738. Romanus Pontifex habet *ius convocandi* concilium universale, et quidem ille solus, exclusive. „Dari nequit Oecumenicum Concilium, quod a Romano Pontifice non fuerit convocatum" (*CIC* 222, 1). Ratio est ipsius Romani Pontificis primatus et auctoritas universalis et suprema super totam Ecclesiam (*Ass. 21,* n. 508 sqq.). Iamvero concilium universale est res, quae spectat ad *solam* Ecclesiam — ergo nemo extra hierarchiam Ecclesiae poterit de iure convocare concilium; et ad *totam* Ecclesiam — ergo ille solus poterit concilium convocare, qui toti Ecclesiae praeest, i. e. solus Romanus Pontifex, quippe qui non solum est pastor fidelium sed etiam pastorum, non solum singulorum pastorum, sed etiam omnium in quantum formant corpus magisterii, sive dispersi, sive congregati in concilio.

Ab hac quaestione iuris nitide distingui debet *quaestio facti,* quae scilicet imprimis agitatur quoad concilia priora octo, quae celebrata sunt in parte orientali imperii romano-byzantini. Sunt etenim qui contendant has synodos fuisse potius *imperiales* quam universales, convocatas scilicet ab imperatoribus, qui sibi ius convocationis adscripserint, absque cooperatione cum Romano Pontifice. De facto etiam episcopos congregatos omnes fuisse imperii romani, cum cuius finibus ἡ οἰκουμένη fere coinciderit, ita ut tunc temporis concilium imperii romani vocari potuerit oecumenicum.

Alii autem non omnes assertiones has admittunt, sed negant Pontifices Romanos nullas partes habuisse in convocandis conciliis; negant etiam synodos recte posse vocari imperiales [20].

Concedenda erit certa quaedam evolutio in pleniore cognitione primatus Romani Pontificis omniumque iurium, quae ex ipso promanant. Neque omitti debet Romanum Pontificem posse vel diserte vel tacite ius convocandi concilii participare et delegare imperatori, e. g. eo quod agnoscat concilium ab imperatore vocatum. Neque dubium est tali modo aliqua concilia, e. g. *Chalcedonense,* ad auctoritatem universalis synodi evecta esse. Immo *Concilium Constantinopolitanum I,* quod ratione convocationis non erat oecumenicum, postea, ut dictum est (n. 733), ut universale agnitum est propter agnitionem Damasi papae et episcoporum Occidentis [21].

739. Praeter convocationem ad Romanum Pontificem pertinet eodem summo iure *directio concilii* universalis celebrandi; ipse de

iure ei *praeest.* „Eiusdem Romani Pontificis est Oecumenico Concilio per se vel per alios praeesse, res in eo tractandas ordinemque servandum constituere ac designare, Concilium ipsum transferre, suspendere, dissolvere, eiusque decreta confirmare" (*CIC* 222, 2).

Necessitas alicuius ordinis synodalis est evidens, tum ex natura rei, tum ex historia conciliorum. Et ex natura rei quidem, quia agitur de rebus gravissimis ac difficillimis, de quaestionibus scilicet fidei et morum et disciplinae, quae spectant ad Ecclesiam universalem in toto mundo diffusam. Has porro quaestiones decidere debent homines non solum numerosi, sed etiam natione, indole, eruditione, instructione diversi, inter se minime noti, qui alii aliis in Ecclesiae partibus aliis difficultatibus premuntur, quas a concilio solvi desiderant.

Ob causas modo expositas atque plurimas difficultates, in prioribus conciliis observatas, *C. Hefele,* consultor Commissonis directricis *Concilii Vaticani* atque conciliorum historiographus celeberrimus, methodum proposuit in congregationibus generalibus huius concilii observandam, qua scilicet melius et citius quaestiones tractandae sane gravissimae absolverentur[22]. Hic ordo, a *Pio IX* statutus Litteris apostolicis *Multiplices inter*[23], die 2 Decembris 1869 patribus congregatis proponebatur in sessione praesynodali. Licet autem non omnia huius ordinis statuta omnibus placerent, ipsum tamen ius Romani Pontificis talem praescribendi ordinem, paucis vel nemine contradicente, agnoscebatur ab episcopis congregatis[24]. Verba autem, quibus Romanus Pontifex suum ipse ius circumscribit, sunt haec: „Licet ius et munus proponendi negotia, quae in sancta oecumenica Synodo tractari debebunt, de iisque Patrum sententias rogandi nonnisi ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem pertineat, nihilominus non modo optamus, sed etiam hortamur, ut si qui inter Concilii Patres aliquid proponendum habuerint, quod ad publicam utilitatem conferre posse existiment, id libere exsequi velint." [25]

Exercuerunt autem Romani Pontifices ius hoc praesidendi vel per legatos suos — ita *Coelestinus* in *Concilio Ephesino* (*R* 2018) et *Leo* in *Chalcedonensi* (*D* 143 sqq.) per legatos determinata instructione praeditos; aliter in *Tridentino,* cui legati romani praeerant amplioribus facultatibus instructi — vel ipsi in persona, ut in *Lateranensi V* et in *Vaticano* Concilio. In quo casu decreta concilii promulgantur nomine Romani Pontificis: „Pius episcopus ... sacro approbante concilio. . . ." [26]

740. Tertium ius, *confirmationis,* est omnium gravissimum. Fuerunt nimirum concilia non convocata a Romano Pontifice; alia, quibus idem non praeerat; at nullum umquam fuit Concilium Oecumenicum, quod non auctoritatem suam universalem deberet et debet confirmationi eiusdem Romani Pontificis. *Ratio* in promptu est. Haec etenim confirmatio est ipsum votum Romani Pontificis, quod

essentialiter requiritur, ut decretum sit universalis magisterii Ecclesiae. Quamprimum hoc votum accedit ad voces aliorum membrorum, vere Ecclesia docens tota locuta est, Ecclesia discens tota obligatur hoc decreto ut infallibili. At hoc votum Romani Pontificis non ad instar ceterorum votorum ipsisque aequale mere adnumeratur, sed ut *qualitative diversum* ab omnibus aliis: in specie scilicet necessarium, quod de nullo alio voto singulari valet. Necesse enim est caput Ecclesiae consentiat, ut decretum episcoporum sibi subditorum sit vere conciliare.

Unde patet hanc confirmationem nullatenus dependere ex consensu ceterorum episcoporum. Etiamsi ad unum omnes episcopi congregati consentiant de aliqua veritate definienda, neque ideo Romanus Pontifex eorum sententiae accedere debet; poterit abstinere a confirmatione; poterit reprobare aliquod decretum conciliare, sicut *Leo I* reiecit canonem 28 *Concilii Chalcedonensis* (*K* 898 ss; cf. *D* 657 notam 2, de auctoritate *Concilii Constantiensis*).

Confirmatio iam variis *modis* fieri potest: vel eo quod patres conciliares accedant voto Romani Pontificis, ut patres *Concilii Chalcedonensis* epistulae *Leonis I* (*D* 143 sqq.); haec est confirmatio *antecedens* et improprie dicta. Vel fieri potest forma proprie dicta seu *consequenti,* sive diserta ut in *Vaticano,* sive indirecta et implicita potius, receptione videlicet et promulgatione decretorum concilii, ut in *Constantinopolitano II* quoad tria capitula (*D* 213 sqq.)[27] Omnes autem formae reduci possunt ad hoc, ut Romanus Pontifex exerceat supremum suum magisterium, necessarium ut habeatur decretum vere conciliare universale. „Concilii decreta vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata" (*CIC* 227).

741. Concilia, tali modo habita, re vera ut oecumenica atque inde etiam ut infallibilia *agnita* esse *ab universa Ecclesia* historia testatur. Testimonium autem Ecclesiae universalis eiusque agnitio hac in re est argumentum peremptorium; nam si omnino Ecclesiae competat infallibilitas, certe adscribenda est sententiae universali Ecclesiae docentis et discentis.

Ex plurimis testimoniis pauca quaedam eaque antiquissima addere satis erit, quibus eluceat et episcopos collectos sibi attribuere infallibilitatem et Ecclesiam hanc agnoscere.

In *Concilio Nicaeno I* episcopi sciunt se repraesentare magisterium universale: (*Arii* asseclas) „dicentes (creatum vel) convertibilem et demutabilem Deum (Filium Dei), hos anathematizat catholica Ecclesia" (*D* 54; cf. etiam epistulam synodalem eiusdem synodi: *K* 409 sqq.). Patres deinde Concilii *Constantinopolitani I* (*D* 85) et *Ephesini* (*D* 125) confirmarunt Nicaenum; ipsum *Ephesinum* seu potius *anathematismi Cyrilli* postmodum a *Constantinopolitano II* agniti sunt (*D* 113, nota 1). *Vaticanum* in constitutione de infallibilitate Romani Pontificis inseruit testi-

monia Conciliorum *Constantinopolitani IV, Lugdunensis II, Florentini,* ut oecumenicorum (*D* 1832 sqq.).

Ex *Patribus* idem testantur e. g. *Athanasius* (*R* 757 785 792); *Ambrosius,* opponens synodo ariminensi nicaenum (*R* 1250); *Augustinus* laudat auctoritatem saluberrimam conciliorum plenariorum (ep. 54, 1, 1; *R* 1419); *Leo Magnus* decreta inviolabilia nicaeni (*R* 2185); *Gregorius Magnus* comparat quattuor synodos oecumenicas priores cum quattuor evangeliis, tamquam absolutae auctoritatis. „Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit!" (*R* 2291.) Praeclarum talis agnitionis universalis documentum habetur in *Concilio Vaticano,* relate ad definitionem infallibilitatis Romani Pontificis. Episcopi illi, qui definitionem impedire desiderabant (*minoritatis* quae dicitur), ante sessionem publicam et sollemnem profecti erant; at longe plurimi ex iis iam tunc clare asseruerant sese submissuros esse decreto ceterorum patrum; non igitur erant adversarii definitionis absoluti, et de facto omnes postea subiectionem nuntiaverunt Romano Pontifici. Hisce (circiter 60) profectis, convenerunt ad quartam sessionem publicam, die 18 Iulii 1870 habitam, episcopi universim 535, e quibus votum dederunt positivum („placet") 533, negativum („non placet") 2; sed hi duo, quorum alter nullo modo doctrinae definiendae infestus erat, alter declaraverat se esse praestiturum oboedientiam decisioni conciliari, cum aliis simul fidem praestiterunt dogmati infallibilitatis Romani Pontificis. Postquam enim Pius IX, suffragiis omnium patrum assistentium collectis, eorum suum adiunxit votum hisce verbis: „Decreta et Canones, qui in Constitutione modo lecta continentur, placuerunt Patribus omnibus duobus exceptis; Nosque, sacro approbante Concilio, illa et illos, ut lecta sunt, definimus et apostolica auctoritate confirmamus", in eadem sessione ambo genibus flexis fidem suam in veritatem definitam professi sunt [28]. Quos secuti sunt omnes episcopi totius orbis, clerus universus populusque catholicus, paucis exceptis. De universalitate huius decreti dubium nullum esse potest [29].

Scholion. De Concilio Oecumenico ut infallibili.

742. Discussis condicionibus, sub quibus concilium aliquod vere universale et oecumenicum dici queat, aliqua de infallibilitate Concilii Oecumenici addantur, de huius nimirum infallibilitatis causa, subiecto, obiecto.

1. *Causa* infallibilitatis concilii est *assistentia Spiritus Sancti,* a Christo magisterio Ecclesiae promissa et tradita, qua Ecclesia docens et hinc etiam discens praeservatur ab errore. Ab hac igitur assistentia unice pendet valor absolutus decreti alicuius infallibilis conciliaris, non vero ab industria, scientia, eruditione patrum congregatorum. Atque hoc adeo verum est ut ipsa argumenta (e. g. e *Sacra Scriptura* desumpta) possint esse falsa, erronea, debilia, quin doctrina, ad quam probandam assumuntur, et ipsa falsa dicenda sit, si a concilio definiatur; nam definitioni adest ipsa protectio Dei.

Nihilominus requiritur episcoporum in concilio congregatorum *labor* strenuus et assiduus, scientia revelationis christianae perfecta, eruditio theologica eximia, quia in Ecclesia, tamquam societate religiosa, humana simul et divina, exigitur *cooperatio humana* atque imprimis eorum, qui nomine Christi ipsi praesunt in regimine et magisterio. Hinc acta conciliorum testantur ingentem laborem, quo vel praeparabantur vel discutiebantur vel perpendebantur singulae quaestiones in concilio definiendae, sive ab episcopis ipsis, sive a theologis et canonum sacrorum peritis, qui ut consultores accersebantur (cf. *CIC* 223, 3), non ut iudices. Iudices enim sunt sola membra concilii, qui ut tales *decreta* edunt doctrinalia absolute tenenda, non theses theologicas, argumentis probandas et a fidelibus intellegendas.

743. 2. De *subiecto* huius infallibilitatis conciliaris est controversia quaedam, orta ex comparatione inter magisterium infallibile Romani Pontificis solius et magisterium concilii, quod essentialiter includit Romanum Pontificem. Estne, ita quaerunt, *unum subiectum* infallibilitatis, solus Romanus Pontifex? Suntne *duo* subiecta infallibilitatis, et quidem duo subiecta *adaequate* distincta vel *inadaequate* distincta?

Certum est *non* esse *duo* subiecta infallibilitatis *adaequate distincta,* ita ut in concilio episcopi seorsum a Romano Pontifice sint infallibiles; nam magisterium Romani Pontificis pertinet essentialiter ad magisterium universale Ecclesiae ordinarium (cf. n. 727) et extraordinarium (n. 737 sqq.). Porro certum est Romanum Pontificem non esse eo sensu unicum subiectum infallibilitatis, ut *episcopi* non sint *veri iudices doctrinales,* sicut diserte exprimitur e. g. in prooemio Constitutionis dogmaticae de fide catholica *Concilii Vaticani:* „. . . sedentibus Nobiscum (cum Romano Pontifice, Pio IX) et *iudicantibus* universi orbis episcopis . . ." (*D* 1781), qui ut tales habent *ius suffragii deliberativi* (*CIC* 223, 1), non solum consultivi.

Altera autem quaestio, utrum scilicet episcopi congregati — et idem valet de dispersis magisterii ordinarii — sint infallibiles *qua uniti cum Romano Pontifice,* ita ut hac coniunctione eius participes fiant infallibilitatis, an vero episcopi simul cum Romano Pontifice gaudeant assistentia Spiritus Sancti, libere controvertitur. In priore casu subiectum infallibilitatis, unum et unicum et adaequatum est Romanus Pontifex; in altero casu duo sunt subiecta infallibilitatis: scilicet (1) Romanus Pontifex solus, si ex cathedra loquitur; (2) magisterium universale in quo tamen includitur Romanus Pontifex, ita ut inter haec duo subiecta intercedat distinctio inadaequata.

744. Priorem sententiam tenent e. g. *Palmieri, Billot, Straub,* alii[30]; *rationes* affert *Straub* sequentes: a) „Sane solius Petri fides ex se firma ideoque ex se infallibilis testimoniis Scripturae (Matth. 16, 18 s Luc. 22, 31 s Io. 21, 15 ss) praedicatur, unde interposito magisterio Petri firmitas et infallibilitas in omnem ecclesiam, fraternitatem, gregem audientem derivatur." Favent sententiae deinde Patrum, ut Irenaei, Ephraem, Innocentii, Leonis, aliorum, Thomae Aquinatis, Concilii Lugdunensis II (*D* 466). — b) Altera ratio petitur ex natura magisterii supremi Romani Pontificis utpote partis primatus universalis. Ut scilicet habeatur actus docendi supremus et infallibilis, accedat oportet consensus Romani Pontificis; ergo episcopi, qui in concilio collecti suffragium ferunt de aliqua doctrina (nondum agnita tamquam de fide, sed quadamtenus controversa) definienda „nec licite nec valide suffragia sua ferent prorsus absolute, sed sub condicione, si Pontifex Romanus non aliter definiat"; qui vel nullum votum edet, ita ut res in suspenso maneat; vel dissentit, quo fit ut suffragium ceterorum episcoporum irritum evadat; vel consentit, ita ut „suffragium concordans (ceterorum episcoporum) impleta condicione demum absolute efficax" sit vel fiat. — c) „His adde, quod valde mirum esset, si infallibilitatem, quae tantum in partem docentium maiorem pro aliis definiendis ex aliis hominibus componendam, non in personas certas caderet, episcopi divinitus ex se ipsis, non per accessum ad doctorem determinatum divinitus ex se infallibilem, obtinerent." — d) „Denique opinio opposita nullo argumento solido fulcitur."[31]

Alteram sententiam tuentur *Schneemann, Franzelin, Pesch,* alii[32]. Rationes proponit *Pesch* has: a) Duae sunt promissiones infallibilitatis, factae scilicet altera Petro, altera vero collegio apostolorum; hinc duplex subiectum infallibilitatis, inadaequate alterum ab altero distinctum; — b) ante definitionem infallibilitatis Romani Pontificis constabat infallibilitas Concilii Oecumenici; inde „videtur concludendum esse aliud subiectum illius infallibilitatis, aliud huius". — c) „Idem videtur effici ex doctrina Concilii Vaticani" (*D* 1839). Determinat enim ambitum infallibilitatis pontificiae secundum ambitum infallibilitatis conciliaris. „Si autem solus summus Pontifex in ecclesia definiente per se esset infallibilis, idem per idem declararetur." — d) „Placet" porro Romani Pontificis, placitis aliorum patrum additum, vix dici posse definitionem ex cathedra; — e) melius denique in hac sententia explicatur, quomodo episcopi sint veri iudices doctrinales. Occurrit deinde auctor aliquibus rationibus a Straub propositis[33].

Et hae sunt rationes ab utraque parte propositae. Licet autem interim magis faveam sententiae priori, fateor tamen quaestionem nondum ad hoc pervenisse ut certa decisio videatur dari posse.

745. 3. *Obiectum* concilii quidem universalis est duplex, quia ipsa potestas eius, suprema scilicet in universam Ecclesiam (*CIC* 228, 1), est duplex: regiminis et magisterii. Non quidem est maior potestate Romani Pontificis, qui nimirum ipse pertinet ad Concilium

Oecumenicum; hinc „a sententia Romani Pontificis non datur ad Concilium Oecumenicum appellatio" (*CIC* 228, 2).

Ut *magisterium supremum* iudicat de *veritatibus omnibus,* quae spectant ullo modo ad ipsum magisterium Ecclesiae, sive sunt formaliter revelatae, sive cum revelatis quocumque modo cohaerent (cf. *Ass.* 30 et 31). Exempla habentur, quod ad veritates revelatas attinet, plurima, inde a *Concilio Nicaeno I* (*D* 54); ex factis dogmaticis cf. damnatio Theodori Mopsuesteni et aliorum in *Concilio Constantinopolitano II* (*D* 224 sqq.); decreta disciplinaria edidit e. g. *Concilium Tridentinum* (*D* 943; 990 sqq.). *Generatim* valet: concilium posse omnes quaestiones definitive dirimere, quas sibi dirimendas proponit et dirimit, ita ut certissime ex ipsis actis conciliorum discamus, quae pertineant ad eorum ambitum. Ratio est ipsa natura infallibilitatis, quae limites suos transire nequit (cf. n. 711).

Inde etiam derivantur variae *regulae,* quae statui solent ad rite interpretandos canones conciliorum. Atque norma *prima* est haec: Inquirenda est *intentio* patrum congregatorum. Nam cum patres sint iudices, sensus et auctoritas definitionis (absoluta vel non absoluta) unice dependent ab intentione et a voluntate patrum. Hinc requiritur studium actorum conciliarium, si adfuerint; vel patrum et theologorum concilio propinquorum; vel sensus, quem postea magistri Ecclesiae alicui sententiae conciliari vindicarunt.

Aliquae autem *regulae* statui possunt eo sensu ut decreta conciliaria explicari possint secundum has normas, si vel acta conciliaria desint vel saltem non contradicant. Ad quas pertinent inter alias hae: „Definitiones sunt strictae interpretationis"; vi cuius regulae e. g. nequit inferri ex verbis Concilii Vaticani: Deum „naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo *cognosci* posse" (*D* 1785), esse de fide definita eundem certo *demonstrari* posse[34]. — „Non verba, sed sensus est de fide"; nam verba non sunt nisi media, quibus sensus exprimitur, quae licet apta electa sint, tamen alia esse possunt aliis temporibus; aliquando tamen et ipsa verba sunt obiectum definitionis, e. g. „transsubstantiationis" (*D* 877). — „Argumenta" et „obiter dicta", confirmationis et illustrationis gratia quae adduntur, non censentur esse definita. At non raro sensus alicuius textus, ex quo doctrina definienda probetur, ab eodem concilio definitive exponitur, e. g. institutionis ss. eucharistiae a Tridentino (*D* 874 875 949). — Distinctio autem inter *capita* et *canones* concilii, quasi hi soli, neque vero illa, sint de fide, teneri nequit[35]. Certe haec regula applicari nequit Concilio Vaticano neque Tridentino (cf. e. g. *D* 810 882 910 947). In dubio videndum est, num vel acta conciliaria, vel tenor decreti (e. g. „anathema sit" vel similia verba adiecta), vel indoles eius (e. g. professio fidei: *D* 86 143 sqq.) et contextus certitudinem praebere possint de intentione concilii.

746. NOTAE. — **1** *I. B. Franzelin,* De divina traditione et scriptura ([3]Romae 1883) 153 sq.; *C. Mazzella,* De virtutibus infusis (Romae 1884) n. 460; *H. Hurter,*

Theol. dogm. comp. I (10 Oeniponte 1900): „Fieri potest, ut quis sit vere haereticus
formalis ante sollemnem sui erroris condemnationem, si scil. neget veritatem re-
velatam satis ab Ecclesia magisterio suo quotidiano credentium fidei propositam"
(n. 528); *I. M. A. Vacant*, Le magistère ordinaire de l'Église et ses organes (Paris
1887) proponit duo exempla, scilicet e Tridentino canonem 7 de sacramento
matrimonii (*D* 977), cui forma mitigata tribuebatur respectu Orientalium; et
testimonium *Perrone*, qui anno 1848 asserere potuit Immaculatam Conceptionem
B. Virginis Mariae unanimiter admitti tamquam rem fidei; nihilominus petebatur
eiusdem veritatis definitio. — **2** *I. V. Bainvel*, De magisterio vivo et traditione
(Paris 1905) n. 101. — **3** *Granderath-Kirch*, Gesch. des Vatikan. Konzils II (Frei-
burg 1903) 363 sq.; ibidem de partibus, quas *I. Kleutgen* in hoc schemate elabo-
rando habuit. — **4** Coll. Lac. VII (1890) 507 sqq. — **5** Ibid. 1628 sqq.; in
fine capitis IV (De fide et ratione) legitur: „Sacrorum quoque dogmatum is
sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit S. Mater Ecclesia, sive
communi suo magisterio, sive sollemni definitione . . ." (1631 b). — **6** Ibid.
1658. — **7** Ibid. 73. — **8** Ibid. 87. — **9** Ibid. 159 sq. — **10** Ibid. 176 sq.;
Granderath-Kirch l. c. 442 sqq. — **11** De divina traditione et scriptura (3 1883)
115—117. — **12** Ita episcopus *Fessler* ap. *Granderath-Kirch* l. c. 31 sq. — **13** Ita
relator, archiepiscopus *Simor*; Coll. Lac. VII 94; *Th. Granderath*, Constit.
dogm. ss. Oecum. Concilii Vaticani (Friburgi 1892) 73. — **14** Durante Concilio
Vaticano (a die 8 Dec. 1869 usque ad diem 8 Aug. 1870) mortui sunt 24 ex
patribus congregatis; *Granderath-Kirch* l. c. 28, not. 2. — **15** Ibid. 33 sqq. —
16 Notanda est distinctio inter concilia ab initio universalia et alia, quae
ratione convocationis potius dicenda essent particularia, sed postmodum evecta
sunt ad dignitatem synodi oecumenicae, ut *Constantinopolitanum I* approba-
tione subsequente *Damasi* papae et episcoporum occidentalium. Cf. *Chr. Pesch*,
Praelect. dogm. I 6/7 n. 449. — **17** *Granderath-Kirch* l. c. III 69 sqq., ubi res in
Concilio Vaticano gestae descriptae sunt et doctrina ipsa exposita est. — **18** Coll.
Lac. VII 974 sq. — **19** Exemplum suffragii Concilii Vaticani v. *Granderath-Kirch*
l. c. II 240. — **20** Priorem sententiam tuetur *F. X. Funk*, Kirchengesch. Abh. u.
Untersuch. III (Paderborn 1907) 143 sqq. 406 sqq.; alteram *C. A. Kneller* in
Zeitschr. für kath. Theol. XXVII (1903) 1 sqq. 391 sqq.; XXVIII (1904) 58 sqq.
519 sqq. 699 sqq.; XXX (1906) 1 sqq. 408 sqq.; XXXI (1907) 51 sqq. Cf.
C. I. v. Hefele, Conciliengeschichte I 2 7 sq. — **21** *Chr. Pesch* l. c. n. 449. —
22 Coll. Lac. VII 1087 sq.; *Granderath-Kirch* I 417 sqq. — **23** Coll. Lac. VII
17 sqq. — **24** Ibid. 918; *Granderath-Kirch* I 420 sqq.; II 38 sqq. 46 sqq. —
25 Coll. Lac. VII 18. — **26** De qua formula quae disputata sunt v. *Grande-
rath-Kirch* l. c. II 55 sqq. — **27** De Concilio Vaticano cf. ibid. 477; III 499.
— Patres Synodi *Constantinopolitani I* epistula synodali petiverunt confirma-
tionem a Damaso papa (*K* 649 sqq.), quam autem ab eo obtinuisse non vi-
dentur (*Hergenröther-Kirsch*, Handb. der Kirchengesch. I 5 424 sq.); postea demum
synodus agnita est. — Conspectum quendam v. *F. X. Funk*, Kirchengesch. Abh.
u. Unters. I 87 sqq. — De quibusdam quaestionibus specialibus, relationem
quae spectant inter concilium et papam, v. *I. V. de Groot*, Summa Apologetica de
Eccl. cath. (3 1906) 479 sqq.; *Ph. Maroto*, Instit. Iuris Canonici II (1919) 189. —
28 *Granderath-Kirch* l. c. III 498 sqq. — **29** Ibid. 542 sqq. 708 sqq. — **30** *D. Pal-
mieri*, Tract. de Romano Pontifice (2 Prati 1891) 637 sqq.; *L. Billot*, Tract. de
Ecclesia III (1 Romae 1900) 227 sqq.; *A. Straub*, De Ecclesia Christi n. 1060 sq.
(II p. 470 sqq.). — **31** *A. Straub* l. c. n. 1060 sqq. — **32** *G. Schneemann*, Die
kirchl. Lehrgewalt (1867) 198 sqq.; *I. B. Franzelin* l. c. 117; *Chr. Pesch* l. c.
n. 459; *Th. Spáčil* in Zeitschr. für kath. Theol. XL (1916) 524—552; contra
quem *A. Straub* ibid. XLII (1918) 255—300. — **33** *Chr. Pesch* l. c. I, n. 459

(5 1915, p. 324; 6/7 1924, p. 321 sqq.). — **34** *Th. Granderath*, Constitutiones 40; cf. *D* 2145. — De sensu capitis 3, sess. III Vatic. cf. *W. Strasser* in Theologie und Glaube XV (1923) 230 sqq. — **35** *Th. Granderath* l. c. 74, not. 1; *Chr. Pesch* l. c. I, n. 454. — De *origine* conciliorum (atque de eorum *necessitate*) cf. *Ph. Maroto* l. c. 52 sqq., qui contendit ea non esse proprie originis divinae et iuris divini, eo sensu „ut Deus statuerit in Ecclesia aliquando esse concilia celebranda" (p. 54), neque proprie originis apostolicae, nisi „ad summum sub quadam generica . . . forma . . ., ut Apostoli nonnisi quoddam genericum et indeterminatum posuerint vestigium" (p. 57), conventu suo nimirum hierosolymitano.

Quaestio 2. De auctoritate doctrinali Romani Pontificis.

747. Similiter atque in magisterio universali Ecclesiae, etiam in magisterio Romani Pontificis *duplex exercitium* distingui poterit, alterum quidem *ordinarium*, alterum vero *extraordinarium*. *Ordinarium* est quotidianum, complectens varios actus auctoritatis doctrinalis, positos vel ab ipso Romano Pontifice vel ab eiusdem organis doctrinalibus, Romanis scilicet Congregationibus. Qui omnes actus id commune inter se habent, quod non promanant ex usu summo potestatis, Romano Pontifici ut primati Ecclesiae universalis propriae, ac proinde non sunt infallibiles. Magisterium autem Romani Pontificis *extraordinarium* est exercitium summum summae istius potestatis et auctoritatis, qua ut primas pollet atque ut successor S. Petri, ipsumque insignitum charismate infallibilitatis.

Duo itaque exercitii actus cum distingui debeant, seorsum uterque considerandus est atque, num habeatur et cuiusnam sit auctoritatis, examinandum. Hinc agemus primo de magisterio extraordinario seu supremo et infallibili Romani Pontificis, deinde de eiusdem magisterio ordinario, in quantum opponitur infallibili, atque speciatim de eo, quod exercet per Congregationes suas Romanas.

A. De magisterio Romani Pontificis extraordinario et infallibili.

ASSERTIO 28. Romanus Pontifex, beati Petri in primatu successor, est magister authenticus supremus, et infallibilis quidem, si ex cathedra loquitur.

748. Ipsis iam verbis assertionis nexus intimus notatur, qui hanc assertionem coniungit cum praecedentis tractatus assertione 21, agente de *primatu* Romani Pontificis. Cum eodem nimirum primatu eiusque summa potestate iurisdictionis in universam Ecclesiam oritur magisterium quoque summum et infallibile, quod recte

vocatur primatus *doctrinalis*. Romanum igitur Pontificem intellegimus episcopum romanum, qui et quatenus est successor Petri in eius primatu universali et supremo.

Magister autem *authenticus supremus* dicitur in quadam oppositione ad omnes alios magistros Ecclesiae, episcopos nimirum sive singulos sive collectos in Concilio etiam Oecumenico, de quorum magisterio sermo fuit in assertionibus praecedentibus. Sicut scilicet primatus iurisdictionis superat auctoritatem omnium aliorum praepositorum Ecclesiae, ita magisterium supremum est super omnium aliorum doctorum magisterium; ne concilium quidem universale est super Romanum Pontificem, quandoquidem, ut dictum est (n. 737 sqq.), ipsius magisterium est elementum essentiale magisterii universalis concilii.

At *quaeri* potest, num Romani Pontificis tanta sit auctoritas, ut iam *seorsum*, extra concilium universale et absque magisterio universali, sit infallibilis; et, si ita fuerit, sub quibusnam condicionibus magisterium eius supremum et infallibile exerceatur. Asserimus, adhibentes terminum longaevo usu consecratum, Romanum Pontificem esse infallibilem, si *„ex cathedra loquitur"*, i. e. summa sua auctoritate uti velit et utitur doctrinali. Summum enim exercitium summae huius auctoritatis doctrinalis adnexum habet donum infallibilitatis simili plane modo ac summus actus magisterii universalis eodem privilegio pollet; aliis verbis: definitiones — nam ita nuncupantur summi actus doctrinales — Romani Pontificis sunt eodem modo infallibiles ac definitiones conciliares.

749. Quaestio huius assertionis sollemniter decisa est in *Concilio Vaticano*, rationibus e quibus infallibilitas probetur diligenter discussis, difficultatibus et obiectionibus quae contra hanc doctrinam factae erant vel fieri potuerant attente ac sedulo perpensis, ita ut, quae eousque de hac materia dicta erant, omnia collecta fere et digesta in actis concilii invenias. Atque eo maior absque dubio huius dogmatis, Romanum Pontificem nimirum, si ut supremus omnium christianorum doctor summa sua auctoritate loquitur, infallibilem esse, certitudo etiam mere scientifica facta est, quo vehementiores fuerint impugnationes, quibus adversarii eius utebantur et antiqui et recentiores, usque ad tempora ipsius concilii. Hinc, si quis velit, sequatur ipsa verba definitionis Vaticani (*D* 1832 sqq.), quippe quae omnia argumenta, sive depromuntur ex verbis Christi sive ex dictis patrum sive ex definitionibus Ecclesiae, argumenta igitur et historica et dogmatica, continent.

Inquisitio autem nostra sequitur potius eundem tramitem et ordinem, quem omnes praecedentes, quatenus primum indagat

verba Christi et persuasionem Ecclesiae primitivae. Deinde autem, cum iam ex assertione praecedenti constet de valore absoluto definitionis Concilii Oecumenici atque de indole oecumenica Vaticani dubium esse nequeat (cf. n. 734 sqq.), addetur ratio *dogmatica,* imprimis ex definitione Concilii *Vaticani*.

I. Inquisitio historica.

1. Quidnam erui possit *ex verbis Christi*.

Consideranda sunt verba Christi, quibus Petro promisit et contulit primatum (Matth. 16, 18 sqq. Io. 21, 15 sqq.), et insuper Luc. 22, 31 sqq., quibus continetur promissio Petro facta, fore ut apostolus, a Christo roboratus, non deficeret a fide.

750. a) Christus Simoni Petro promisit et contulit *primatum* suae Ecclesiae eumque *perennem*, ita ut haec eadem summa potestas transitura esset ad omnes Petri successores (cf. *Ass. 14,* n. 362 sqq.; *Ass. 15,* n. 378 sqq.; *Ass. 21,* n. 507 sqq.). Iamvero hoc primatu continetur *magisterium summum* eiusque *infallibilitas,* id quod deducitur tum ex ipsa ratione primatus tamquam auctoritatis supremae Ecclesiae ut societatis religiosae doctrinalis, tum ex ipsis verbis, quibus Christus hanc rationem primatus describit.

Ac primum quidem, *ratio primatus* si perpendatur, dicendus est auctoritas summa et — cum dependentia a Christo — absoluta in Ecclesia, ita ut omnes Ecclesiae socii primati, Petro eiusque successoribus, subiecti sint eumque sequi teneantur in omnibus, quae ad finem huius societatis spectant. Ad finem vero Ecclesiae pertinet, et quidem essentialiter, magisterium authenticum (cf. *Ass. 24,* n. 641 sqq.; cf. n. 632 sqq.), ac proinde auctoritas primatus sese extendit necessario ad hoc magisterium. Ergo primas Ecclesiae, praeterquam quod instructus est summa regiminis potestate, etiam *summa* pollet *potestate magisterii,* auctoritate igitur doctrinali absoluta seu *infallibili.* Et re quidem vera, potestas doctrinalis, nisi est infallibilis, Ecclesiae esset in interitum; nam, errore aliquo doctrinali primatis supposito, Ecclesia universa aut sequeretur caput suum visibile aut non; si prius, actum esset de doctrina Christi genuina; sin alterum, actum esset de Ecclesiae unitate, organisatione, ipsaque natura et essentia sociali a Christo determinata.

Hanc autem interpretationem non esse vi quadam intrusam inquisitio in ipsa verba Christi ostendet. Triplex illa metaphora, qua Christus utitur in promissione primatus (Matth. 16, 18 sq.; cf. n. 367 sqq.), describit auctoritatem primatis ut *fundamentum* unitatis et stabilitatis totius domus aedificandae seu Ecclesiae;

ergo ipsa etiam est ratio, cur doctrina, quam Christus suae Ecclesiae tradet, deficere numquam possit, i. e. cur Ecclesia infallibilis sit. Simoni deinde promittitur potestas *clavium,* ut videlicet sit oeconomus in domu Dei et vicarius Christi in caelum redituri, cui administratio universa commissa est. Ad hanc autem administrationem pertinet etiam dispensatio *verae doctrinae Christi,* quam nomine et auctoritate Christi proponet, summa igitur et infallibili auctoritate. Atque idem exprimitur potestate *ligandi* atque *solvendi,* vi cuius omnia, quae primas in Ecclesia Christi tamquam eius caput visibile ordinat, facit, fieri iubet, omnem doctrinam, quam ut veram Christi doctrinam proponit absolute admittendam, a Deo ipso approbari et rata haberi dicuntur; Deus autem errorem ratum habere nequit.

Collatio deinde eiusdem primatus, Simoni Petro facta post Iesu Christi resurrectionem (Io. 21, 15 sqq.; n. 347 sq.), et comparatio Ecclesiae cum Christi grege, Petri cum eius summo pastore vices Christi his in terris gerente, etiam clarius exhibet summam potestatem doctrinalem atque infallibilitatem ei adnexam. Totus nimirum grex Petro committitur dirigendus et pascendus; pascua autem huius gregis est (praeter media sanctificationis) doctrina Christi, revelata et divina, via ad vitam. Ergo in hac doctrina admittenda, tenenda, credenda omnes huius gregis oves et pastores, Petrum tamquam supremum pastorem ut sequantur, tenentur voluntate ipsius Christi; Petrus proinde in supremo muneris exercitio errare nequit.

751. b) *Lucas* solus, qui ceteroquin verba promissionis primatus non praebet, loco fortasse huius aliam promissionem Petro factam esse a Christo, et quidem ultima nocte, refert, peracta iam cena eucharistica: „Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua (ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις σου): et tu, aliquando conversus (σύ ποτε ἐπιστρέψας)[1], confirma fratres tuos“ (Luc. 22, 31 sq.). Licet contextus non plene perspici possit, *sensus* tamen eatenus est clarus ut appareat Christum promittere apostolo suo auxilium supernaturale, absolutae efficaciae, pro ipso et ceteris apostolis, in ratione ad fidem.

Dubium autem esse potest, num verba et promissio Christi respiciant tempus dumtaxat immediate futurum, passionis scilicet et mortis Christi, quae Petro et ceteris apostolis maximo periculo erunt. Nam sequitur praedictio negationis Petri (22, 33 sq.). — Attamen videtur dicendum esse verba *sensu generaliore* intellegi posse, de relatione nimirum Petri ad alios apostolos atque ad

totam Ecclesiam Christi, ut supremi magistri omnium. Nam si Petrus in hoc summo discrimine ab errore et defectione a fide praeservatur assistentia Christi, idem dicendum erit de tempore futuro, praesertim cum Petrus consideretur et supponatur dux et magister ceterorum apostolorum. Accedit deinde Lucae in scribendo evangelio *methodus,* qua scilicet ex altera parte praefert atque integra narranda curat illa, quae propria habet (praeter *EvMatth.* et *EvMarc.*), ex altera parte certa quadam „parsimonia“ utitur in referenda materia illa, quam alia evangelia continent, ne scilicet ambitum voluminis egrediatur consuetum[2]. Hinc possibile est, ut pericopam de primatu, a Christo Petro promisso, omiserit atque eius loco hanc nostram inseruerit. Atque hoc ipsum probabile redditur utriusque inter se comparatione; singulae enim fere ideae recurrunt in utroque textu: „Portae inferi“ = „satanas expetivit vos“; „ego . . . aedificabo“ = „ego pro te rogavi . . .“; „super hanc petram . . .“ = „confirma fratres tuos“. Hinc omnino probabile dici debet Lucam hisce verbis describere Petri primatum doctrinalem[3].

2. Testimonium *primaevae Ecclesiae.*

752. Testimonia, quae diserte exhibeant primatum doctrinalem Romani Pontificis atque eius infallibilitatem, non sunt frequentia (cf. documenta de eiusdem primatu iurisdictionis n. 513 sqq.); ratio est huius dogmatis progressus, quo paulatim plenius perspectum, ab impugnationibus vindicatum, ad singulos casus applicatum est, donec in Concilio Vaticano sollemniter definitum est non absque resistentia quorundam etiam patrum ipsius huius concilii. Ipsum huius primatus doctrinalis, similiter ac primatus iurisdictionis, *exercitium* primis temporibus Ecclesiae minus urgebat atque decursu demum temporis, data occasione, explicite etiam affirmabatur. Vestigia tamen infallibilitatis Romani Pontificis agnitae non desunt ne hisce quidem primis religionis christianae aetatibus.

753. *Ignatius* Antiochenus, scribens ad ecclesiam romanam, illam prae ceteris praedicat, tamquam eam, quae „praesidet in loco regionis Romanorum“ et quidem „universo caritatis (ἀγάπη = ecclesia, n. 516) coetui praesidens“ (ad Rom. prooem.; *K* 25); rationem autem indicat desumi ex relatione huius ecclesiae ad apostolos Petrum et Paulum (ibid. 4, 3; *K* 26); hinc agnoscit eius doctrinam et auctoritatem doctrinalem: „. . . alios docuistis; ego vero illa quoque firma esse volo, quae docetis et praecipitis“ (3, 1). Inde etiam intellegitur petitio, quam romanae ecclesiae dirigit: „Memores estote in precibus vestris ecclesiae Syriae, quae meo loco

Deo pastore utitur. Solus Iesus Christus illam vice episcopi reget atque vestra caritas“ (ἀγάπη, eodem sensu sociali ac in loco priore, 9, 1). Quibus verbis indicari videtur certa quaedam relatio ecclesiae romanae ad syriacam, qua scilicet romana curam gerit ecclesiae antiochenae ad instar episcopi, qui secundum Ignatium est magister authenticus suae ecclesiae (cf. n. 467 sq.). At haec ultima incerta manent.

Hegesippus, sicut plures alii, Romam petiit, ut inde disceret genuinam apostolorum traditionem tamquam ex fonte certissimo (apud *Eus.,* Hist. eccl. 4, 22, 1 sqq.; *K* 69 sq.; alia itinera romana cf. n. 520). — In controversia de die celebrandi paschatis synodi habendae indicantur a *Victore,* romano episcopo, quae singulis in Ecclesiae provinciis habentur neque solum praxim romanae ecclesiae unanimiter, si excipias ecclesias Asiae (*K* 91 sqq.), tenent, sed etiam, teste epistula synodi palaestinensis (*Eus.* l. c. 5, 26; n. 519), per ecclesiam romanam inter se fovent commercium epistulare (cf. de hac controversia supra n. 435 sq.).

754. Celeberrimum atque etiam maxime impugnatum est testimonium *Irenaei,* episcopi lugdunensis, de cuius sensu et auctoritate ultimis imprimis temporibus novae exortae sunt controversiae (de his plura in *Scholio*). Hoc autem loco potius positive sensum verborum Irenaei eruere conabimur.

Irenaeus videlicet agit in tertio libro operis sui *Adversus haereses* de fontibus, e quibus doctrina Christi et apostolorum certo hauriri possit, scilicet ex traditione et Sacra Scriptura. Utrumque fontem Ecclesia accepit ab apostolis (c. 1); neutrum agnoscunt haeretici (c. 2). Deinde explicat Irenaeus, qua via certa inveniri possit traditio apostolica: adest scilicet „in omni ecclesia“ (c. 3; *K* 124 sqq.; *R* 209 sqq.), in iis nimirum ecclesiis, quae reguntur ab episcopis, apostolorum successoribus. Harum ecclesiarum, catholicarum, consensus est argumentum peremptorium veritatis ab apostolis acceptae.

„Sed quoniam valde longum est . . . omnium ecclesiarum enumerare successiones“ atque ita demonstrare originem apostolicam, via utitur Irenaeus abbreviata et compendiaria, indicans videlicet successionem *unius ecclesiae romanae;* utpote „maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae“. Rationem etiam affert, curnam liceat loco consensus omnium ecclesiarum huius unius auctoritatem proferre: „Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua

semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab apostolis traditio.“ Prosequitur deinde Irenaeus seriem episcoporum romanorum (cf. n. 454 501 sq.) usque ad Eleutherium, qui „nunc duodecimo loco episcopatum ab apostolis habet. . . . Et est plenissima haec ostensio unam et eandem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate.“ Postquam porro aliqua de Polycarpo, teste eximio traditionis qua discipulo apostolorum et magistro Irenaei, deque eiusdem epistula ad Philippenses inseruit, ita concludit: „Tantae igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quae sint veritatis“ (l. c. 3, 4, 1; *K* 126[1]; *R* 213).

755. Et haec quidem de contextu huius testimonii; ex quo etiam qui sit eius *sensus* apparet. Verba ipsa, prout tradita sunt versione latina, relinquimus sine correctione et coniectura; nam licet non careant quadam obscuritate, quia scilicet textus primigenius graecus deest, haec tamen non est eiusmodi ut cogat emendatione aliqua uti.

Irenaeus videlicet rationem affert, curnam via ista compendiaria incedere liceat, seu curnam loco consensus omnium ecclesiarum sufficiat auctoritas doctrinalis *unius ecclesiae romanae.* Haec autem ratio est quaedam *principalitas,* illi ecclesiae soli competens; qua fit ut omnes aliae ecclesiae, modo habeant rectam fidem et velint manere in recta doctrina, *debent* (sensu vel *morali:* obligatae sunt; vel *obiectivo* seu *logico:* de facto convenient, quia ecclesia romana certo et necessario habet veritatem) convenire (i. e. consentire) cum ecclesia romana; ita unitas catholica, eorum nimirum „qui sunt undique fideles“, manifestatur et conservatur; ita in Ecclesia catholica „semper ab his, qui sunt undique (i. e. a fidelibus et omnibus ecclesiis), conservata est . . . traditio (apostolica)“ et revelatio christiana.

Factum igitur *auctoritatis doctrinalis absolutae* et *infallibilitatis* ecclesiae romanae clare ab Irenaeo asseritur; immo haec infallibilitas *soli* ecclesiae romanae attribuitur; nam ceteras etiam ecclesias vel omnes vel saltem immediate apostolicas ab Irenaeo infallibiles haberi immerito affirmatur (cf. n. 719 et Scholion 1, n. 722) atque ipsis verbis eius excludi videtur, quibus ecclesiae romanae *potentiorem principalitatem* vindicat. Est etenim ecclesia *Petri,* principis apostolorum (n. 501), cui in „fundanda et constituenda“ hac ecclesia adfuit Paulus, alter apostolorum princeps.

756. *Tertullianus* similia scribit ac Irenaeus, ita ut in libro suo *De praescriptione haereticorum* opus Irenaei in manibus habuisse videatur. A Christo scilicet apostoli totam doctrinam acceperunt praedicandam, eamque ecclesiis a se fundatis tradiderunt; „constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis . . . conspiret, veritati deputandam" (c. 21; *R* 293). Ecclesiae autem apostolicae, ad quarum *conspirationem* tamquam ad testimonium veritatis Tertullianus provocat, non sunt illae solae, quas apostoli ipsi condiderunt, sed etiam aliae, postea vel ab aliis fundatae, „quae denique cotidie instituuntur . . . pro consanguinitate doctrinae" (c. 32; *R* 296; *K* 193). Inter illas tamen *ecclesia romana* potiores quasdam partes habet. „Ista quam felix ecclesia! Cui *totam doctrinam* apostoli cum sanguine suo profuderunt . . . Petrus . . . Paulus . . . Ioannes . . ." (c. 36; *R* 297; *K* 194). *Petrus* autem in eodem libro defenditur ab accusatione erroris in controversia antiochena, quam Paulus (Gal. 2, 11 sqq.) narrat; „utique conversationis fuit vitium, non praedicationis" (c. 23; *R* 294). „Latuit aliquid (ait Tertullianus) Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves regni caelorum consecutum et solvendi et ligandi in caelis et in terris potestatem? Latuit et Ioannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori eius incubantem, cui solus Dominus Iudam traditorem praemonstravit, quem loco suo filium Mariae demandavit?" (c. 22; *K* 194[1]). Quae verba clare aliam assignant rationem infallibilitatis Petri, munus scilicet ipsi traditum; aliam Ioannis, familiaritatem amicitiae, qua cum Iesu erat coniunctus. Ex hac Petri condicione, tamquam capitis Ecclesiae et „fundatoris" ecclesiae romanae, intellegi debent alia quaedam effata eiusdem Tertulliani, quibus, ipse iam ideis Montani imbutus, inscius fere et invitus agnoscit illam praerogativam ecclesiae romanae (Adv. Praxeam 1, 4 sqq.; *K* 218 bis, De pudicitia 1, 6; *K* 219, si de episcopo Romano est sermo; 21, 9 sq.; *K* 221; cf. *Ass.* 21, n. 525).

757. Tunc temporis, saeculo scilicet II exeunte, III ineunte, auctoritatem ecclesiae romanae eiusque episcopi doctrinalem exerceri extra et ultra limites romanos patet tum ex testimonio Tertulliani, tum ex aliis quae supra in disquisitione de eiusdem episcopi romani primatu iurisdictionis allata sunt (*Ass.* 21, n. 523). *Clemens* nimirum et *Xystus* et *Anicetus* et *Victor*, postmodum *Zephyrinus* et *Callistus* (n. 526), *Fabianus* (n. 527) et *Cornelius* et *Stephanus* (n. 533) primatum suum exercuerunt etiam in re doctrinali. Cuius primatus et infallibilitatis agnitio aliqua inveniri potest in *factis* quibusdam, partim iam supra memoratis, scilicet

in commercio epistulari omnium ecclesiarum cum romana et per ecclesiam romanam; porro elucet influxus eiusdem huius ecclesiae relate ad symboli formam atque canonem S. Scripturae (cf. n. 519)[4].

758. Neque tamen propterea deerant qui hanc romanae sedis praerogativam vel *non agnoverint* vel etiam *impugnarint*. In controversia de die celebrandi paschatis *Polycrates* contra sententiam Victoris, episcopi romani, provocavit ad traditionem apostolicam in sua ecclesia sibi traditam (apud *Eus.*, Hist. eccl. 5, 24, 1 sqq.; *K* 91 sqq.), immo ad consensum Ecclesiae, utpote „qui cum fratribus ex toto orbe venientibus sermones saepe" contulerit (*K* 94); qui consensus certe non aderat. Licet igitur aliquam auctoritatem ecclesiae romanae agnoverit, siquidem synodum de hac quaestione convocavit auctore Victore (*K* 95), tamen plenam eius rationem non perspexit. Simile quid dicendum videtur de *Cypriano*, episcopo carthaginiensi et martyre (de quo cf. n. 528 sqq.). Ipse quidem quam clarissime videtur testari infallibilitatem episcopi romani, cuius sedem praedicat ut „cathedram Petri" et „ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est . . . (et cuius) fides apostolo praedicante laudata est, . . . (ad quam) perfidia habere non possit accessum" (epist. 59, 14; *K* 294); at in eadem epistula atque in eodem contextu hoc suum effatum ita moderari videtur, ut de vera principalitate iuris et auctoritatis vix quidquam maneat, loquens scilicet de „portione gregis" singulis pastoribus commissa, et de „episcoporum concordia", quae collidatur, si episcopus romanus velit suscipere causam, iam coram tribunali africano peractam (ibid.; *K* 294). Qui unus textus, speciminis causa adductus, sufficiat, quo scilicet ostendatur Cyprianum, etsi testem persuasionis tunc temporis communis, nihilominus, ob exaggerationem quandam potestatis episcopalis, practice non pervenisse ad plenam cognitionem primatus doctrinalis romani episcopi. Erat quippe tempus progressus huius dogmatis intellegendi, quod paulatim demum, ope ipsarum impugnationum, clarius perspiceretur et exhiberetur, donec, elapsis interim circiter 1600 annis, in Concilio Ecclesiae universalis *Vaticano* denuo discuteretur, ab omnibus impugnationibus vindicaretur, solemniter definiretur, ab omnibus catholicis laeto animo acciperetur et fide divina crederetur tamquam veritas a Christo revelata et Ecclesiae suae in deposito fidei tradita.

Ad illam iam rationem dogmaticam, auctoritate Concilii Vaticani firmatam, exponendam accedimus[5].

II. Ratio dogmatica.

759. Ratio dogmatica procedit ex auctoritate probata doctrinali Ecclesiae, sive totius Ecclesiae docentis (et discentis), quae se-

cundum *Ass. 25* est infallibilis, sive magisterii universalis, cuius infallibilitas probata est in *Ass. 27*. Methodice igitur hac in assertione uti licet hac auctoritate doctrinali ecclesiastica. Ipsa documenta Ecclesiae, sicut e. g. inveniuntur in *Enchiridio symbolorum et definitionum* (ed. *Denzinger-Bannwart*), progressum huius dogmatis, eius nimirum exercitium, efformationem, impugnationem, defensionem ostendunt; quem progressum brevibus perstringamus; dein eius terminum, definitionem vaticanam exponamus.

1. *Progressus dogmatis infallibilitatis.*

760. Et inde quidem ab initio primatus, episcopo romano traditus, intellegebatur non tantum iurisdictionis, sed etiam doctrinalis et magisterii. Testimonia prima in parte priore considerata vel commemorata sunt (n. 752 sqq.); hinc manent ea examinanda, quae deinceps vel ab episcopis romanis vel a conciliis edita sunt, consentiente Ecclesia. *Iulius I* (337—352) in memoriam revocat „consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod iustum est decernatur" (*D* 3003), cuius consuetudinis exercitium videre est in Concilio *Sardicensi* (343—344): „hoc enim optimum et valde congruentissimum esse uidetur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis domini referant sacerdotes" (epistula ad Iulium; *CV*; S. Hilarii episcopi Pictav. op. Pars IV [ed. *Feder*] 65 127; cf. eiusdem synodi canones *D* 3004 sqq.). *Liberius* (352—366) in epistula ad Constantium imperatorem haec scribit: „Ad istud officium — testis est mihi deus meus — inuitus accessi ... et numquam mea statuta, sed apostolica ut essent semper firmata et custodita, perfeci ... et illam fidem seruans, quae per successionem tantorum episcoporum cucurrit ... inlibatam custodiri semper exopto" (S. Hilarii op. IV; *CV* l. c. 65 91). *Siricius* (384—398) sibi attribuit officium doctrinale universale (*D* 87). *Innocentius I* (401—417) approbat morem, quo alii episcopi rem nullam (definitive) decidant, nisi prius „ad huius Sedis (Apostolicae) notitiam perveniret", secundum instituta patrum, quae in divina sententia fundata sunt (*D* 100). Cuius successor, *Zosimus* (417—418), hanc auctoritatem derivat ab auctoritate Petri capitis, quam omnes semper agnoverint; eamque tantam esse et talem „ut nullus de nostra possit retractare sententia" (*D* 109), quae verba repetit fere *Bonifacius I* (418—422; *D* 110). In Concilio porro *Ephesino,* celebrato sub *Coelestino I* (422—432), legatus Romani Pontificis vocat Petrum „apostolorum principem et caput, fideique columnam et Ecclesiae catholicae fundamentum ... qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet" (*D* 112). Patres

vero Concilii *Chalcedonensis* (451) in epistula synodali, quam scripserunt *Leoni I* (440—461), eum nominant caput, membris praepositum, „rectum consilium demonstrans" (*D* 149). Episcopus romanus est norma apostolicae doctrinae, cui scilicet Christus in Petro „curam totius ovilis iniunxit, cui se usque in finem saeculi minime defuturum" testatus est (*D* 160). Et haec quidem *Simplicius* (468—483); eius autem successor, *Gelasius I* (492—496), testatur ecclesiam romanam ceteris praelatam esse, non quidem synodicis constitutis, sed „evangelica voce Domini et Salvatoris primatum obtinuit" (*D* 163), cuius insuper infallibilitatem diserte effert *Hormisdas* (514—523), „quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio ... integra et verax christianae religionis et perfecta soliditas (*D* 171 sq.). *Pelagius I* (556—561) increpat episcopum quendam, qui a sedibus apostolicis recesserit, quae in uno Petro sunt tamquam in fundamento Ecclesiae (*D* 230), quod idem confirmat *Pelagius II* (579—590), allegans verba Christi *Luc.* 22, 31 sq.; *Io.* 21, 15 sqq.; *Matth.* 16, 18 sq. et ex eis deducens necessitatem unionis cum Ecclesia (*D* 246), et speciatim cum ecclesia romana (*D* 247).

761. Exinde iam rarius effata occurrunt de primatu et infallibilitate episcopi romani, quippe quae universim agnita non indigebant vel defensione vel ulteriore expositione. *Hadrianus I* quidem (772—795) scribit ad patres *Concilii Nicaeni II* (785) de primatu ecclesiae romanae (*D* 298); *Nicolaus I* (858—867) circumscribit eius ambitum (dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, decreta pro fide catholica, pro ecclesiastica disciplina ...; *D* 326). Maioris momenti est declaratio *Concilii Constantinopolitani IV* (869—870), coacti sub *Hadriano II* (867—872) contra errores Photii[6]; et hoc quidem concilium non solum agnovit principatum ecclesiae romanae, contra cuius sententiam nil statui possit (*D* 341), sed etiam acceptavit formulam ab Hadriano propositam, quae concordat cum regula fidei Hormisdae (*D* 171 sqq.), quae supra allata est. *Leo IX* deinde (1049—1054) denuo statuit principium, iam a *Nicolao I* enuntiatum (cf. *D* 330): „quia summa sedes (romana videlicet) a nemine iudicatur" (*D* 353)[7].

762. Media aetate novae oriebantur disputationes, controversiae, impugnationes, vel cum orientalibus schismaticis quos Romani Pontifices ad Ecclesiam reducere conabantur, vel cum haereticis qui indulserunt ideis liberioribus de Ecclesiae organisatione, vel cum potestate civili quae iura pontificia non agnoscebat. Ita *Paschalis II* (1099—1118) formulam aliquam praescripsit, subscribendam ab omnibus metropolitis occidentalibus, qua scilicet

promittitur oboedientia Sedi Apostolicae (contra Henricum IV), „affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta et universalis Ecclesia" (*D* 357). Missis aliis testimoniis, in quibus potius *exercitium* potestatis doctrinalis summae indicatur (cf. verba *Innocentii II* [1130—1148]; *D* 387; professio fidei waldensibus praescripta; *D* 423; testimonium Concilii Lateranensis IV [1215]; *D* 433; 436), iam veniamus ad *Concilium Lugdunense II,* in quo agebatur de unione cum Graecis [8]: professio fidei ab ipso (1274) Graecis proposita diserte profitetur „summum et plenum primatum et principatum (romanae ecclesiae) super universam Ecclesiam catholicam. . . . Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri" (*D* 466). Amplissime idem asserunt ultima verba Bullae „Unam sanctam" *Bonifacii VIII* (1294—1303): „Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis" (*D* 469).

763. Relationes interim, denuo susceptae cum orientalibus, enixe fovebantur; cuius testimonia sunt epistula *Clementis VI* (1342 ad 1352) ad Armenos de primatu iurisdictionis et magisterii romanae sedis (*D* 3008 sqq.; cf. 551) et Decretum pro Graecis, editum a *Concilio Florentino* (1438—1445) [9], quod definit „sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum . . . totiusque (esse) Ecclesiae caput et omnium christianorum patrem ac doctorem exsistere" (*D* 694). Eodem vero tempore magis urgebant novae quaedam sententiae de Ecclesiae constitutione et organisatione, quae, sicut generatim eius auctoritatem atque formam hierarchicam evertere studebant, ita etiam praerogativas Romani Pontificis, easque imprimis, negabant atque in contrarium mutare satagebant. Sed quoniam de his erroribus antea plura disserta sint (*de sententiis protestantium ad Ecclesiam quod attinet*; n. 545 sqq.), huius loci satis videtur esse afferre verba *Concilii Tridentini,* ex eiusdem nimirum professione fidei (e Bulla *Iniunctum nobis,* anni 1564, *Pii IV* [1559—1565]): „Sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri apostolorum principis successori ac Iesu Christi vicario, veram oboedientiam spondeo ac iuro" (*D* 999).

764. Neque tamen errores circa plenitudinem potestatis episcopi romani cessarunt. *Innocentius X* (1644—1655) damnavit errorem quendam, qui asserebat aequalitatem Petri et Pauli, ut haereticum (*D* 1091); *Alexander VIII* (1689—1691) articulos cleri

Gallicani (anno 1690; *D* 1322 sqq.), inter quos etiam hic continetur: scilicet in fidei quaestionibus praecipuas quidem partes esse Summo Pontifici, „nec tamen irreformabile esse iudicium (eius) nisi Ecclesiae consensus accesserit" (*D* 1325), quo aperte negatur primatus doctrinalis romanae sedis. Ulterius progressus est *Febronius* (I. N. de Hontheim): Christum scilicet eandem omnibus apostolis dedisse potestatem, eumque voluisse „Ecclesiam reipublicae more administari"; quam sententiam reiecit *Pius VI* (1775 ad 1799; *D* 1500); idem errores *synodi pistoriensis,* habitae anno 1786, condemnavit, inter quos ad primatum atque infallibilitatem Pontificis Romani spectant hi: „Potestatem a Deo datam (esse) Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum" (*D* 1502); „Romanum Pontificem esse caput ministeriale", sic explicatus, „ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat . . ." (*D* 1503); uterque ut haereticus notatus est, atque acta huius synodi, maiore etiam iure quam acta conventus gallicani, nulla et irrita declarata sunt (*D* 1598 sq.). *Syllabus* deinde *Pii IX* seu collectio errorum modernorum, publicatus anno 1864, ostendit inter alios nec errores de potestate Romani Pontificis ullatenus esse exstinctos (cf. quae de Romano Pontifice eiusque subiectione sub conciliis vel ecclesiis nationalibus afferuntur: 34 sqq.; *D* 1734 sqq.). Inde demum intelleguntur ex altera parte opportunitas et necessitas quaedam definitionis Concilii Vaticani [10], ex altera parte impugnationes, quas haec definitio ipsis diebus Concilii Vaticani passa est [11]. Nunc autem, in luce et virtute definitionis vaticanae, primatus tum iurisdictionis tum magisterii intra Ecclesiam adversarios invenire nequit; signum est *Codex Iuris Canonici,* qui utrumque ut principium inconcussum affert (*CIC* 218; 1323, 2). Sed iam ad ipsam definitionem Concilii Vaticani accedamus.

2. *De definitione* infallibilitatis Romani Pontificis *vaticana.*

765. Constitutio dogmatica *De Ecclesia Christi* (*D* 1821—1840) agit quattuor capitibus: de apostolici *primatus* institutione (*D* 1822 sq.) et perpetuitate (*D* 1824 sq.), de primatu Romani Pontificis (*D* 1826—1831; de his capitibus supra n. 537 sq.); capite deinde quarto de Romani Pontificis *infallibili magisterio* (*D* 1832 sqq.). Inscriptio schematis pristinae: *De Romani Pontificis infallibilitate,* mutata est, quia forte falsae interpretationis possit esse ansa, quasi de impeccabilitate sit sermo [12]. In expositione ipsius capitis sequimur relationem episcopi *Gasser* [13].

Initium sumitur ex intima relatione inter primatum (iurisdictionis) et infallibilitatem Romani Pontificis; deducitur enim

potestas suprema docendi ex primatu „tamquam species ex suo genere" et ex potestate suprema docendi, „respectu habito ad finem illius, qui est conservatio unitatis in fide", infallibilitas; atque hanc fuisse sententiam Sanctae Sedis, usum perpetuum Ecclesiae, sensum Conciliorum Oecumenicorum, e quibus afferuntur tria illa, in quibus potissimum „Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat": nimirum Constantinopolitanum IV, Lugdunense II, Florentinum (de quibus cf. n. 761 sqq.).

766. Quae sequuntur, explicantur a relatore, episcopo *Gasser*, hunc in modum: „Primo (*D* 1836) describitur *cura*, quam Romani Pontifices tum ipsi in se suscipiebant pro veritate catholica conservanda et dilatanda, tum quae ipsis imposita fuit per controversias fidei in variis locis et temporibus exortas. Deinde (a verbis: *Romani autem Pontifices* . . .) describitur *agendi ratio,* qua Romani Pontifices in definitionibus dogmaticis semper usi sunt et utuntur et in posterum etiam utentur. Inde (a verbis: *quae Sacris Scripturis* . . .) describitur, quod Romani Pontifices definiunt innixi Sacra Scriptura et traditione, *sub tutela Christi* et assistentia Spiritus Sancti, quae non est confundenda cum revelatione. Inde (a verbis: *Quorum quidem apostolicam* . . .) describitur modus, quo definitiones Romani Pontificis ex promissione Christi tamquam veritati consentaneae et irrefragabiles fuerunt *susceptae,* et quomodo hac ipsa re consensio ecclesiarum per orbem dispersarum cum ecclesia romana, et vice versa romanae ecclesiae cum reliquis, maxime enitet. Inde (a verbis: *Hoc igitur veritatis* . . .; *D* 1837) describitur *finis,* ob quem Christus Dominus praerogativam inerrantiae Sedi Apostolicae seu Pontifici Romano concessit. Finis enim huius doni est bonum Ecclesiae, in omnium salutem ut munere suo fungeretur, et quidem tum consecutio sanae doctrinae, tum unitas fidei et caritatis, tum nexus indivulsus inter fundamentum et Ecclesiae aedificium. Demum (in ultimo inciso: *At vero* . . .; *D* 1838) primum innuitur *causa* huius sollemnis definitionis infallibilitatis pontificiae, et deinde *natura* huius praerogativae innuitur, scilicet quod papae non conveniat tamquam personae privatae, sed quod conveniat ipsi, fungenti munere suo summo pastorali." [14]

767. Iam ad explicationem ipsius *definitionis* infallibilitatis pontificiae pervenimus (*D* 1839). Ipsa verba, prout nunc leguntur, nonnihil differunt a schemate primitus confecto [15], maximo eo quod verba *„de fide* (divina) tenendam", quibus nimirum infallibilitas asseritur relate ad veritates revelatas tantum, in praesenti forma desunt.

Ipsam authenticam huius definitionis interpretationem praebet idem relator concilii, episcopus brixinensis, *Gasser*. „In ista definitione (ait) agitur 1. de *subiecto* infallibilitatis . . .; 2. continetur *actus* seu qualitas et condicio actus infallibilis pontificiae definitionis . . .; 3. principium seu *causa* efficax infallibilitatis est tutela Christi et assistentia Spiritus Sancti; 4. continetur . . . *obiectum* infallibilitatis." [16]

Verba *introductoria* breviter recolunt quae antea dicta sunt de testimonio traditionis pro hac veritate, quae inde ab initio religionis christianae fuerit in consensu Ecclesiae; deinde finem definitionis indicat: Dei nimirum gloriam, Ecclesiae exaltationem, populorum salutem christianorum. Sequuntur verba gravia et sollemnia, quae decretum notant ut documentum potestatis summae doctrinalis ac proinde infallibile: „Sacro approbante concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus. . . ."

768. a) *Subiectum* huius potestatis doctrinalis summae atque infallibilitatis est *„Romanus Pontifex"* qua talis, i. e. „qua persona *publica* in relatione ad Ecclesiam universalem [17], non ut episcopus ecclesiae particularis romanae vel ut patriarcha occidentalis ecclesiae.

b) *Actus* autem non quilibet doctrinalis est infallibilis, sed ille solus, quo Romanus Pontifex *„ex cathedra loquitur"*. Expressio haec, iamdudum scholis atque ipsi Ecclesiae familiaris, saltem scilicet a temporibus *Cypriani* (epist. 43, 5; 55, 8; 59, 14; cf. 75, 17; *CV* ed. *Hartel* 594 630 683 821), addita est schemati postulantibus patribus concilii [18]; eius autem sensus verbis subsequentibus determinatur: „id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate" docet. In quibus verbis duo distinguenda et exponenda occurrunt: scilicet primo *„pastoris et doctoris omnium christianorum munere fungens"*. Romanus proinde Pontifex non est infallibilis tamquam persona *privata,* sed ut persona publica; non tamquam doctor privatus, sed ut authenticus; donum enim infallibilitatis non est ei concessum in utilitatem privatam, sed in publicam Ecclesiae et totius generis humani, ut primati, capiti visibili Ecclesiae Christi, cuius in terris vicarius est. Attamen, licet infallibilitas non sit privata, est nihilominus *personalis,* quatenus „praerogativa infallibilitatis ipsi personae apostoli Petri directe ac immediate (non mediante Ecclesia) collata fuit a Christo Domino . . . et in Petro unicuique personae ex suis in romana sede successoribus . . ." [19]; vox tamen in definitionis tenore vitata est, ne scilicet intellegeretur infallibilitas privata. Alio etiam sensu infallibilitas dicitur personalis, ut videlicet ex-

primatur hanc praerogativam non convenire soli *sedi* (papatui vel toti seriei quidem Pontificum Romanorum, non autem singulis Pontificibus: *Bossuet*), sed etiam *sedenti*[20]; nam sedes exsistit in sedente, papatus in singulis papis, primatus iurisdictionis et magisterii in Pontifice Romano, qui pro tempore caput Ecclesiae est.

769. Infallibilitas praeterea a relatore vocatur *separata*[21]; quonam sensu? Separata seu *distincta* est, in quantum Romanus Pontifex per se, absque collegio episcoporum disperso vel collecto, est infallibilis magister totius Ecclesiae, quia speciale et distinctum privilegium a Domino accepit. Nulla igitur ratione hac determinatione ulla separatio Romani Pontificis indicatur ab Ecclesia. „Papa enim solummodo tunc est infallibilis, quando omnium christianorum doctoris munere fungens . . . iudicat et definit. . . ." [22] Consensus proinde Ecclesiae non est quidem condicio infallibilitatis, attamen sequela, fluens ex promissa indefectibilitate Ecclesiae.

„Nullo in sensu infallibilitas pontificia est *absoluta*", ait episcopus *Gasser*[23]; sed ut communicata est *restricta*, ratione *subiecti* (papa loquens tamquam doctor universalis), *obiecti* (quando agitur de rebus fidei et morum), *actus* (quando definit). Quae restrictio ipsis quoque verbis definitionis exprimitur; nam dicitur Romanus Pontifex infallibilis magister, si „pro suprema sua apostolica auctoritate" docet.

„*Pro suprema sua apostolica auctoritate*" papa docet, si summa sua potestate utitur *summo gradu*, plenissime. Sunt etenim varii gradus, quibus suam auctoritatem doctrinalem adhibere potest, iique dependentes ab ipsius Pontificis voluntate. Ipse igitur modo suo loquendi manifestare debet se in aliquo decreto summa auctoritate plene uti velle seu, ut aiunt, *definire* aliquam veritatem. Cuius termini sensum clare circumscriptum habemus in relatione episcopi *Gasser*. „Utique deputatio de fide (in cuius nomine loquitur *Gasser*) non in ea mente est, quod verbum istud debeat sumi in sensu forensi, ut solummodo significet finem impositum controversiae, quae de haeresi et de doctrina, quae proprie est de fide, agitata fuit; sed vox *definit* significat, quod Papa suam sententiam circa doctrinam, quae est de rebus fidei et morum, directe et terminative proferat, ita ut iam unusquisque fidelium certus esse possit de mente Sedis Apostolicae . . . certo sciat a Romano Pontifice hanc vel illam doctrinam haberi haereticam, haeresi proximam, certam vel erroneam etc." [24] *Modus* autem peremptorius alicuius definitionis eruendus erit ex mente et intentione Romani Pontificis vel etiam ex ipsis formis et verbis

magis minusve sollemnibus et gravibus; de quibus in genere idem valet ac de definitionibus conciliaribus.

770. c) De principio porro seu *causa infallibilitatis* pontificiae non sunt plura dicenda, cum constet Christum suum auxilium promisisse Petro eiusque successoribus atque assistentiam Spiritus Sancti. Non quidem excluditur obligatio, qua tenetur „Papa pro officio suo et rei gravitate *media apta adhibere* ad veritatem rite indagandam et apte annuntiandam; et eiusmodi media sunt concilia vel etiam consilia episcoporum, cardinalium, theologorum. Haec media pro diversitate rerum utique sunt diversa, et pie debemus credere, quod in divina assistentia, Petro et successoribus eius a Domino facta, simul etiam contineatur promissio mediorum, quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis iudicium." [25]

d) *Obiectum* denique infallibilitatis pontificiae est in genere quidem „doctrina de fide vel moribus", eodem sensu atque eodem ambitu, quo „divinus Redemptor Ecclesiam suam . . . (infallibilitate) instructam esse voluit". Ita verba definitionis; *relator* autem haec explicationis gratia addit: „Unde sicut nemine diffitente haereticum est Ecclesiae infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus negare, ita in huius decreti vaticani vim non minus haereticum erit negare Summi Pontificis per se spectati infallibilitatem in definitionibus dogmatum fidei. In illis autem, in quibus theologice quidem certum, non tamen hactenus certe de fide est Ecclesiam esse infallibilem, etiam infallibilitas Pontificis hoc decreto sacri Concilii non definitur tamquam de fide credenda." [26]

Quibus expositis sequitur *conclusio*: „ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse," qua nimirum diserte reiciuntur articuli *Gallicani* (cf. n. 764)[27]. Totam deinde expositionem huius dogmatis sequitur *anathema* contra eos qui hanc sollemnem concilii universalis definitionem non receperint.

Haec igitur definitio die 18 Iulii 1870 a 533 patribus praesentibus, contra duos, voto sane unanimi, declarata et a Pio IX confirmata est in eadem sessione, atque ut dogma fidei promulgata, suscepta est ab omnibus episcopis totius orbis terrarum consensu absolute et physice unanimi, credita est et creditur ab omnibus Ecclesiae filiis (cf. n. 741).

Scholion 1. De testimonio Irenaei episcopi lugdunensis.

771. De *Irenaei* testimonio (cf. n. 754 sq.) plurimum disputatum est, ad ultimos annos usque; imprimis autem circa annos 1908 ad

1910 variae emendationes, interpretationes, expositiones propositae sunt. Nunc vero, cum consensus quidam videatur exsistere quoad *textus verba,* quae scilicet integra et sana sunt et emendatione non indigent, et quoad *sensum* plurimorum saltem verborum textus, liceat conspectu quodam exhibere et auctores, qui ad hanc controversiam contribuerunt, et sententias, quas protulerunt.

a) *Conspectus auctorum.*

Ex tempore priore enumerentur hi auctores: *H. Hagemann,* Die römische Kirche und ihr Einfluß auf Disciplin und Dogma in den ersten drei Jahrhunderten (Freiburg 1864) 598 sqq.; *G. Schneemann,* Sancti Irenaei de Ecclesiae Romanae principatu testimonium (Collectio Lacensis IV, Appendix I—XXXIV (1873); *Anonymus* quidam in Hist.-polit. Blätter XCIV (1884 II) 875 sqq.; *R. Sohm,* Kirchenrecht I (1892) 380, not. 12; *A. Harnack,* Das Zeugnis des Irenaeus über das Ansehen der röm. Kirche (Sitzungsber. der Akad. der Wissensch. [Berlin 1893] 939—955); *idem,* Lehrbuch der Dogmengesch. I⁴ (1909) 487; *J. Chapman* in Revue Bénédict. XII (1895) 49 sqq.; *F. X. Funk,* Kirchengesch. Abhandl. u. Unters. I (1897) 12 sqq.

Ex primo deinde decennio saeculi XX hos afferre visum est: *H. Boehmer* in Zeitschr. für neutest. Wissensch. VII (1906) 193 sqq.; *F. Savio* in Civiltà Cattolica 1908 II 219 sqq.; III 33 sqq.; *G. Morin* in Revue Bénédict. XXV (1908) 515 sqq.; *M. d'Herbigny* ibid. XXVII (1910) 103 sqq.; *B. Dörholt* in Theol. Revue VIII (1909) 94 (cf. *idem* in eodem period. IX (1910) 255 sq., commendans emendationem a *d'Herbigny* propositam); *I. Mausbach* et *N. Peters* ibid. VIII (1909) 126 sq.; *H. Goussen* ibid. 190; *I. Stiglmayr* in Katholik LXXXIX (1909 I) 401 sq.; *C. Gutberlet* ibid. XC (1910 I) 237 sq.; *C. A. Kneller* in Stimmen aus Maria-Laach LXXVI (1909) 402 sqq. Quibus commentariis accedunt opera e. g. *O. Bardenhewer,* Gesch. der altkirchl. Literatur I ¹(1902) 517 sqq.; ²(1913) 424 sqq.; *Batiffol-Seppelt,* Urkirche und Katholizismus (1910) 214 sqq.; *I. Ottiger,* Theol. fund. II (1911) 630 sqq.; *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. I$^{6/7}$, n. 489; *A. Straub,* De Ecclesia Christi (1912) n. 984 (p. 358 ad 380, in quibus ingentem materiam accuratissime digestam proponit auctor), alii.

Controversia recentissima orta est inter *G. Esser* († 1923) et *H. Koch; Esser* profuse, solide, nitide quaestionem proposuit et solvit: „Das Irenäuszeugnis für den Primat der römischen Kirche Adv. haer. III 3, 2" (*Katholik* XCVII [1917 I] 289—315; XCVIII [1917 II] 16—34); contra quem scripsit *Hugo Koch,* „Irenäus über den Vorzug der römischen Kirche" (Theol. Studien u. Kritiken XCIII [1921] 54 sqq. Respondit *G. Esser* (Theologie und Glaube XIV [1922] 344—362): „Nochmals das Irenäuszeugnis für den Primat der römischen Kirche", atque diluit rationes, quibus *Koch* contendit ostendere Irenaeum considerasse omnes

ecclesias ut infallibiles, custodes scilicet fideles depositi doctrinae apostolicae, e quibus romana eminet quidem splendore, non autem iure et auctoritate (cf. supra n. 719).

Et haec quidem de auctoribus et commentariis, quos allegabit conspectus sequens sententiarum quarundam. Ordinem autem huius conspectus hunc eligimus, qui sequatur ad amussim ipsa verba textus Irenaei.

772. b) *Conspectus sententiarum,* emendationum et interpretationum.

„*Potentior principalitas*", graece forte ἱκανωτέρα αὐθεντία (πρωτεία, ἀρχαιότης) intellegitur ab *Harnack* et *Funk* ut primatus inter pares dumtaxat; ab aliis ut verus primatus iuris (*Hagemann, Schneemann, Kneller, Esser,* aliis), vel apostolicitas *(Hagemann, Boehmer, Straub).* Textus diligenter composuit *Straub* (l. c. p. 363);

„*necesse est*" intellegi potest sensu vel logico (obiectivo, physico; *Schneemann, Boehmer, Batiffol, Bardenhewer, Straub;* aliter *Harnack,* qui solum factum agnoscit atque meram necessitatem facti, ita ut de praerogativa ecclesiae romanae nullus possit esse sermo; similiter *Funk* dicit: „Das Müssen ist dabei als ein natürliches oder naturnotwendiges, nicht als ein ethisches zu fassen": p. 18) vel morali *(Pesch, Ottiger, Kneller)* vel utrumque simul (*Schneemann* et alii). Graece forte scriptum erat (cf. *Straub,* qui collegit textus 369): ἀνάγκη;

„*omnis ecclesia*" intellegitur vel universalis Ecclesia (*Harnack,* Dogmengeschichte) vel apostolica Ecclesia *(Harnack, Funk)* vel omnes ecclesiae particulares (*Straub, Esser, Koch,* alii);

„*convenire*" sumi potest vel sensu locali *(Grabe, Langen, Boehmer)* vel sensu morali = consentire (fere omnes: *Stieren, Schneemann, Sohm, Harnack, Funk, Kneller, Batiffol, Straub, Bardenhewer,* alii). Graece fortasse scriptum erat: συμφωνεῖν, συντρέχειν, συμβαίνειν, συνέρχεσθαι (cf. *Straub* l. c. 368);

„*qui sunt undique fideles*": plures intellegunt „ubique" (*Stieren, Schneemann, Ottiger, Esser,* alii), ita ut sensus sit „catholicam";

„*in qua*" refertur vel ad romanam ecclesiam (*Pesch, Schneemann, Boehmer, Kneller, Stiglmayr, Gutberlet, Straub, Ottiger, Bardenhewer,* alii) vel ad omnem ecclesiam (i. e. omnes ecclesias: *Stieren, Hagemann, Anonymus* in Hist.-polit. Blätter; *Harnack, Funk, Batiffol, Esser, Koch,* alii). Graece supponunt scriptum fuisse vel ἐν ᾧ = ἐφ' ᾧ = propterea, quod *(Griesbach),* vel ἐν ᾗ = in coniunctione cum qua *(Bardenhewer);* εἰς ἥν = secundum quam („in Gemäßheit mit welcher": *Stiglmayr*), vel sensu causali *(Schneemann, Kneller, Ottiger, Straub, Koch),* καθ' ἥν = in quantum in ipsa (*Funk;* cf. *Stieren:* dummodo; *Hagemann:* κατά; mediante qua: *Mausbach*);

„*semper*" omnes fere intellegunt sensu temporali = ἀεί, *Harnack* praefert ἐν ᾗ δήποτε vel ἐν ᾗπερ δή —

„*ab his*" sumitur vel sensu obvio, de fidelibus nimirum, vel temporali (deinde, postea, seitdem: *Morin, Dörholt*), vel ut particula „porro,

praeterea" *(Mausbach)*, vel comparativo (*Goussen*, qui supponit particulam מִן = ἀπό: prae aliis ecclesiis in romana . . .);

„*qui sunt undique*" alterum alii delent *(Morin [Dörholt], Batiffol)*, alii emendant in „ab his qui successionem habent ab apostolis" *(Boehmer)*, „ab his qui sunt undecim", scilicet episcopis; graece ὑπ' ἐπ͞ων (= ἐπισκόπων) ὄντων ια', qui deinde enumerantur *(d'Herbigny)*. Formam primitivam graecam proponunt τοῖς πανταχόθεν *(Boehmer)* vel ὑπὲρ τῶν πανταχόθεν *(Mausbach)*.

Qui conspectus certe hoc unum docet: in tot sensuum varietate tuto illum procedere, qui ab omni emendatione textus traditi abstineat. Id ipsum commendat *Bardenhewer*; *Esser* vero in ultimo commentario quinque capita enumerat, quibus *Koch* cum ipso consentiat, scilicet: (1) *textus* non est emendandus sed relinquendus; (2) *convenire* dicit consentire; (3) *omnem ecclesiam* aequiperat omnes ecclesias particulares; (4) *in qua* refertur ad omnes ecclesias, non ad ecclesiam romanam; (5) ‚*semper*' sumendum est sensu temporali. Disputatur autem de sensu illius *necessitatis*, cur omnes ecclesiae consentire debeant cum romana; scilicet utrum ex potentiore principalitate seu primatu doctrinali ecclesiae romanae, an vero, quia in omnibus ecclesiis traditio et doctrina Christi genuina necessario propagetur? Hanc alteram sententiam, a *Koch* propugnatam, refutat *Esser* et ostendit tum ex ipso textu tum ex aliis Irenaei effatis ipsum non agnovisse infallibilitatem omnium et singularum ecclesiarum particularium (cf. n. 719).

Scholion 2. Obiectiones quaedam celebriores.

773. Non quidem in animo est hoc loco afferre et elucidare obiectiones illas, quae in aliis libris *(Pesch, De Groot, Wilmers)* atque imprimis in disputationibus Concilii *Vaticani* longius tractatae sunt. Neque singulas quasque propositiones reicere vel possibile vel necessarium videtur, quibus praesertim theologi protestantes liberales, *evolutionem dogmatis* profitentes *obiectivam* et *illimitatam*, hanc Romani Pontificis atque omnem Ecclesiae infallibilitatem impugnant; cuius rei specimen videre est in commentario quem scripsit *A. v. Harnack*, Die älteste uns im Wortlaut bekannte dogmatische Erklärung eines römischen Bischofs (Zephyrin bei Hippolyt, Refut. IX 11: Sitzungsber. der Akad. der Wissensch. [Berlin 1923] VII 51 sqq.). Contendit scilicet hanc decisionem, ab episcopo romano Zephyrino latam, mox post eiusdem mortem haereticam declaratam esse tamquam modalisticam. De hac decisione antea iam fusius egerat *K. Preysing* (Zeitschr. für kath. Theologie XLI (1917) 595; cf. XLII (1918) 177 sqq.; conspectum totius huius quaestionis dedi ibidem XLVIII (1924) 314 sqq.

Causae deinde aliquae celebriores ea ratione afferentur ut fontes et textus citentur atque unus alterve ex auctoribus, qui eas exponunt:

a) Causa *Liberii* (352—366). — *Textus: K* 550 sqq. (epistulas Liberii, inter quas quattuor illae, de quarum genuinitate disputatur), 570 sqq. (epitaphium quod putatur Liberii); 414 sqq. (testimonium Athanasii); 853 sqq. (testimonium Socratis); 924 (testimonium Sozomeni); 1042 sqq. (gesta Liberii) 945 (Prosper Tiro); *D* 93 (Anastasius I, episcopus romanus de Liberio). Epistulas integras Liberii critice recensitas v. *CV* S. Hilarii opera IV, ed. *Feder* (1916) 89 sqq. 155 sqq. 164 sqq. Cf. *Hergenröther-Kirsch*, Handbuch der allg. Kirchengesch. I^5 405 438; *Hefele*, Conciliengesch. I^2 682 sqq.; *Hefele-Leclercq*, Hist. des Conciles I 908 sqq.; *A. Feder*, Studien zu Hilarius von Poitiers 1. Heft (Wien 1910), 153.

b) Causa *Vigilii* (540—555). — *Textus: D* 213 sqq. (anathematismi Concilii Constantinopolitani II contra tria capitula); *K* 1040 (Pelagius I [555—561] iurat se nil mali contra Vigilium peregisse). — Cf. *Hergenröther-Kirsch* l. c. 648 sqq.; *Hefele* l. c. II^2 871 sqq.; *Hefele-Leclercq* l. c. III 20 sqq.; *Straub* II 430.

c) Causa *Honorii* (625—638). — *Textus: D* 251 sqq. (ex epistulis Honorii de duabus voluntatibus et operationibus in Christo; plura: *K* 1057 sqq. et 1065 sqq.); de sensu et sententia Honorii scripserunt Ioannes IV episcopus romanus (*D* 253; *K* 1074 sqq.) et Maximus Confessor (*K* 1077 sqq.). Concilium Constantinopolitanum III (680—681) damnavit Honorium (*K* 1082 sqq.), Leo II episcopus romanus (682—683) notavit Honorii „proditionem" (*K* 1085), i. e. neglegentiam (*K* 1087), qua „immaculatam apostolicae traditionis regulam . . . maculari consensit" (*K* 1088). — Cf. *Hergenröther-Kirsch* l. c. 670 sqq.; *Hefele* l. c. III^2 145 sqq.; *Hefele-Leclercq* l. c. III 374 sqq. 376 sqq. 515 sqq.; *Granderath-Kirch*, Gesch. des Vatik. Konzils III 31 sqq.

d) Bulla *Sixti V* „*Aeternus ille*" anni 1589 (cf. *R. Cornely*, Introductio I^2 484 sqq.). De disputationibus recentioribus cf. *I. B. Nisius* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXVIII (1914) 183 sqq.; *C. A. Kneller* ibid. XLVI (1922) 313 sqq. 468 sqq.; XLVII (1923) 154 sqq.; XLVIII (1924) 133 sqq. 471; *X. M. Le Bachelet*, Bellarmin et la Bibl. Sixto-Clémentine, Paris 1911.

774. NOTAE. — **1** *Conversus* sensu mediali potius quam passivo, scilicet „converte te ad fratres tuos et confirma . . .", cf. *Zorell, LG* s. v. ἐπιστρέφω. — **2** *H. I. Cladder*, Unsere Evangelien 148 sqq. — **3** *Concilium Vaticanum* noluit decidere quaestionem istam; cf. *Th. Granderath*, Constitutiones 232, nota 1: „Huiusmodi authentica declaratio (huius textus) non potuit intendi (ait relator, episcopus *Gasser*) et, si intenta fuisset, utique etiam disceptatio hac de re in Concilio agenda fuisset" (Coll. Lac. VII 410). Consensum tamen fere exsistere de applicatione huius Christi effati ad Petri primatum doctrinalem ostenditur in schemate, patribus Concilii Vaticani proposito, quod allegat verba *B. Roberti Bellarmini* De Rom. Pont. lib. 4, c. 3; cf. Coll. Lac. VII 279 sqq.; *Th. Granderath* l. c. 170. — **4** *G. Bardy*, L'autorité du Siège Romain et les controverses du IIIe siècle. Recherches de science religieuse XIV (1924) 255—272. — **5** Patrum Ecclesiae effata collegit *Rouët*, Enchiridion Patristicum.

Index theolog. 63; cf. praeterea *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. I $^{6/7}$, n. 511 sq.; de Augustini sententia *Th. Specht,* Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustin (1892) 154 sqq.; *K. Adam,* Causa finita est. Festgabe Albert Ehrhard (1922) 1—23. — **6** Hoc concilium allegatur in ipsa definitione vaticana (*D* 1833); de sensu atque de variis obiectionibus motis cf. *Granderath* l. c. 166 sqq.; *idem* de aliis conciliis (Lugdunensi II et Florentino) in eadem definitione vaticana citatis. — **7** De quo principio cf. *A. M. Koeniger,* Prima sedes a nemine iudicatur (Festgabe Ehrhard 273—300), qui occasione *CIC* 1556 explicat origines atque evolutionem huius effati. — **8** Concilium a Vaticano allegatum (*D* 1834). — **9** Concilium a Vaticano allegatum (*D* 1835). — **10** *Granderath-Kirch,* Gesch. des Vatik. Konzils II 254 sqq. (conspectus et status quaestionis de infallibilitate pontificia); III 213 (de eiusdem definitionis opportunitate). — **11** Ibid. I 152 sqq. (de controversiis ante concilium habitis); II 263 sqq. (de duabus factionibus inter patres concilii); II 511 sqq. (de controversiis extra concilium); III 3 sqq. (de „petitionibus" relate ad definitionem infallibilitatis pontificiae); III 162 sqq. 376 sqq. (de controversiis in ipsis sessionibus conciliaribus): III 611 (de iis, qui se non subiecerunt concilii definitioni). — **12** *Th. Granderath,* Constitut. 230, n. 2. — **13** Coll. Lac. VII 388—422; *Granderath* l. c. 230 sqq.; *Granderath-Kirch* l. c. III 456 sqq. — **14** Coll. Lac. VII 407 sqq.; *Granderath* l. c. 120 sqq. — **15** Coll. Lac. VII 273. — **16** Coll. Lac. VII 414 sqq.; *Granderath* l. c. 233. — **17** Coll. Lac. VII 414. — **18** Coll. Lac. VII 376; *Granderath* l. c. 233, n. 2. — **19** Coll. Lac. VII 285; relatio de observationibus, in schemate de Romani Pontificis primatu factis. Cf. *Granderath* l. c., Commentatio VIII, 175 sqq. — **20** *I. B. Franzelin,* De Ecclesia thesis XIII, p. 220 sqq.: „De distinctione inter Sedem et sedentem in Sede apostolica"; *Hettinger-Weber,* Fundamentaltheologie 694 sqq. — **21** Coll. Lac. VII 286 sqq. 399 sqq.; *Granderath,* Const. 177 sqq. — **22** Coll. Lac. VII 399. — **23** Ibid. 400. — **24** Ibid. 474 sqq. — **25** Ibid. 400; *Granderath* l. c. 234. — **26** Coll. Lac. VII 416. — **27** *Granderath* l. c. 122 sqq.

B. De magisterio Romani Pontificis ordinario, non infallibili, quod exercet vel in persona propria, vel per Congregationes Romanas.

775. In priore quaestione huius capitis, agentes nimirum de auctoritate doctrinali episcoporum, vidimus *episcopis* competere, in unione cum Romano Pontifice, magisterium *ordinarium* et *extraordinarium,* utrumque infallibile vel non infallibile. Et prius quidem, ordinarium, est particulare et universale; particulare non infallibile, universale autem infallibile, si utatur summa sua potestate summo gradu. In hoc igitur casu magisterium universale ordinarium sicut extraordinarium, nimirum conciliare, est absolutum.

Simile quid valet de magisterio *Romani Pontificis.* Potest scilicet exercere magisterium particulare, e. g. ut episcopus ecclesiae romanae, vel docens quidem ut Romanus Pontifex et caput Ecclesiae universalis, attamen partem tantummodo gregis sui; in quibus casibus non utitur potestate sua summo gradu, et hinc decreta

doctrinalia non sunt infallibilia. Quando vero *ut* Pontifex Romanus magisterium suum exercet pro universa Ecclesia, est vel infallibilis (si nimirum *ex cathedra* docet: *Ass. 28*), vel non infallibilis, si scilicet summa quidem sua potestate doctrinali utitur, at non summo etiam gradu. De hoc exercitio, *universali* quidem (quia spectat ad Ecclesiam universalem), sed *non summo* (quia deest voluntas edendi definitionem ex cathedra), quod recte vocatur *ordinarium,* agendum erit in hac sectione.

Magisterium Romani Pontificis ordinarium duobus modis exercetur: scilicet sive a Romano Pontifice ipso sive per eiusdem Congregationes Romanas. Prior modus habetur in Constitutionibus, ‚Motu proprio', Litteris apostolicis, Epistulis, Decretis, Instructionibus, etc.[1], quae ipsum Romanum Pontificem pro auctore habent; alter vero per decreta illarum Congregationum, quae quaestiones doctrinales decidere possunt ex auctoritate ipsis a Romano Pontifice communicata atque in eiusdem nomine. Hae sunt imprimis Congregatio *S. Officii,* cui quoad auctoritatem doctrinalem aequiparatur *Commissio de re Biblica;* minore gradu Congregatio de Seminariis et Universitatibus (et tribunal Sacrae Poenitentiariae[2]).

Quoniam autem auctoritas Congregationum doctrinalium est eadem ac Romani Pontificis magisterium ordinarium exercentis, ita procedemus ut imprimis consideremus harum Congregationum, ac praecipue Congregationis S. Officii, auctoritatem doctrinalem.

ASSERTIO 29. Decisiones doctrinales Congregationum Romanarum, licet de se infallibiles non sint, postulant tamen non solum silentium obsequiosum, sed per se etiam assensum religiosum intellectualem moraliter certum.

776. 1. Romanus Pontifex ut caput et primas Ecclesiae catholicae nequit ipse solus omnia negotia societatis talis ac tantae administrare; hinc plures sibi adsciscit adiutores, sive singulos sive collegia, quae cum ipso constituunt *Apostolicam* vel *Sanctam Sedem* (*CIC* 7: „. . . Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet"); hisce ex Congregationibus, Tribunalibus et Officiis constat „*Curia Romana*" (*CIC* 242). „*Senatum*" autem Romani Pontificis constituunt Sacrae Romanae Ecclesiae *Cardinales,* qui scilicet „eidem in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt" (*CIC* 230).

2. Ex Cardinalibus formantur variae *Congregationes Romanae;* sunt enim collegia minora Cardinalium — destinata ad certas res ecclesiasticas certaque negotia tractanda — nomine ipsius Romani Pontificis eiusque auctoritate instructa[3]. *Membra* igitur Congre-

gationum sunt Cardinales, libere a Romano Pontifice electi, qui ut tales constituunt quoddam „consilium“ (cf. Encycl. „*Pascendi*“; *D* 2104). *Obiectum* deinde earum formant negotia ecclesiastica, quae vel spectant ad universam Ecclesiam vel Romano Pontifici ut tali decidenda subiciuntur; ambitus determinatur a Romano Pontifice: „. . . servanda est disciplina et tractanda sunt negotia secundum normas tum generales tum particulares, quas ipsis Romanus Pontifex praestituerit“ (*CIC* 243, 1), quippe cuius organa sunt hae Congregationes. Decisiones ipsae sunt vel universales vel particulares, pro aliqua scilicet ecclesia vel homine particulari.

3. *Auctoritas* Congregationum, *in genere* loquendo, est ipsa auctoritas Romani Pontificis, cum quo tamquam cum capite constituunt unum corpus morale, et a quo tamquam a fonte tota earum potestas dimanat, eo ambitu quo Romanus Pontifex suam propriam ipsis communicaverit auctoritatem.

Maroto ex *Collectione authentica S. R. C.* affert Responsum aliquod ex anno 1846 (n. 2916): „An Decreta a S. R. C. emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis formiter editae, eamdem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae. S. R. C. . . . rescribendum censuit: *Affirmative.* Atque ita rescripsit. Die 23 Mai 1846.“ — *Maroto* deinde addit: „Iam nullo modo constat eam potestatem fuisse sublatam a RR. PP., qui e contra potius in dies augent auctoritatem sacrorum Dicasteriorum (organorum R. Pontificis)“; in cuius assertionis fidem plura deinde affert testimonia *Pii X* et *Benedicti XV*[4].

Haec igitur Congregationum auctoritas est *vera,* eaque *religiosa* et *hierarchica* (quia commissa et communicata a Romano Pontifice ut primate); est *universalis* (sensu extensivo, quia Congregationes tractant res Ecclesiae universalis) et *ordinaria* (quia Congregationes constituunt unum tribunal cum ipso Romano Pontifice).

777. Et haec quidem dicta sunt de auctoritate Congregationum generali; cum tamen in hac nostra assertione agamus de decisionibus dumtaxat doctrinalibus, neque vero de disciplinaribus, ad nos *doctrinalis* sola pertinet auctoritas, quae residet fere unice penes Congregationem *S. Officii,* cui quoad effectum iuridicum aequiparatur *Commissio de re Biblica.*

Congregatio *S. Officii,* antiquitus S. Congregatio Romanae et Universalis Inquisitionis seu Sancti Officii nuncupata, est omnium Congregationum nobilissima, ut prima enumerata in *Codice Iuris Canonici,* cui praeest ipse Romanus Pontifex ut praeses (*CIC* 246 sq.). Obiectum eius et finis hisce describitur verbis: . . . „tutatur doctrinam fidei et morum“ (*CIC* 247, 1); praeterea ad eandem spectant haec negotia: iudicare de delictis sibi reservatis; quae

pertinent ad privilegium paulinum, ad impedimenta matrimonialia disparitatis cultus et mixtae religionis, ad prohibitionem librorum, ad ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus (*CIC* 247, 2 sqq.). Congregatio *Indicis* librorum prohibitorum, olim a S. Officio seiuncta, nunc iam, utpote subsidiaria, cum eadem coniuncta est.

Commissio deinde *de re Biblica* seu Pontificium de re biblica Consilium, instituta est a Leone XIII anno 1902, aucta curis Pii X anno 1907 (Motu proprio „*Praestantia Scripturae*“; *D* 2113 sq.), ita ut, licet non polleat dignitate Congregationis, tamen auctoritas decretorum sit eadem ac decisionum S. Officii; quapropter eisdem subiectio debetur „perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum, pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice“ (*D* 2113). Membra eius sunt Cardinales, qui utuntur auxilio consultorum.

De decretis horum collegiorum eorumque auctoritate agendum erit.

778. 4. *Indoles* huius *auctoritatis* iam hoc loco aliquatenus circumscribenda est. Absolutam quidem auctoritatem, quae secum fert infallibilitatem doctrinae, decretis Congregationis non vindicamus ut talibus, scilicet ut actibus Congregationis. Potest autem contingere, ut Summus Pontifex *approbatione* sua specifica et confirmatione decisionem Congregationis suam faciat atque adeo forma definitiva ut absolute validam ideoque infallibilem pronuntiet.

Distinguitur nimirum approbatio *in forma communi* et *in forma specifica.* Omnes actus doctrinales et decisiones Congregationis a Romano Pontifice confirmantur, antequam publicentur; ratio est ipsa natura Congregationis tamquam organi Pontificis. Atvero haec confirmatio non transfert actus Congregationis in actus pontificios[5]; remanent actus Congregationis, a qua decretum aliquod latum est. Sensus huius confirmationis est fere in eo ut constet omnia rite peracta esse neque quidquam obstare divulgationi decreti; auctoritatis nil prorsus additur. Haec confirmatio, forma communi, exhibetur his fere vel similibus terminis: „*Facto verbo cum Sanctissimo . . .; In solita audientia . . . Sanctitas approbavit. . . .*“

Approbatio autem „*in forma specifica*“ reddit decisionem doctrinalem Congregationis actum ipsius Romani Pontificis. Datur enim post diuturnum causae et circumstantiarum examen, et verbis quidem, quae de intentione pontificia dubium non relinquunt (cf. iterationem et confirmationem Decreti „*Lamentabili*“ a *Pio X* factam: *D* 2114)[6]. Auctoritas talis decreti est diversa

pro intentione Romani Pontificis, scilicet vel absoluta vel non absoluta. Formulae adhibitae, e quibus approbatio specifica cognoscitur, sunt hae vel similes: *„Ex motu proprio . . . ex scientia certa . . . de apostolicae auctoritatis plenitudine declaramus, statuimus . . . non obstante quacumque lege seu consuetudine in contrarium.“* . . . [7]

779. 5. Quodsi iam decretum doctrinale aliquod *S. Officii in se* consideretur, approbatum nimirum in forma communi, dicendum est auctoritate potitum non quidem infallibili, attamen vera et religiosa. Non est infallibile; quia Pontifex Romanus hanc praerogativam, ipsi ut tali concesssam, nequit alii communicare; est etenim charisma personale ipsius primatis Ecclesiae (cf. n. 768 sq.). Inde autem non negatur assistentiam Spiritus Sancti, Romano Pontifici et Ecclesiae universae promissam, suo modo sese extendere etiam ad organa illa, quae Romanus Pontifex ut caput Ecclesiae adhibet in utilitatem Ecclesiae universae. Ipsam deinde auctoritatem, qua gaudent decreta doctrinalia Congregationum, describunt verba assertionis. Debetur etenim decreto tali *assensus* (actus intellectus iudicialis) *religiosus* (quia praestandus ex motivo religioso, ex subiectione sub auctoritate religiosa legitima et hierarchica), *internus* (actus videlicet voluntatis, quo libera subiectio exhibetur, et intellectus, quo subiectio specificatur ad genus doctrinale; agitur enim de decreto aliquo doctrinali, quod ut tale respicit intellectum, qui assensu suo sententiam Congregationis suam facit), moraliter *certus* (quatenus non sufficit opinativus vel dubius, sed requiritur, ob motiva quae errorem prudenter excludunt, assensus certus). Non tamen postulatur assensus simpliciter seu absolute certus, quia auctoritas Congregationis doctrinalis non est absoluta; sed, cum possibilitas erroris non omnino excludatur, certitudo assensus erit similis ei, quam *moralem* vocare solent. Alii, ut *Maroto,* ob rationem indicatam assensum dicunt esse *condicionatum* et *prudentialem* [8].

Quibus expositis iam patet posse accidere, ut aliquando, si scilicet condicio non verificetur, non requiratur assensus certus et internus, qui *„per se“* postulatur, sed sufficiat *„silentium obsequiosum“* quod nuncupant, seu *reverentiale.* „Si tamen (ita *Maroto*) in aliquo casu extraordinario docti catholici censerent graves rationes contra decretum doctrinale datum exsistere, possent privatim ac reverenter eas Sanctae Sedi proponere, dummodo parati essent, ultimo eius decisioni acquiescere.“ [9]

780. 6. Hanc auctoritatem Congregationum doctrinalem ab iis minime probari, qui neque ipsius Romani Pontificis auctoritatem absolutam neque

ullam auctoritatem magisterii a Christo instituti agnoscant, facile perspicitur. „Ecclesia (ita *modernistae*) cum proscribit errores, nequit a fidelibus exigere ullum internum assensum, quo iudicia a se edita complectantur. Ab omni culpa immunes existimandi sunt, qui reprobationes a Sacra Congregatione Indicis aliisve Sacris Romanis Congregationibus latas nihili pendent“ (Decretum *„Lamentabili“* n. 7 sq.; *D* 2007 sq.). Subest etenim talibus placitis vel ignorantia auctoritatis, quam Ecclesia ipsa identidem sibi attribuit, vel negatio indolis supernaturalis eiusdem, secundum principia modernismi, mutuata videlicet a naturalismo et rationalismo.

7. In probanda assertione ita, si libet, *procedimus* ut (I) ostendamus auctoritatem Congregationum doctrinalem et ex ipsarum natura et ex mente Ecclesiae ac praecipue Romanorum Pontificum, quorum sententia hac in quaestione maximi est ponderis. Deinde (II) perstringemus quaestiones quasdam annexas.

I. De auctoritate doctrinali Congregationum Romanarum.

1. Ex natura atque constitutione Congregationum.

781. a) Et *in genere* quidem dicendae sunt Congregationes ea gaudere auctoritate qua ab ipsa legitima auctoritate et potestate instructae sunt. Cum igitur Congregationes participent ex voluntate Romani Pontificis ipsius primatis Ecclesiae auctoritatem, pollent auctoritate vera, religiosa et hierarchica, doctrinali. Iamvero tali auctoritati debetur subiectio vera — in genere doctrinae (fidei) et intellectus: intellectualis — religiosa. Quod ultimum elementum minime est neglegendum, ne scilicet periculum oriatur, ne quis decreta romana consideret non aliter ac decreta et statuta cuiuslibet organisationis humanae, quae etiam invitus, reluctante voluntate, opere dumtaxat externo exsequitur.

b) Haec consideratio modo proposita absque dubio est fortissima et de se sola sufficiens, qua probetur obligatio submissionis religiosae et internae sub auctoritate doctrinali Congregationum. Accedunt autem huic aliae, quae suam quaeque auctoritatem contribuunt. Et prior quidem est *assistentia Spiritus Sancti,* Romano Pontifici et Ecclesiae promissa. Haec enim assistentia Spiritus Sancti Ecclesiam Christi iugiter adiuvat ad fines ipsi propositos obtinendos, inter quos eminet sane doctrinalis, ut integre servetur, custodiatur, divulgetur, cognoscatur doctrina a Christo Ecclesiae tradita atque commissa (cf. n. 632 sq. 686 sqq.). Magisterium igitur Ecclesiae gaudebit protectione speciali divina, non solum in actibus raris, quibus aliquam doctrinam sollemniter definit, sed etiam in actibus magisterii ordinarii et cotidiani, id quod valet cum de episcopis tum de Romano Pontifice eiusque organis doctrinalibus, i. e. Congregationibus. Concedendum utique est

influxum huius assistentiae non posse accurate determinari, ita ut unusquisque actus doctrinalis dici queat positus esse sub hac speciali assistentia ab omni errore praeservante; alioquin omnes actus essent infallibiles. Assertum est potius universale: generatim Spiritus Sanctus praeservabit organa magisterii authentici ab errore, maxime in iis decisionibus, quae debita diligentia, circumspectione, eruditione praeparatae atque editae sunt.

Hisce ultimis verbis altera quaedam ratio indicatur, quae afferri solet, scilicet ex *indole* Congregationis, utpote compositae ex viris *scientia* theologica eximia, *prudentia, discretione* praeditis, qui insuper utuntur adiutoribus electis et maxime peritis in sua quisque disciplina. Haec auctoritas, potius scientifica, non sane est ratio principalis, curnam decretis Congregationis subiectio debeatur, attamen poterit occurrere difficultatibus quibusdam, aliquando contra eorum auctoritatem motis.

2. Ex mente et decisionibus Ecclesiae.

782. Supra iam (n. 776) allatum est decretum, quo in genere auctoritas Congregationis indicatur; cui alia testimonia, desumpta ex tempore recentiore, addemus, e quibus appareat, qua mente ipsa Ecclesia Congregationes Romanas earumque auctoritatem consideret.

In Epistula quidem *Pii IX „Gravissimas inter“* (de die 11 decembris 1862) Congregationes non nominantur, sed ex contextu subintelleguntur. Agitur autem in hac epistula de Ecclesiae munere doctrinali, quod exercere debeat circa systemata philosophica falsa et perniciosa. „Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinae fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare, ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt.“ Hinc potest proscribere et damnare omnes errores, „si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, et omni philosopho, qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam philosophiae id officium incumbit, nihil umquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet, omnino erroneam, et ipsi fidei, Ecclesiae eiusque auctoritati vel maxime iniuriosam esse edicimus et declaramus“ (*D* 1675 sq.).

783. Clare deinde alia Epistula *„Tuus libenter“* (de die 21 decembris 1863) *Pius* enumerat varios gradus submissionis sub magisterio Ecclesiae, quae scilicet correspondeat ipsius auctoritati vario modo exercitae. Etenim „sapientibus catholicis haud

satis esse ut praefata Ecclesiae dogmata (definita in Concilio Oecumenico vel per Romanum Pontificem, sive etiam magisterio universali ordinario tradita) recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ut se subiciant tum decisionibus quae ad doctrinam pertinentes a *Pontificiis Congregationibus* proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam mereantur censuram“ (*D* 1684; cf. 1722). Quibus verbis requiritur subiectio sub decisionibus doctrinalibus ut talibus, ergo intellectualis, propter auctoritatem Congregationis et nexum cum ipsa fide, i. e. religiosa. — In Bulla deinde *„Quanta cura“*, edita (die 8 decembris 1864) simul cum *„Syllabo“* (*D* 1700 sqq.), reicitur eorum audacia, „qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt «illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae eiusdemque iura et disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et oboedientiam detractari absque peccato et absque ulla catholicae professionis iactura». Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis, Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae, universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intellegat“ (*D* 1698). In his porro decretis et iudiciis *Apostolicae Sedis* includi non sola iudicia immediate a Romano Pontifice, sed etiam per Congregationes lata, elucet tum ex eiusdem Pontificis verbis supra allatis, tum ex „Syllabo“ errorum annexo, qui complectitur plurima acta Pii IX (*D* 1700), tum ex usu loquendi communi et consueto [10].

784. Idem porro dicendum est de monitu gravissimo, quod adiectum est *Constitutioni dogmaticae de fide catholica Concilii Vaticani:* quo scilicet omnes officii monentur, „servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae eiusmodi (quae scilicet ad haeresim plus minusve accedunt) opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt“ (*D* 1820). Constitutiones et Decreta *Sanctae Sedis* complectuntur, secundum usum loquendi, decisiones quae promanant immediate a Romano Pontifice, et illas quas edit per Congregationes Romanas. Sanctam Sedem pollere hac proscribendi facultate non definitur sed ut certum supponitur [11]; atque ipsa haec verba continent „gravem monitionem“: talia decreta „sollicite et religiose servanda esse“; ita relator, episcopus *Pie* pictaviensis [12]. „Caetero-

quin (ait alius relator, episcopus *Gasser* brixinensis) per se patet, quod quoad valorem dogmaticum, id est, quoad censuram adiectam, nil immutatur in decretis Sedis Apostolicae, etsiamsi conclusio ista per Concilium Vaticanum probetur et publicetur" [13]. Hacce monitione exigi subiectionem internam et intellectualem dubium esse nequit.

785. *Leo XIII* in Encyclica „*Immortale Dei*" (de die 1 novembris 1885) haec docet: „Et in opinando quidem, quaecumque Pontifices Romani tradiderunt vel traditury sunt, singula necesse est et tenere iudicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri. Ac ... oportet Apostolicae Sedis stare iudicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos" (*D* 1880). „Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere ut communem matrem, eiusque et servare oboedienter leges et honori servire et iura salva velle; conarique, ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur" (*D* 1881). Quae certe intellegi non possunt nisi de assensu religioso intellectuali certo, quo omnes Ecclesiae filii Sanctae Sedis decreta amplectantur.

786. *Pius X* Decreto „*Lamentabili*" (de die 3 iulii 1907; errores 7 et 8; *D* 2007 sq.) damnavit errorem oppositum; ipse autem hoc Decretum disertis verbis sanxit et comprobavit Motu proprio „*Praestantia Scripturae*" (de die 18 novembris 1907; *D* 2114). In Encyclica „*Pascendi dominici gregis*" (de die 8 septembris 1907) commemoratur studium modernistarum, quo „Romana consilia sacris negotiis gerendis immutari ... volunt; in primis autem tum quod a Sancto Officio tum quod ab Indice appellatur" (*D* 2104). Accedit porro *Motu proprio* iam indicatum „*Praestantia Scripturae*", quod circumscribit auctoritatem *Commissionis de re Biblica*. „Quapropter (quia nimirum huius Commissionis sententiae non eo quo par erat obsequio receptae sint) declarandum illud praecipiendumque videmus, quemadmodum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio, sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica ... perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum, pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiciendi" (*D* 2113). Qui vero verbo vel scriptis hanc sententiam impugnaverit, „notam tum detrectatae obedientiae tum temeritatis" non effugeret, scandalo offenderet, nec culpa gravi vacaret [14]. Obligatio autem haec gravis, quae sequitur decreta Congregationum et Commissionis Biblicae, non respicit solum silentium obsequiosum, sed ipsum quoque assensum internum seu subiectionem; nam hoc sensu intellegitur ista sub-

iectio quae postulatur. *Iusiurandum* nimirum, quod emittere debent, qui *doctores in re Biblica* renuntiandi sunt, continet haec: „Ego, ... omni qua par est reverentia me subicio et sincero animo adhaereo omnibus decisionibus, declarationibus et praescriptionibus Apostolicae Sedis seu Romanorum Pontificum de Sacris Scripturis deque recta earundem explanandarum ratione ...; quare spondeo, me ‚principia et decreta per Sedem Apostolicam et pontificiam Biblicam Commissionem edita vel edenda' uti ‚supremam studiorum normam et regulam' fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nec umquam me sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque, eadem esse impugnaturum ..." (*AAS* 2 [1910] 469 sq.). Sensus igitur subiectionis eo explicatur ut sit „sincero animo adhaerere", simili prorsus ratione ac in „*Iureiurando contra errores modernismi*" (ex Motu proprio „*Sacrorum antistitum*" de die 1 septembris 1910): „Me etiam, qua par est reverentia, subicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis ... (Decreti „*Lamentabili*" et Encyclicae „*Pascendi*"; *D* 2146) [15].

Quodnam autem sit ius nunc vigens, videsis ex *Codice Iuris Canonici:* „Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere, qui ad illam plus minusve accedunt; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae eiusmodi opiniones a Sancta Sede (cf. can. 7) proscriptae et prohibitae sunt" (*CIC* 1324). Qui canon repetit ea fere, quae in Concilio Vaticano sancita sunt.

Hanc interpretationem auctoritatis Congregationum Romanarum esse nostris temporibus communem inter theologos conspectus sententiarum facile evincet; iuvat tamen antea quaestiones quasdam annexas referre, quibus addemus hunc elenchum sententiarum.

II. Quaestiones quaedam ulteriores, de obiecto nimirum et sensu atque de obligatione decretorum Congregationum.

1. De obiecto et sensu decreti Congregationum doctrinalis.

787. Ex iis quae hactenus disputata sunt constat decreta Congregationis doctrinalia esse non quidem irreformabilia et infallibilia, attamen certa, eaque ut talia postulare assensum quoque certum internum intellectualem. Quaeri autem potest, cuiusnam rationis sit iste assensus (condicionatus: *Maroto*), atque in quidnam referatur. Responsum datur a Cardinali *Franzelin,* quem plures secuti sunt, ut e. g. Cardinalis *Billot* et alii. *Franzelin* [16] autem docet haec: Auctoritatem doctrinalem Romani Pontificis certa quadam mensura communicari Congregationibus Romanis; unde earum decisiones „dici solent decreta sanctae Sedis". His non qui-

dem absolutus assensus debetur, attamen religiosus „propter auctoritatem universalis providentiae doctrinalis“ (130), qui complectitur et obsequiosum silentium et oboedientiam „quae includat mentis obsequium“, assensum igitur intellectualem. Hunc deinde assensum ulterius describit. Iudicia doctrinalia Congregationis eam nimirum postulare oboedientiam, „*non* quidem ut credatur doctrina *infallibiliter vera aut falsa* . . ., sed ut iudicetur doctrinam in tali iudicio contentam esse *securam,* et nobis non quidem ex motivo fidei divinae . . . attamen ex motivo sacrae auctoritatis, cuius munus indubitatum est prospicere *sanitati et securitati* doctrinae, *mentis obsequio* amplectendam ac contrariam reiciendam“ (131).

788. „Fit igitur distinctio (ita *Billot* explicat verba citata) inter decreta, quibus veritas *speculativa* infallibiliter *definitur,* et decreta, quibus *securitati* doctrinae prospicitur, quin deveniatur ad formales definitiones. . . .“ [17] Veritas enim speculativa respicit ipsam doctrinam *ut* veram vel falsam; *securitas* autem respicit eiusdem *habitudinem ad regulam fidei* et hinc ad obligationem, quae omnibus incumbit, ut evitent quodvis periculum fidei atque incedant via secura ac tuta. Doctrina igitur *secura* vel *tuta* ea est, quae certo non contradicit fidei, sive etiam ea, quae convenit cum regula fidei, saltem ea probabilitate ut possit admitti. Sententia vero *non tuta* ea est, quae tali probabilitate non gaudet, ita ut ille, qui eam amplectatur, sese periculo exponat erroris atque peccati temeritatis.

Intentio proinde decreti Congregationis eo fertur ut declaret authentice „aliquam doctrinam esse tutam, hoc est, consonam regulae fidei, ea saltem probabilitate quae sufficiat, ut quis possit illam amplecti; vel e contra, aliquam doctrinam non esse tutam, seu esse discordem a regula fidei, idque iterum tali saltem probabilitate quae non habeat adiunctam sufficientem probabilitatem de opposito.“ Propter legitimam deinde auctoritatem, quae tale decretum fert, „iure meritoque exigitur interior mentis obedientia“, qua „tenemur iudicare doctrinam hanc (damnatam) esse — non dico in se erroneam aut falsam aut si quid aliud eiusmodi, sed — simpliciter non tutam, eique tamquam non tutae amplius non adhaerere“. (Hoc sensu S. Officium „*tutatur* doctrinam fidei et morum“; *CIC* 247, 1).

Quia autem iudicium de securitate doctrinae alicuius veritatem non immediate tangit, fieri potest, ut doctrina aliqua *non tuta,* re melius perspecta, possit *evadere tuta,* „si forte auctoritas competens, re iterum discussa et novis perpensis rationibus, aliam decisionem ediderit“; alia autem doctrina, quae nunc, „attento praesenti statu rationum“, est *tuta,* fieri potest *non tuta,* „novis rationibus accedentibus“. Sententia autem „declarans tutum id quod prius tuto teneri non posse fuerat edictum, non esset stricte loquendo reformatio sententiae, sed nova declaratio, non contraria priori“ [18].

789. Quae si applicemus ad Decretum *S. Officii,* editum 5 iunii 1918 circa quasdam propositiones de *scientia animae Christi* (*D* 2183 sqq.), haec habentur. Propositum erat dubium „*Utrum tuto doceri possint* sequentes propositiones“ (I—III). „Emi ac Remi DD. Cardinales . . . respondendum decreverunt: Negative.“ *Sensus* igitur huius responsi ita circumscribi potest: Secundum statum quaestionis et investigationis in rationes, quae contra has propositiones militant, ipsae hae propositiones tutae dici nequeunt; quapropter omnis, qui eas amplectatur, periculo errandi in fide sese exponit; atque hoc declaratur ab auctoritate doctrinali legitima. Huic proinde decisioni debetur oboedientia intellectualis, quae assensu certo hoc iudicium (propositiones reiectas esse non-tutas) suum facit. Cum porro agatur de re gravi (periculo errandi in fide), coniungitur cum ea ut cum gravi decisione obligatio sub gravi, ut admittatur, nisi, ut supra dictum est, rationes plane evidentes theologum eruditum in sua scientia dispensent ab assensu interno atque obligent ad solum silentium reverentiale, quo abstinet ab impugnatione talis decreti.

Exemplum talis casus habetur in casu *Galilei* [19]; sed notatu sane dignum est quod addit *Billot,* scilicet iam tempore Galilei theologum quendam ex Ordine Cist., *Caramuel y Lobkowitz,* distinxisse auctoritatem „speculativam“, quam concedit soli Romano Pontifici ex cathedra loquenti, et „practicam“ Congregationis, qua fit, ut propositio aliqua damnata perdat „omnem extrinsecam auctoritatem“ [20].

2. De obligatione talium decretorum.

790. Ex iisdem rationibus et testimoniis, ex quibus natura assensus, qui decretis doctrinalibus Congregationum debetur, determinata est, sequitur *obligationem* huius assensus *ex se* esse *gravem.*

a) Et haec gravitas sequitur primum quidem ex duplici *ratione interna.* Nam in decisionibus Congregationis agitur de actibus *auctoritatis legitimae* eiusque *universalis* et — prout est organum Romani Pontificis — *supremae* Ecclesiae, licet non supremo gradu applicatae. Iamvero submissio sub hac auctoritate religiosa ex genere suo sub gravi postulatur, nisi in peculiari casu levitas materiae aliam obligationem inducat. *Materia* autem est eiusmodi, ut dici debeat ex sese gravem obligationem secum ferre; nam decisio Congregationis respicit securitatem fidei. Temeritatis autem esset reus, et quidem in re gravi, qui absque gravissima ratione tali decreto assensum denegare vellet. Gravitas igitur obligationis coalescit ex gravitate obligationis et oboediendi auctoritati sacrae et vitandi periculum fidei.

b) Haec eadem obligatio satis clare indicatur in *documentis Ecclesiae* iam enumeratis, ut si *Pius IX* loquitur de subiectione ex conscientia debita (*D* 1684), vel reicit sententiam eorum, qui opinentur posse assensum his decretis denegari „absque peccato et absque ulla catholicae professionis iactura“ (*D* 1698). Huc spectat „gravis monitio“ *Concilii Vaticani* (*D* 1820). Confirmatur idem verbis *Pii X,* quibus aequiparat decreta Commissionis Biblicae cum decisionibus Congregationis (*D* 2113), quae, si forsan proxime attingunt silentium obsequiosum, tamen, cum subiectionem postulent erga decreta, Biblica simul cum silentio, cumque hoc silentium nil sit nisi sequela istius submissionis, videntur recte etiam referri ad internum mentis assensum. Atque illud ipsum ex eo clarius elucet, quod haec subiectio iuramento consignatur (*D* 2146).

Atque haec est theologorum plurium sententia, sicut ex conspectu sequenti apparet.

Scholion. Sententiae theologorum.

791. Praeter theologos plures iam citatos — *Franzelin, Billot, Choupin, Maroto* — alii quidam recentioris temporis allegentur, ex quibus appareat, quo sensu decreta doctrinalia Congregationum considerentur. Eodem plane sensu dicenda sunt a Congregationibus edi; nam theologi, ex quibus consultores harum Congregationum eliguntur atque ipsa membra earum prodierunt, sunt testes legitimi sensus et intentionis decretorum.

D. Palmieri, De Romano Pontifice ([1]Prati 1877, p. 632): „Debetur assensus quidam religiosus, cum nihil est, quod suspensionem assensus prudenter suadeat. . . . Dicimus itaque assensum esse moraliter certum; et idcirco, si motiva appareant, sive vera sive falsa, sed ex errore inculpabili, quae aliter suadeant . . . non dicimus tunc deberi assensum.“ Eadem verba in altera editione (1891) p. 719.

Ch. Pesch, Praelect. dogm. I (1924 [6/7]) p. 369 sq., n. 521: „Assensus fidei divinae non requiritur. . . . Ex altera parte non sufficit silentium obsequiosum cum interna mentis repugnantia, sed requiritur internus assensus . . . (religiosus), cuius motivum formale est suprema auctoritas religiosa, licet non infallibilis.“ Certitudo huius assensus non quidem est metaphysica, sed moralis quaedam sensu latiore, quae qua talis non excludit omnem formidinem erroris; „et ideo, ubi primum apparent motiva sufficientia dubitationis, prudenter suspenditur assensus.“

G. Wilmers, De Christi Ecclesia (1897) p. 443 sqq. asserit haec: „Etiam Congregationum decretis submissio debetur, at non eadem quae sive conciliorum sive summi Pontificis definitionibus infallibilibus, sed inferior et earum auctoritati congrua“ (449). „Congregationes recte decrevisse eousque praesumere licet, donec rationibus certis contrarium probatur.“ Sufficere autem „inter rei in se spectatae veritatem et momentorum, quibus suadetur, gravitatem distinguendo, assensum praestare, qui his momentis respondeat“ (451).

J. V. De Groot, Summa apologetica de Ecclesia catholica (1906 [3]) p. 640 sqq.: „. . . assensus silentii obsequiosi minime sufficit, sed decretis, de quibus diximus, assensum et externum et internum religiosum praestemus necesse est . . . non metaphysicum et summum, sed generis cuiusdam moralis. . . .“ (642). Rationes autem sunt hae: „. . . aliquid assistentiae divinae in eas redundare videtur“; porro sunt „virorum sapientissimorum sententia“; denique auctoritas *Pii IX* (*D* 1684).

S. Schiffini, De virtutibus infusis (1904), distinguit decreta doctrinalia infallibilia et alia, edita „tanta cum auctoritate ut e prudentiae norma nemo possit nisi temere refragari. . . . Assensus vero descriptus est opinativus ac per se obnoxius falsitati, cuiusmodi est quaevis opinio, etiamsi contingat eam esse unice probabilem, ut esse solent plura iudicia prudentialia, quibus mores humani reguntur“ (p. 215). Auctoritas Congregationis unius, „quamquam magni est facienda, de se tamen non praebet argumentum certum“; sed quoniam nulla propositio damnatur, quae non sit improbabilis independenter ab ipsarum Congregationum decisione, „practice et regulariter loquendo interius mentis obsequium eiusmodi etiam decretis debetur“ (348 sq.).

Hettinger-Weber (Lehrbuch der Fundamentaltheologie 1913 [3] 735 sq.), *Scheeben* (Handbuch der kathol. Dogmatik I [1873] 250), *Hurter* (Compendium I [10] [1909] 535), *I. Muncunill* (Tractatus de Christi Ecclesia [1914] 437 sqq.) vel eandem sententiam propugnant ac *Franzelin* vel eundem sequuntur.

A. Straub, De Ecclesia Christi (1912) II p. 341 sqq. (n. 965): „Decreta congregationum . . . per se infallibilia non sunt“. Approbatio Romani Pontificis declarat ea „rite confecta esse a tribunali inferiore“ (341). „. . . talibus edictis per se debetur assensus internus quidam firmus, quamvis non super omnia“ (345); ratio est auctoritas sacra, cui accedit „membrorum eximia scientia et probitas et usitata matura deliberatio“; maxime vero „singularis cum pontifice supremo coniunctio“ et „aptata ad muneris momentum auxilii divini largitas“. Error quidem ipsis subesse potest; at dubitatio ut „imprudens et temeraria per voluntatem rectam excludenda“ est (346); quia autem propter hanc possibilitatem erroris assensus est condicionatus (347), „Ecclesiae filius . . . ita est dispositus, ut assensum . . . retinere minime vellet, si quando Ecclesia per sententiam iam ultimam et infallibilem aliter iudicaret vel ipse rem veritati repugnare deprehenderet“ (347); si scilicet decretum esset „certo falsum sive rationi . . . solidae, saltem incognitae necdum diiudicatae edicti conditoribus, oppositum“. Quo in casu licet vel dissentire vel dubitare vel sententiam discrepanten adhuc probabilem existimare; non vero publice contradicere, „nisi forte . . . potestas sacra ipsa id permittat“; sed servandum est obsequiosum silentium (347). Leviter detrectans oboedientiam graviter peccat et contra oboedientiam debitam et contra fidem eatenus, „quatenus se proclivem facit ad refragandum pertinaciter potestati sacrae . . . de veritate . . . quae interim providenda proposita prius erat“ (348).

F. Diekamp, Kathol. Dogmatik I 3/5 (Münster 1923) 56: „Diese nicht unfehlbaren Akte der päpstlichen Lehrtätigkeit (darunter auch die Kongregationsentscheidungen) legen keine Glaubenspflicht auf, sie fordern keine unbedingte und endgültige Unterwerfung. Aber Entscheidungen dieser Art sind doch, weil sie von dem höchsten Lehrer der Kirche kommen und bedeutende natürliche und übernatürliche Bürgschaften ihrer Wahrheit besitzen, mit innerer religiöser Zustimmung anzunehmen. Diese Pflicht kann nur in dem höchst seltenen Falle aufhören, daß jemand, der zu eigenem Urteil in der betreffenden Frage befähigt ist, nach erneuter gewissenhafter Prüfung aller Gründe zu der Überzeugung kommt, daß bei der Entscheidung ein Irrtum untergelaufen ist."

792. NOTAE. — **1** *Ph. Maroto,* Instit. Iuris Canonici I (Matriti 1919) 393 sqq. — **2** Ibid. 416 sq. — **3** *I. Laurentius,* Instit. Iuris Canonici (3 Friburgi 1914) n. 146; *F. X. Wernz,* Ius Decretalium II (1 1899), n. 651 sqq.; editionem alteram paravit *P. Vidal*, Ius Canonicum II (Romae 1923), n. 482 sqq.; de Commissione Bibl. cf. *I. V. Bainvel,* De Scriptura Sacra (Paris. 1910) 11 sqq. — **4** *Maroto* l. c. 411, nota 1. — **5** Recte igitur dicuntur decreta Congregationis „acta Sanctae Sedis", sed non „acta Romani Pontificis". — **6** Simile quid valet de decretis, quae edita quidem sunt a Romano Pontifice, praeparata autem, saltem partim, ab aliqua Congregatione; quae deinde publicantur „S. Congregationis consulto", vel „auditis Cardinalium et Consultorum suffragiis"; *Maroto* l. c. 418 sq. — **7** Optime de hac et omnibus quaestionibus hanc nostram assertionem spectantibus *L. Choupin,* Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. Siège (2 Paris 1913) 56 sqq. *Idem* in articulo „Curie Romaine" in Dict. apolog. I 862 sqq. — Exempla approbationis pontificiae specificae *Choupin* l. c. 78; *I. Wilmers* (De Christi Ecclesia 445) affert decreta, in quibus „Errores varii" (*D* 1101 sqq., sub Alexandro VIII, 1665 et 1666) et iterum „Errores varii" (*D* 1151 sqq., sub Innocentio XI, 1679) damnati sunt. — **8** *Maroto* l. c. 418. — **9** Ibid.; plura *Choupin* (l. c. 88 sqq.), qui distinguit tres casus, nimirum: (1) si difficultas, contra decretum Congregationis mota, fuerit simplex dubium, standum esse pro decisione; (2) si appareant rationes seriae dubitandi, posse inquiri in rationes, quae vel confirmare decisionem vel contra eandem pugnare videntur; privatim tamen neque vero publice, ne derogetur auctoritati Congregationis; quodsi examine peracto rationes negativae videantnr praevalere prae positivis, res deferri posse ad ipsam Congregationem, debita cum reverentia. Assensum autem interim suspendere nondum licet, quamvis hic assensus sit condicionatus, cum Congregatio possit declarare sententiam antea non-securam iam esse securam et tuto teneri posse. — (3) Si denique habeantur rationes evidentes — id quod *Choupin* censet fieri vix posse — restringitur assensus ad silentium obsequiosum. — Hanc porro obligationem submissionis sub decretis Congregationis esse gravem (p. 91 sq.). — — **10** *I. B. Franzelin* (De div. traditione et scriptura [3 1883] 129): „Unde etiam ss. Congregationum decisiones recte dici possunt et usu ecclesiastico dici solent decreta sanctae Sedis"; cf. nunc *CIC* 7. — **11** *Th. Granderath,* Constitutiones 91, nota 1. — **12** Ibid. 101, nota 1. — **13** Ibid. 28. — **14** *Maroto* l. c. 418. — **15** Cf. epistulam cardinalis *Merry del Val* ad Moderatorem supremum Societatis presbyterorum a S. Sulpitio die 22 Decembris 1923 datam, probatam ac confirmatam auctoritate *Pii XI* (*AAS* XV [1923] 616 sqq.). — **16** *Franzelin* l. c. 129 sqq. — **17** *L. Billot,* Tract. de Ecclesia Christi II (1 Romae 1899) 117. — **18** *Billot* l. c. 118 sq.; similiter *Choupin* l. c. 84 sqq. — **19** De casu Galilei cf. *Franzelin* l. c. Thes. XII, Schol. I, Principium VII, Coroll. 5 (p. 150 sqq.); *A. Straub*, De Ecclesia Christi II 464 sqq.; *I. Ottiger*, Theol. fund. II 831 sqq., qui totam quaestionem atque bibliographiam fuse exhibet. De „commate Ioanneo" cf. *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. II 5/6 (1925), n. 462 sqq.; *idem* in Theolog. Zeitfragen I 56 sq. — **20** Plura apud *I. Ottiger* l. c., qui testimonio *Caramuel* alia addit, e quibus elucet catholicos illam condemnationem *Galilei* (respective systematis copernicani) numquam habuisse decretum infallibile Romani Pontificis, sed Congregationis, cui infallibilitatem non attribuerint. *H. Grassi* e sententia beati *Rob. Bellarmini* dixit haec: „Quodsi inveniatur demonstratio pro terrae motu, convenit interpretari Sacram Scripturam alio modo quam eousque factum sit de locis, quibus sermo est de stabilitate terrae et motu coeli" (*I. Ottiger* l. c. 833).

CAPUT III.

DE OBIECTO MAGISTERII ECCLESIASTICI.

793. Quaestio huius capitis, de obiecto nimirum magisterii a Christo instituti et Ecclesiae traditi, prioribus capitibus, atque praecipue quaestione prima, quae exponit institutionem huius magisterii per Christum factam eiusque indolem traditionalem, videri possit sufficienter tractata. Videlicet obiectum huius magisterii traditionalis est *doctrina Christi* tradenda eaque sola et tota. Et re quidem vera, assertio modo hoc generaliore enuntiata probatione non iam indiget (cf. n. 645 sqq.). At vero sunt quaedam quaestiones ulteriores, intime cum hac de obiecto coniunctae, quae hoc loco disquisitionem exigunt.

Et altera quidem quaestio agit de *obiecti ambitu,* utrum scilicet auctoritas doctrinalis magisterii ecclesiastici restringatur ad solam veritatem a Christo annuntiatam et Ecclesiae traditam, an vero extendatur etiam ad veritates alias magis minusve cum hac revelatione conexas, ut e. g. ad quasdam veritates philosophicas et historicas, aliis verbis: agendum erit de obiecto *directo* et *indirecto* magisterii ecclesiastici. Hinc divisio huius capitis in duas quaestiones, quarum posterior respicit obiectum indirectum magisterii Ecclesiae.

In priore deinde quaestione, de obiecto directo nimirum seu de ipsa revelatione Christi, imprimis determinandus est *ambitus* huius *revelationis;* ostendemus scilicet eam cum apostolis esse completam, ita ut post mortem ultimi apostoli revelatio publica, quae pertineat ad Ecclesiam ut talem, fieri nequeat. Ex hoc facto deinde diiudicanda est quaestio saepe agitata *„evolutionis"* seu potius *„progressus" dogmatis.*

Quaestio 1. De obiecto directo magisterii Ecclesiae.

794. Obiectum magisterii ecclesiastici distinguitur *directum* et *indirectum;* et prius quidem per se primo attingitur, alterum vero

per obiectum directum, cum quo cohaeret et quatenus cum eo cohaeret. Hac in quaestione indagandum erit obiectum magisterii directum seu *doctrina Christi.*

Ipsum nimirum factum: Christum suam revelationem Ecclesiae suae custodiendam et praedicandam commisisse, quod ex assertione 24 (n. 641 sqq.) constat, non solvit omnes quaestiones neque omnia dubia circa hoc obiectum directum. Quaeri enim potest et debet, quaenam sit illa Christi doctrina: utrum scilicet illa, quam *ipse* tempore vitae publicae et post resurrectionem discipulis praedicavit, an insuper illa, quam *per Spiritum Sanctum* suis se esse manifestaturum promisit? Quodsi haec Spiritus Sancti revelatio includatur, ulterior quaestio moveri potest de ambitu et extensione huius revelationis: numquid igitur, sicuti Spiritus Sanctus apostolis (et Ecclesiae) assistet „in perpetuum" (Io. 14, 16), etiam novas semper revelabit veritates? Hisce quaestionibus respondet assertio sequens.

ASSERTIO 30. Revelatio fuit cum apostolis completa. Hinc progressus dogmaticus obiectivus fieri nequit; subiectivus autem fieri potest et factus est.

795. *Revelatio,* quam intellegimus locutionem Dei proprie dictam attestantem, multifarie quidem dividitur; ad nostram autem disquisitionem spectat imprimis distinctio inter revelationem *publicam* et privatam. Publica datur societati perfectae (sicut genti Iudaeorum in V° T°) vel toti generi humano, sicut religio christiana, quae et indole sua et expressa voluntate Christi est universalis (*Ass. 8,* n. 205 sqq.). De hac revelatione publica, christiana nimirum, ecclesiastica, universali, sermo est; quid autem de privatis revelationibus, quarum possibilitatem et exsistentiam historicam minime negamus, valeat, in Scholio (n. 823) videndum erit.

796. Hanc revelationem, christianam et ecclesiasticam, totam atque integram dicimus esse *apostolicam* seu apostolis concreditam, ita ut *cum apostolis* fuerit absoluta et completa. Haec autem indoles revelationis apostolica intellegi debet non tantopere personaliter sed potius temporaliter et virtualiter. Videlicet non soli apostoli dicendi sunt accepisse revelationes publicas *(personaliter)*, sed alii quoque, dummodo hae revelationes factae sint (1) tempore apostolico *(temporaliter)* et (2) iis, qui cum apostolis coniuncti ab iis ita dependerent, ut haec doctrina ipsis revelata ab apostolis qua publice revelata agnosceretur et approbaretur *(virtualiter)*. Apostolicitas proinde revelationis non est mere temporalis sed *iuridica,* quatenus apostolis iisque solis tota missio

Christi tradita est; hinc revelatio publica esse nequit, quae ipsis non innotuerit et probata fuerit.

Apostolos intellegimus eosdem, de quibus in *Ass. 9* (n. 269 sqq.) et *10* (n. 307 sqq.) egimus, collegium igitur Duodecim cum Paulo (et Barnaba). Neque vero admittendum est revelationes publicas cessasse, quam primum unus (cf. Iacobus; Act. 12, 2) vel plures ex hac vita decesserunt; sed *tempus apostolicum* computatur usque ad mortem ultimi apostoli, Ioannis scilicet, qui omnium extremus mortuus esse traditur.

Ultro concedendum videtur hanc determinationem expressionis *„cum apostolis"* esse aliquantulum vagam neque omnes solvere quaestiones, quas solutas velimus. Nam videntur sequi inter alia haec: Non singulos apostolos totam revelationem christianam accepisse et novisse sed aliqua forte revelata esse post mortem Iacobi Zebedaei (e. g. inspirationem *EvIo.* vel *Apoc.* et similes veritates „auxiliares" quae nuncupari possunt); porro aliquas veritates forte soli Ioanni apostolo revelatas esse tamquam ultimo superstiti ex apostolis; quaeri etiam potest de Petro, primate Ecclesiae, deque eius scientia revelationis christianae: numquid post eius mortem novae factae sunt revelationes publicae? Haec quidem incerta manent, si fontes historicos interrogamus, quippe qui hoc unum clarissime efferunt: inde a tempore apostolico revelationem christianam aequo quodam iure vocari apostolicam neque aliam admissam esse ut christianam, quae non fuerit apostolica.

Sensus igitur assertionis eo fertur ut ostendatur ex fontibus secundum voluntatem Christi revelationem christianam et ecclesiasticam (publicam) post mortem ultimi apostoli non iam auctam esse nec augeri posse, sed Christum totam veritatem, quae nimirum spectat ad oeconomiam salutis a Christo allatae, apostolis suis commisisse, qui eam Ecclesiae traderent eiusque magisterio. Inde elucet altera huius assertionis pars, quae agit de *progressu dogmatis;* negat enim progressum *obiectivum* fieri seu veritates novas deposito fidei accrescere posse; affirmat autem progressum *subiectivum,* seu cognitionem Ecclesiae veritatis christianae posse usque crescere.

797. Inde ab antiquitate non defuerunt qui opinati sint novas posse fieri vel etiam factas esse revelationes. *Montanistae* (cf. n. 379 438) statuerunt tertiam oeconomiam salutis post primam Patris (in V. T.) et secundam Filii, christianam, iam advenisse: Spiritus Sancti Paracleti; unde reiecerunt ipsi magisterium Ecclesiae.

Accedunt ad eorum errorem plures haereses Mediae Aetatis, quae scilicet, negata Ecclesiae auctoritate doctrinali et infallibilitate, refugerunt ad speciale aliquod charisma vel singulare ipsisque solis concessum lumen divinum, quo cognoscerent evangelii veritatem. Ita *fraticelli,* qui „Evangelium Christi in se solis hoc in tempore asserant esse completum,

quod hactenus (ut ipsi somniant) obtectum fuerat, immo prorsus exstinctum . . ." (*D* 489).

Maxime vero tempore recentiore haec veritas in dubium vocata vel negata est, sub influxu axiomatis *evolutionis historicae universalis*. *Günther* censuit veritates revelatas eo sensu evolvi posse ut intellegentia earum crescat sensu obiectivo, ope nimirum philosophiae. Qua adiutam Ecclesiam posse quidem formulam aliquam definire, quae contineat *aliquam* veritatem, sed non absolutam nec totam veritatem. Haec intellegentia revelationis in apostolis fuit minor quam in Patribus atque aliis theologis temporis sequentis [1]. Hinc *Pius IX* in Brevi (de die 15 Iunii 1857) illud inter alia improbandum esse edicit, quod „omnia perturbentur, quae firmissima manere debent, tum de distinctione inter scientiam et fidem, tum de perenni fidei immutabilitate, quae una semper atque eadem est . . ." (*D* 1656). Concilium deinde *Vaticanum* definivit haec: „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu, altioris intellegentiae specie et nomine, recedendum" (*D* 1800). Canon vero adiectus: „Si quis (ait) dixerit fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis, aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia: A. S." (*D* 1818) [2].

798. Longe ulterius procedunt *modernistae*. Nam non solum pervertunt revelationis conceptum, quam nil aliud esse asserunt „quam acquisitam ab homine suae ad Deum relationis conscientiam" (Decr. „*Lamentabili*" *D* 2020), sed consequenter etiam negant „revelationem, obiectum fidei catholicae constituentem, fuisse cum apostolis completam" (*D* 2021). Dogmata autem sicut alia instituta ecclesiastica aiunt „non esse nisi intellegentiae christianae interpretationes evolutionesque, quae exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque" (*D* 2054). Ipsa evolutio, a *modernistis* ficta, in Encyclica „*Pascendi*" ulterius describitur: „Principium hic generale est: in religione, quae vivat, nihil variabile non esse atque idcirco variandum. Hinc gressum faciunt ad illud, quod in eorum doctrinis fere caput est, videlicet ad evolutionem. Dogma igitur, Ecclesia, sacrorum cultus, libri, quos ut sanctos veremur, quin etiam fides ipsa, nisi intermortua haec omnia velimus, evolutionis teneri legibus debent. . . . Primigenia, inquiunt, fidei forma rudis et universis hominibus communis fuit, ut quae ex ipsa hominum natura atque vita oriebatur. Evolutio vitalis progressum dedit; . . . negative primum, elementum quodvis extraneum . . . eliminando; dehinc positive, intellectiva ac moralis hominis expolitione. . . . Quibus tamen extraordinarios quosdam homines addi oportet (quos nos prophetas appellamus, quorumque omnium praestantissimus est Christus), tum quia illi in vita ac sermonibus arcani quidpiam prae se tulerunt, quod fides divinitati tribuebat, tum quia novas nec ante habitas experientias sunt nacti, religiosae cuiusque temporis indigentiae respondentes. — Dogmatis autem progressus inde potissimum enascitur quod fidei impedimenta sint superanda, vincendi hostes, contradictiones refellendae. Adde his nisum quendam perpetuum ad melius penetranda, quae in arcanis fidei continentur. Sic, ut exempla cetera praetereamus, de Christo factum est: in quo divinum illud qualecumque, quod fides admittebat, ita pedetentim et gradatim amplificatum est ut demum pro Deo haberetur" (*D* 2094). Deinde assignantur rationes evolutionis modo descriptae, quae scilicet eveniat „ex conflictione duarum virium. . . . Vis conservatrix viget in Ecclesia contineturque traditione. . . . E contra vis ad progrediendum rapiens . . . latet ac molitur in privatorum conscientiis, illorum praecipue, qui vitam, ut inquiunt, propius atque intimius attingunt. . . . Ex conventu quodam et pacto inter binas hasce vires, conservatricem et progressionis fautricem, inter auctoritatem videlicet et conscientias privatorum, progressus ac mutationes oriuntur" (*D* 2095). Inculcantur deinde ea, quae a *Pio IX* (*D* 1636 1705) et a Concilio *Vaticano* (*D* 1800) de legitimo progressu dogmatis dicta erant.

Pars I. Revelatio christiana cum apostolis completa est.

Haec pars probatur tum historice, ex ipsis fontibus nimirum, qui testantur intentionem Christi et persuasionem Ecclesiae primitivae, tum dogmatice, ex declarationibus Ecclesiae authenticis.

1. Demonstratio historica.

799. Ut constet cum apostolis revelationem esse absolutam, ita ut post eorum mortem revelatio publica fieri iam non possit, certo ostendi debet Christum *totam* doctrinam, quae spectat ad oeconomiam salutis N^{i} T^{i}, apostolis suis dedisse, qui deinde hanc eandem doctrinam successoribus suis, magistris scilicet Ecclesiae authenticis, traderent. Brevissime factum illud probandum ita enuntiari potest: *doctrina christiana est essentialiter apostolica*.

Cum autem magisterium apostolicum pertineat ad missionem, quam Christus apostolis suis commisit, requiritur et sufficit, ut ostendatur Christum *totam suam propriam missionem apostolis tradidisse*, ita ut nil iam inveniri possit in Ecclesia Christi, sive quod ad sanctificationem, sive quod ad instructionem, sive quod ad organisationem Ecclesiae essentialem attinet, quod non proxime et primo apostolis traditum sit. Missio igitur Christi salutifera transiit integra ad apostolos atque per eos et in iis ad Ecclesiam, successione legitima et iuridica (cf. n. 464 478 661).

Hoc sensu, ampliore quidem sed non latiore, si effata Christi considerentur, clare ostendunt eius intentionem, qua totam apostolis revelationem suam manifestare atque tamquam depositum concreditare voluit. Hunc porro sensum postulant voces Ecclesiae primaevae unanimes, quae solam doctrinam apostolicam habent pro christiana.

Nostra ergo inquisitio ita procedet ut prius perpendat dicta ipsius Christi, illa praesertim, quae agunt de missione apostolica, identidem iam proposita; deinde transibit ad testimonium apostolorum atque ad consensum Ecclesiae primae.

a) Testimonium Christi.

800. Oeconomiam salutis a Christo allatam esse *absolutam et definitivam,* quam alia nulla excipiet, patet tum ex universalitate Regni Dei a Christo annuntiati (*Ass. 8,* n. 205 sqq.), tum ex Ecclesiae perennitate (*Ass. 15,* n. 378 sqq.). Unica igitur religio legitima est Ecclesia christiana, quae sola salutem a Deo hominibus promissam et datam ipsis communicabit.

Haec autem Ecclesia tota et integra fundata et aedificata est *super Petrum* (*Ass. 14,* n. 362 sqq.) et ceteros *apostolos* (*Ass. 9* ad *12,* n. 249 sqq.) ut fundamentum (Matth. 18, 18. Eph. 2, 20), i. e. tota quanta est apostolica. Hinc Christus ex discipulis suis elegit Duodecim eosque ut collegium constituit (*Ass. 9*, n. 257 sqq.), quibus nimirum ut suis „apostolis" (n. 269 sqq.), sicut postmodum etiam Paulo (*Ass. 10,* n. 288 sqq.), suum opus perficiendum committeret (n. 307 sqq.). Postquam videlicet Duodecim paulatim introduxit in hanc missionem, ipse eos misit in universum mundum, antequam ad Patrem rediit in caelum. Haec autem missio ultima et definitiva est prorsus universalis, extensive et intensive, obiective et iuridice, ita ut praeter missionem apostolicam nulla sit in religione christiana et in Ecclesia Christi; est etenim missio ipsius Christi integra. Ita quidem effata Christi, iamiam consideranda.

801. *Matth. 28, 18 sqq.* (cf. n. 219 225 380 649 686 sq.) ut evangelii conclusio formalis complectitur omnia illa, quae Christus de se suoque opere antea docuerat; itaque sicut ipsa haec verba lucem afferunt praecedentibus, sic vicissim intellegi debent in luce totius evangelii atque intentionis Christi in ipso descriptae. Christus est Filius Dei, cui Pater omnia tradidit (28, 18; cf. 11, 27), ut talis aequalis Patri et verus Deus (11, 27), qui missus a Patre venit in hunc mundum, ut vitam daret pro hominibus (20, 28) in remissionem peccatorum (26, 28), sed etiam ut iis revelatione sua (11, 27) manifestaret viam, et potestate sua divina fundaret novam religionem socialem, Ecclesiam suam (16, 18 sq.). Hinc iam iubet undecim *omnes gentes* congregare in coetum religiosum (μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη), cuius initiatio fit baptismo; hinc iubet docere „*omnia* servare" quaecumque ipse mandavit illis (τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν). Haec mandata (ἐντολή, saepe apud Ioannem), quae ipse Christus a Patre accepit (cf. Io. 10, 18; 12, 49; 14, 31; 15, 10), suis apostolis exsequenda tradit (cf. Io. 13, 34; 14, 15 21; 15, 10 12). Haec porro doctrina Christi integra, apostolis commissa, *omnibus hominibus* est annuntianda et ab omnibus admittenda ut via ad salutem, in sequela Christi. Ergo non erunt homines, qui alia doctrina salvi erunt, neque erit nova revelatio christiana, post mortem apostolorum forte hominibus danda. Insuper huic operi apostolico promittitur *assistentia Christi* „usque ad consummationem saeculi" (28, 20). *Missio* nimirum *apostolica* eadem permanebit per omnia tempora futura. Homines, qui hac missione ex immediata legatione Christi primi funguntur, morientur; munus tamen non cum eis moritur. Alii deinceps administrabunt ritus sanctificationis, alii docebunt veritates a Christo apostolis manifestatas; at ritus iidem semper permanebunt; doctrina erit apostolica usque ad finem mundi. Ita demum, successione apostolica numquam intermissa, auxilio et assistentia Christi numquam cessante, indoles absoluta et definitiva religionis christianae et Ecclesiae Christi plene resplendet (cf. verba correspondentia Marc. 16, 15 sq.).

802. Difficultas praecipua contra explicationem modo datam desumitur ex verbis Christi apud Luc. et Io., quae non solum loquuntur de assistentia Spiritus Sancti sed etiam huic Paracleto alia videntur tribuere munera ac secundum Matth. assistentiae Christi adscribuntur, revelationem scilicet ultra illam, quam ipse Christus suis apostolis dedit.

Lucas in conclusione evangelii quidem haec Christi verba affert: „. . . oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die; et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in *omnes gentes*. . . . Vos autem *testes* estis horum. Et *ego mitto* promissum Patris mei in vos . . ." (24, 46—49); quae eadem recurrunt in exordio alterius operis Lucae: „. . . sed accipietis (ait Christus apostolis suis) virtutem supervenientis *Spiritus Sancti* in vos, et eritis mihi *testes* . . . usque ad ultimum terrae" (Act. 1, 8). Doctrina igitur Christi apostolis committitur tamquam eius testibus; doctrina porro salutis, quam admittere debent omnes homines ut salventur et per quam salvantur. Nova ergo doctrina novaque revelatio exspectanda non iam est. Virtus enim superveniens Spiritus Sancti, apostolis promissa, adiuvabit dumtaxat apostolos in hoc munere testis rite exsequendo; aliis verbis: Christus suis assistet per Spiritum Sanctum, quem ipse eis a Patre mittet.

803. Hoc idem clarius etiam exhibet *Ioannes,* secundum quem Christus apostolis suis dixit se ipsis vel personaliter vel per

Spiritum Sanctum totam doctrinam tradidisse vel traditurum esse. Idea fundamentalis est fere haec: Doctrina seu revelatio, quam committit apostolis suis, Christus ipse accepit a Patre; Spiritus vero Sanctus non propriam apostolos docebit doctrinam, sed doctrinam Christi. Una igitur atque eadem est doctrina salutis, scilicet Christi, eaque tota et integra apostolis datur, sicut una eademque missio Christi ad ipsos transiit, exsequenda in virtute Spiritus Sancti.

Iam ad *singula* deveniamus. *Tota doctrina* a Christo apostolis communicata est; Io. 15, 15: „... *omnia* quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis;" sermo scilicet, „quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris. Haec locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis" (ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν, 14, 24—26). Est enim „Spiritus veritatis", qui „apud vos manebit et in vobis erit", quem Pater, a Christo rogatus, ipsis mittet ut „alium Paraclitum", qui „maneat vobiscum *in aeternum*" (14, 16 sq.). Hisce verbis, similiter ac Matth. 28, 20, promittitur assistentia divina, ut servetur doctrina Christi apostolis data. Qua ratione Spiritus Sanctus suo munere Paracliti fungatur, Christus iam ulterius describit: „... si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. . . . Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos *omnem veritatem*. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis . . . de meo accipiet et annuntiabit vobis" (16, 7 12—14). Ergo Spiritus Sanctus docebit *doctrinam Christi* eiusque apostolos introducet (ὁδηγήσει) in *omnem* veritatem et sensum intimum huius doctrinae. Deinde iterum asseritur *unitas* doctrinae salutis: „Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi: quia de meo accipiet et annuntiabit vobis" (16, 15; cf. 17, 7 sq. 17—20).

804. Ex quibus haec videntur statui posse: *Revelationes* quidem fient etiam publicae post ascensum Christi; at hae restringuntur duplici ex titulo: fient nimirum *apostolis* saltem virtualiter, qui introducuntur in omnem veritatem; et fiunt *per Spiritum Sanctum nomine Christi,* ita quidem ut nulla veritas annuntietur, quae non pertineat ad *Christi doctrinam.* In hac explicatione aliqua *dubia* manent, scilicet utrum Spiritus Sanctus solummodo pleniorem intellegentiam veritatis, a Christo iam praedicatae, efficiat, an vero novas etiam veritates, i. e. antea a Christo non revelatas, doceat:

quales sunt e. g. inspiratio sacrarum scripturarum, apostolatus Pauli, plura particularia in libris inspiratis historica, quae solum per accidens, ut aiunt, ad doctrinam christianam spectant, et alia huiusmodi. Dubium deinde manet, quaenam sint illa futura et ventura, quae Spiritus illis annuntiabit; porro quo modo Spiritus Sanctus munere suo fungatur, licet aliqua saltem in Actibus referantur, ex quibus hunc modum cognoscere videmur, velut si Petro visione ostenditur, quo modo ethnici in religionem christianam admittendi sint (Act. 10, 9 sqq.)[3].

Difficultas aliqua movetur ex perpetuitate muneris apostolici et assistentiae Spiritus Sancti; nam, inquiunt, si successoribus quoque apostolorum promittitur eadem assistentia doctrinalis eademque introductio (ὁδήγησις) in omnem veritatem, pronum est concludere ipsis quoque *novas* posse fieri *revelationes* atque ita depositum fidei *obiective* mutari et augeri. — Haec quidem vera sunt eatenus quatenus assistentia Spiritus Sancti est perpetua ideoque promissa etiam successoribus apostolorum; hinc progressus fieri poterit in cognitione veritatis christianae; at revelatio novarum veritatum, quae apostolis non fuerint cognitae, eo excluditur quod iam apostoli introductum iri dicuntur in *omnem veritatem* atque in *totam doctrinam Christi,* cuius testes et magistri erunt pro *omnibus* gentibus. Haec expositio confirmatur a testimonio primae Ecclesiae.

b) Testimonium primaevae Ecclesiae.

Agemus in disquisitione sequenti prius de aevo apostolico, deinde de tempore subsequenti, ita quidem ut, postquam attulimus testimonium formale vel apostolorum vel patrum apostolicorum et posteriorum, addamus testimonium *virtuale* seu obiectivum, formulas scilicet doctrinales fixas, quae apte explicari nequeunt nisi persuasione doctrinam Christi esse perfectam et absolutam.

Consensus aetatis apostolicae.

805. Ipsae iam *voces,* christianis sollemnes, ut *„apostolus Christi", „evangelium Christi",* aliaeque his similes indicant persuasionem revelationem salutis a Christo annuntiatam atque apostolis eius commissam esse. Et re quidem vera, nec Paulus nec alius ex hagiographis novit aliam oeconomiam salutis, quae hanc, christianam, exciperet (cf. n. 227 sqq. 382). Insuper autem omnes uno ore affirmant hanc apostolis esse traditam, qui eam hominibus communicarent.

Ex assertionibus antea probatis de Pauli apostolatu (*Ass. 10,* n. 288 sqq.), de constitutione hierarchica Ecclesiae apostolicae (*Ass. 16,* n. 395 sqq.), de institutione magisterii authentici (*Ass. 24,* n. 641 sqq.) sequitur missionem Christi, atque in specie doctrinalem, transiisse ad apostolos. Iuvat tamen textus aliquos prae-

cipuos recolere atque ex iis, quae fuerit apostolorum de suo magisterio sententia, videre.

Actus apostolorum id fere describendum sibi proposuerunt: Christum apostolos suos misisse in universum mundum tamquam testes suos, et undecim (1, 8) cum Matthia (1, 20 26) et Paulum (9, 15 sq.). Hinc christianis persuasum erat doctrinam esse apostolicam (2, 42), sicut omnem auctoritatem in Ecclesia (cf. n. 398 402 sqq.).

806. *Paulus* vero, „apostolus Christi" (n. 302), ut „sapiens architectus" posuit *fundamentum,* praeter quod aliud poni nequit, „quod est *Christus Iesus*" (1 Cor. 3, 10 sq.); existimari vult „minister Christi et dispensator mysteriorum Dei" (4, 1); evangelium Christi unice praedicat, annuntians „testimonium Christi", scilicet „Iesum Christum, et hunc crucifixum" (2, 1 sq.). Haec est „sapientia Dei", abscondita quidem temporibus pristinis, apostolis autem revelata (2, 7 sqq.). Quaenam sint capita summa huius praedicationis, Paulus partim saltem indicat in fine eiusdem epistulae ad Corinthios (15, 1 sqq.).

Necessitatem deinde *praedicationis* evangelicae idem Paulus explicat Romanis: „Finis enim Legis, Christus, ad iustitiam omni credenti" (10, 4), ei videlicet, qui audierit praedicationem salutis. „Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? . . . Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi" (10, 14 sq. 17). Salus igitur ex fide, fides ex praedicatione, praedicatio ex *missione Christi,* cuius verbum credenti affert iustitiam.

In epistula deinde *ad Galatas* Paulus clare exprimit eandem suam persuasionem doctrinam salutis *integram apostolis* commissam esse. Praedicaverat Paulus Galatis ut apostolus, constitutus „per Iesum Christum et Deum Patrem" (1, 1), evangelium Christi, „qui dedit semetipsum pro peccatis nostris" (1, 4). Iuste igitur miratur Paulus, „quod sic tam cito transferimini ab eo (evangelio), quod (*Vg:* qui) vos vocavit in gratiam Christi, in aliud evangelium; quod (tamen) non est aliud (verum evangelium Christi); nisi (sed potius) sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt pervertere (*Vg:* convertere) evangelium Christi. Sed licet nos (ipsi) aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod (nos) evangelizavimus vobis: anathema sit!" (1, 6—8). Quidnam Paulus verbis tam gravibus effert nisi hoc: Unum est evangelium salutis, apostolo concreditum, a Paulo praedicatum? Omnis praedicatio, quae huic evangelio non consonat vel ipsi contradicit, non est christiana. Immo praedicatio christiana tantopere est apostolica, ut illa ipsa indoles sit signum certissimum veritatis; apostoli non possunt docere nisi veritatem Christi. „Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit!" (1, 9.) *Ratio* est revelatio Christi, quae facta est Paulo (1, 12) sicut ceteris apostolis, qui eandem doctrinam annuntiant (2, 1 sqq.; cf. 2, 14 sqq.) atque Pauli apostolatum agnoscunt esse paris auctoritatis et dignitatis (2, 6 sqq.).

Ex quibus verbis haec elucere videntur: Paulus persuasum habet apostolis commissum esse verbum Christi, et quidem integrum, ut sit vere verbum salutis omni credenti. Non negat posse fieri novas revelationes, sicut sibi factae sint; sed hae non solum pertinebunt ad doctrinam Christi, sed etiam apostolis innotescere debent, tamquam tutoribus et testibus et ministris et dispensatoribus Christi et Dei. Haec doctrina est depositum (παραθήκη, 1 Tim. 6, 20; 2 Tim. 1, 14) a successoribus fideliter custodiendum; est ipsa salus, „quae cum initium accepisset enarrari per Dominum — ab eis qui audierunt — in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus, secundum suam voluntatem" (Hebr. 2, 3 sq.).

Consensus aetatis postapostolicae.

807. Textus, qui ad testimonium vere unanime aetatis apostolis posterioris pertinent, antea collegimus (n. 657 sqq.). Sufficiet proinde in memoriam revocare illud unum factum: ideam videlicet praecellentem in omnibus fontibus, atque imprimis in demonstratione sive positiva sive apologetica, fuisse *successionem apostolicam,* ex qua, simul cum idea unitatis, argumenta peremptoria desumuntur. Haec autem natura peremptoria fundatur non solum in harum rationum vi interna sed etiam in supposito, omnibus christianis etiam non-catholicis communi: religionem christianam et Ecclesiam et omnia, quae Christus huic suae Ecclesiae tradidit, inter quae eminet doctrina revelata, esse essentialiter *apostolica. Ignatius* (*K* 20), *Polycarpus* (*R* 74), *Papias* (*R* 94) hac in re non aliter sentiunt ac apologetae: *Iustinus* (*R* 126 128), *Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus* (n. 693); apologetae non aliter ac eorum adversarii, sive gnostici sive Marcion sive alii. Consentiunt porro in eadem sententia etiam scripta pseudonyma, ut *Pastor Hermae* vel *Epistula Barnabae, Doctrina duodecim apostolorum* (*R*2), *Epistula apostolorum,* et apocrypha, ut evangelia, epistulae, actus, apocalypses numerosae, quae scripta esse praetendunt ab aliquo apostolo. Tanta enim erat ac talis auctoritas apostolica, ut, quaecumque eorum nomine commendaretur, haud dubie ut ipsius Christi doctrina admitteretur.

Loco omnium unum testimonium *Irenaei* afferatur. Ubinam doctrina Christi vera invenitur? In Ecclesia. Una enim eademque fides in tota Ecclesia et creditur uno animo unoque corde et praedicatur quasi uno ore. „Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est . . . sicut sol . . . in universo mundo unus et idem est, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire (Adv. haer. 1, 10, 2; *K* 105; *R* 192). Ratio est, quia „apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam (Ecclesiam) contulerint omnia, quae sint veritatis, ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae" (3, 4, 1; *K* 126[1]; *R* 213). Haec est igitur vera „gnosis": „apostolorum doctrina et antiquus Ecclesiae status (constitutio? vel compositio: σύστημα) in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi (apostoli) eam quae in unoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt; quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens . . ." (4, 33, 8; *R* 242).

„Si haec ita se habent (ait *Tertullianus,* De praescr. 37; *R* 298, contra haereticos) ut veritas nobis adiudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos haereticos ad ineundam de scripturis provocationem, quos sine scripturis probamus ad scripturas non pertinere. Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo, quod de sua electione sectati haereticorum nomine admittunt."

2. Ratio dogmatica.

808. „Servabis quae accepisti, nec addens, nec demens", docet auctor *Epistulae Barnabae* (19, 11) similiter atque *Didache* (4, 13; *R* 2). Utroque loco haec verba pertinent ad topum *„duarum viarum"*, vitae nimirum et mortis. Quaenam autem sit haec doctrina, quae inviolata debet manere, apparet ex ipsa inscriptione Didache seu *Doctrinae duodecim apostolorum,* apparet ex testimonio diserto *Epistulae Barnabae,* quae asserit Christum apostolis duodecim dedisse potestatem praedicandi evangelium suum (8, 3). Atque haec eadem persuasio permansit in Ecclesia constanter et universaliter, cuius sunt testes versus finem saeculi II *Irenaeus* et *Tertullianus* (cf. supra n. 807). *Origenes* deinde loquitur de „ecclesiastica praedicatione, per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesiis permanente" (De princ. I 1, praef. 2; *R* 443; cf. 444 sq.). *Athanasius,* qui est testis eiusdem ecclesiae alexandrinae, asserit in rebus fidei valere unam sententiam hanc: „Sic credit catholica Ecclesia", qua exhibeat „non recentiorem, sed apostolicam esse suam sententiam" (Ep. de synodis; *R* 785). *Gregorius* vero *Nyssenus,* Cappadox, ut argumentum sufficiens et efficax affert „a patribus venientem ad nos traditionem, velut hereditatem quandam per successionem ex apostolis . . . transmissam" (Contra Eunom. 4; *R* 1043). *Epiphanius* porro: „vera (inquit) fides . . . a maioribus tradita est, et prophetica et evangelica et apostolica est . . ." (Adv. haer. 73, 34; *R* 1107). *Ioannes* denique *Chrysostomus* in expositione epistulae ad Romanos (Hom. 1, 3; *R* 1181) haec docet: „Non enim missi sumus, inquit *(Paulus)*, ut syllogismos afferamus, sed ut quod accepimus reddamus. . . . Nam apostoli ideo missi sunt, ut quae audierunt dicant, non ut aliquid de suo addant; et nos, solum ut credamus."

809. Quibus testimoniis accedit vox gravissima sane ecclesiae *romanae,* quae imprimis in *Conciliis Oecumenicis* resonabat una cum consensu totius Ecclesiae. Ut praetereamus priora (cf. *D* 102 212 270 sqq.), ex quibus haec persuasio quam clarissime elucet, veniamus ad verba Concilii *Tridentini,* quod quidem novum quid minime voluit docere, sed ea dumtaxat denuo declarare, quae semper in Ecclesia agnita erant. Evangelium enim promissum quidem esse antea per prophetas, promulgatum per Christum, qui „deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit"; hanc porro veritatem et disciplinam contineri „in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt . . ." (*D* 783). Quibus verbis haud dubie affirmatur totam doctrinam salutis christianae apostolis esse traditam ab iisque Ecclesiae; novas proinde revelationes esse impossibiles.

De controversiis et impugnationibus recentioribus iam sermo fuit (n. 797); quibus decidendis operam navarunt *Pius IX* (*D* 1636 sqq 1656 1705) et Concilium *Vaticanum* (*D* 1800 1818). In refellendo denique *modernismo* etiam clarius determinabatur sensus, quo revelatio cum apostolis absoluta esse dicitur (*D* 2020 sq. 2054 2095 sq.; cf. supra n. 798).

Hinc assertio nostra dici debet (saltem) theologice certa *(Pesch),* secundum *Bainvel* „videtur esse de fide, saltem implicite" [4].

Scholion. Testimonium historicum virtuale et obiectivum.

810. Provocamus ad testimonia *virtualia* tamquam ad confirmationem eorum, quae in testimoniis formalibus invenimus. Si scilicet inde ab initio Ecclesia persuasum habuit se docere non posse nisi doctrinam a Christo revelatam et apostolis commissam, omni qua potuit ratione curare debuit hanc doctrinam fideliter custodiendam atque ab omni periculo perversionis praeservandam. Iamvero medium efficax ad hunc finem obtinendum est efformatio fixa saltem earum veritatum quae fere doctrinae sunt capita („articuli fidei"), easque compendio quodam exhibitas memoriae commendare fidelium et temporibus sequentibus. Ita re vera factum est. Inde ab ipsis primordiis Ecclesiae, iam ante Pauli conversionem, certae quaedam expressiones certaeque formulae erant in usu christianorum, quae proinde sola sua exsistentia indicant indolem traditionalem religionis christianae et iudicium certum: doctrinam Christi unicam esse regulam fidei.

811. Ipsam quoque evolutionem in efformandis hisce expressionibus vel formulis videmur invenire, et initia quidem in documentis N^i T^i, quae decursu temporum, pro variis occasionibus, amplificantur, determinantur, componuntur.

In N^o T^o varia iam genera observari possunt, velut *expressiones* fixae novoque sensu imbutae: evangelium, ecclesia, gratia (χάρις), fides, caritas (ἀγάπη)[5], apostolus, fideles, vita, veritas, Spiritus, quae partim ab ipso Christo derivantur[6].

Maioris momenti sunt *formulae* sive liturgicae sive mere doctrinales. His accensemus *doxologias* quae nuncupantur. „Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum" (1 Cor. 8, 6). Plenius idem Paulus in epistula ad Romanos: „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! . . . Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in saecula! Amen" (11, 33 36; cf. Hebr. 2, 10). Similia Col. 1, 16 sq.; Eph. 4, 5 sq.: „Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis."

Medium quid inter doxologiam et formulam doctrinalem sunt *„hymni"* qui fere dici possunt, ut e. g. Col. 1, 9 sqq.; Eph. 5, 14: „Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; et illuminabit te Christus!"; 1 Tim. 3, 16:

„Quod (qui: ὃς ἐφανερώθη) manifestatum (manifestatus) est in carne,
iustificatum est in spiritu,
apparuit angelis,
praedicatum est gentibus,
creditum est in mundo,
assumptum est in gloria!"

Haec certe formula compendio quodam exhibet veritatem principalem religionis christianae. Huc forte spectat etiam relatio Pauli de institutione Eucharistiae (1 Cor. 11, 23—26), quae autem propius accedere videtur ad formas stricte doctrinales, ortas ex usu docendi.

In his porro formulis *doctrinalibus* duas licebit distinguere species, quarum altera potius est generis *moralis,* altera mere doctrinalis. Ad priorem pertinent *catalogi virtutum* vel *scelerum:* 1 Cor. 5, 10 sq.; 6, 9 sq. Gal. 5, 19 sqq. 22. Rom. 13, 12 sqq. Col. 3, 5 8 12 sqq. Eph. 4, 1 sqq. 19 31; 5, 3 sqq. 1 Tim. 1, 9 sq. 6, 4 sq. 2 Tim. 3, 1 sqq. Tit. 3, 1 sqq. Hebr. 13, 1 sqq. 1 Petri 3, 8 sq.; 4, 3. 2 Petri 1, 5 sqq. Apoc. 21, 8; 22, 15. Catalogi *officiorum (Haustafeln)* inveniuntur Col. 3, 18 sqq.; Eph. 5, 25 sqq.; Tit. 2, 1 sqq.[7]

812. Formulae deinde *doctrinales stricte dictae,* magis minusve clare exsultae, continentur epistulis Pauli inde a prima; scilicet Paulus Thessalonicensibus in memoriam revocat praedicationem suam atque eius partes principales: „quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero — et exspectare Filium eius de caelis, quem suscitavit ex mortuis, Iesum, qui eripuit nos ab ira ventura" (1 Thess. 1, 9 sq.), i. e. monotheismum et opus redemptionis, cuius sigillum est resurrectio Iesu Christi. Forma instructionis[8] compendiaria atque initium quoddam „symboli"[9] recte agnoscitur in prima epistula ad *Corinthios.* Paulus refutat errorem aliquorum qui dixerunt: „quoniam resurrectio mortuorum non est" (15, 12). Contra quos provocat ad evangelium: „quod et accepistis, in quo et statis, per quod et salvamini" (15, 1 sq.), quod sicut ipse ita omnes apostoli praedicant (15, 11). Deinde enumerat aliquos articulos quasi fidei, ali ordine et consonantia membrorum ut indoles formulae fixae clare eluceat. „Tradidi enim vobis in primis, quod et accepi:

quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas;
et quia sepultus est;
et quia resurrexit tertia die, secundum Scripturas;
et quia visus est Cephae et post hoc undecim (Duodecim)" (15, 3—5).

Verba quae sequuntur, num ad formulam pertineant, ambigitur; probabilius autem dicenda sunt a Paulo adiecta esse ob finem peculiarem, quem prosequitur, ut scilicet testium numero probet veritatem resurrectionis Christi.

Haec igitur est illa „forma (typus) doctrinae", cui *Romani* „traditi sunt" (εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, Rom. 6, 17), forma quam traditione apostolica acceperunt Romani eandem ac ecclesiae paulinae a Paulo; haec porro est „bona confessio" (καλὴ ὁμολογία, 1 Tim. 6, 12), quae complectitur „depositum" custodiendum (1 Tim. 6, 20; cf. 2 Tim. 1, 14) a *Timotheo,* seu illa „forma sanorum verborum" (ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, 2 Tim. 1, 13), seu „fidelis sermo secundum doctrinam" (ὁ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστὸς λόγος, Tit. 1, 9)[10]. In epistula ad *Hebraeos* occurrit expressio „elementa exordii sermonum Dei" (στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ θεοῦ, 5, 12) vel „sermo inchoationis" (ἡ ἀρχὴ τοῦ λόγου, 6, 1); etiam „confessio" (ὁμολογία, 3, 1; 4, 14; 10, 23; cf. n. 677).

813. Similes formulas adhibet *Ioannes* in *epistula prima*. „Omnis spiritus, qui confitetur (ὁμολογεῖ) Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est" (4, 2 sq.). „Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo" (4, 15). „Omnis qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est" (5, 1). „Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se; qui non credit Filio, mendacem facit eum" (5, 10). „Et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus. . . . Qui habet Filium, habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet" (5, 11 sq.; cf. 5, 13 18).

„Carissimi, omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi vestra salute, necesse habui scribere vobis deprecans, supercertari semel traditae sanctis fidei" (*Iud.* 3), i. e. salus christianorum postulat, ut certamen etiam subeant pro defendenda et retinenda doctrina, quae semel *tradita* est sanctis, per revelationem scilicet Iesu Christi. Qui vero aliam proferret, negaret „solum Dominatorem et Dominum nostrum Iesum Christum" (4).

814. Et hisce quidem fundamenta posita erant, super quae deinceps symbola exstrui potuerunt atque excoli, inter quae primum locum obtinet apostolicum (*D* 1 sqq.), in cuius evolutione praecipuas partes habuit ecclesia romana [11].

Formam quasi liturgicam habent preces eucharisticae, quas continet *Didache* (*K* 2 sq.). Apud *Ignatium Antiochenum* regula fidei forma strictiore iam invenitur in epistula ad Trallianos (9; *K* 23) et ad Smyrnaeos (1; *K* 24; cf. ad Eph. 18, 2; ad Magn. 9 11; ad Rom. 7). Simile quid in epistula *Polycarpi* ad Philippenses (7, 1; *R* 74). Huc pertinet *Praedicatio Petri* (apud *Clementem Alexandrinum:* Strom. 6, 5, 39 sqq. 48; 15, 128) [12]; *Pastor Hermae,* Vis. 3, 8, 3 sqq.; Sim. IX 17, 4, 5; 18, 4; *Aristides,* Apol. 2, 6; 15, 2 (ed. *Goodspeed* 4 sq. 19); *Iustinus,* Apol. I, 6 (= 61; *R* 126); 13 (*K* 51); 31 (*K* 52); *Acta Iustini* 2, 5—7; 4, 6; 6, 1 (ed. *v. Gebhardt* 19 sqq.); *Canon Muratorianus* 20 sqq. (*K* 157); *Ascensio Isaiae* 3, 13 sqq.; *Irenaeus,* Adv. haer. 1, 10, 1 (*K* 102); 4, 26, 5 (*K* 136²); 4, 33, 8 (*R* 242); *Tertullianus,* De praescr. 13 (*K* 188); De virg. vel. 1, 4 sq. (*K* 189); Adv. Prax. 2, 2 (*K* 190); De cor. 3 (*K* 211); *Clemens Alexandrinus,* Protrept. 10 (*MSG* VIII, 213); Strom. 6, 6 (ibid. IX, 273); 7, 10 (*R* 433); 7, 16 (*MSG* IX, 532 544).

Pars II. Progressus dogmaticus obiectivus fieri nequit; subiectivus autem fieri potest et factus est.

815. Haec pars non est nisi sequela praecedentis eiusque simul ulterior explicatio. Et sequela quidem, quatenus negat evolutionem obiectivam depositi fidei fieri posse; ulterior autem explicatio, quatenus exponit quo sensu et quo ambitu progressus dogmaticus, cum non omnis progressus excludatur, admitti possit et debeat.

Quoniam de progressu dogmatico sermo est, prius, quid sit *dogma* et qua ratione differat a revelatione christiana, definiendum erit. Dogma et revelatio christiana inadaequate coincidunt. Omne enim dogma continet quidem et enuntiat aliquam doctrinam revelatam, at non omnis doctrina revelata vocatur dogma; ut veritas christiana dogma vocari possit, accedat oportet propositio explicita ab Ecclesiae magisterio supremo. Duo itaque elementa requiruntur: revelatio (publica) a Christo facta et propositio facta ab Ecclesia infallibili, sive sollemni iudicio (i. e. definitione Romani Pontificis vel Concilii Oecumenici) sive declaratione ordinarii et universalis magisterii edicit hanc veritatem esse revelatam et ut talem credendam (*CIC* 1323). Qua veritas revelata pertinet ad depositum fidei apostolis commissum et ab iis atque ab Ecclesia inviolatum custodiendum; sub hoc respectu nulla immutatio, nulla diminutio nullumque augmentum, nulla denique sensus alteratio fieri potest; omnis proinde *evolutio* vel progressus, qui ad ipsum depositum fidei, *obiective* spectatum, pertinet, penitus excluditur.

At *progressus* sane possibilis est, si alterum elementum consideratur, propositio ex parte Ecclesiae. Ipsum iam factum talis propositionis, qua aliae veritates insigniuntur prae aliis, progressum manifestat. Talem deinde propositionem praecedere solent disquisitiones non segniter neque leviter peractae, provocatae ipsae saepenumero controversiis, difficultatibus, impugnationibus, quibus efficitur, ut veritas aliqua clarius cognoscatur, perfectius determinetur, aptius exprimatur. Omnibus his modis progressus fieri potest, progressus quidem non ipsius veritatis, sed *progressus in intellegenda veritate;* progressus non obiectivus, sed *subiectivus,* quo scilicet homines, quibus haec veritas a Deo revelata est, subiective melius perspiciant, quid in se dicat, quasnam consequentias secum ferat, quonam modo cum aliis cohaereat aliaque huiusmodi.

Progressus igitur *dogmaticus* ille dicitur, cuius terminus est dogma, seu veritatis revelatae propositio ab Ecclesia; qua vero ratione hic progressus fieri soleat, in ipsa ulteriore explicatione videndum erit.

816. Ex iis, quae in priore parte dicta sunt patet plurimos assertioni nostrae *adversari,* quia statuunt evolutionem dogmatis obiectivam fieri posse et in Ecclesia revera factam esse. Theologi nimirum *rationalistae,* quippe qui nullam revelationem proprie dictam nullamque huius revelationis (christianae) conservationem et immutabilitatem nullumque charisma indefectibilitatis atque infallibilitatis agnoscunt, doctrinam christianam, haud secus ac aliam quamcumque, succumbere legibus generalibus evolutionis historicae asserunt. Theologia proinde dogmatica ipsis non

est nisi historia evolutionis (obiectivae) dogmatis seu *historia dogmatum*; qua in re *modernistae* eos sequuntur: „Positivam vero theologiam niti maxime postulant in historia dogmatum (Encycl. „*Pascendi*"; *D* 2104). Quam historiam sano sensu intellectam theologia catholica nequaquam parvi facit neque excolendam neglegit; nam, etsi summopere cavet, ne historia locum obtineat ipsius theologiae dogmaticae speculativae et positivae, simul tamen persuasum habet inquisitionem in historiam theologiae catholicae dogmatum, dummodo methodo sana et secura atque vere scientifica peragatur, etiam positive ostendere doctrinam christianam eandem semper permansisse in Ecclesia; id quod in multis ab ipsis adversariis eo conceditur quod asserunt Ecclesiam catholicam iam exstitisse exeunte saeculo I, immo plurima dogmata formata esse primis annis post Christi mortem in ecclesia hierosolymitana (*Gemeindetheologie;* cf. n. 358).

817. Partim impugnationibus, partim autem studio intensiore historiae dogmatum tribuendum est, quod nostris temporibus ipsa quoque *theoria* huius *evolutionis* saepius tractata atque ulterius exculta est. Ipsa quidem idea progressus dogmatici semper in Ecclesia eiusque theologia viguit, sicut *Concilium Vaticanum* testatur, citans nimirum et sua faciens verba *Vincentii Lirinensis* Commonitorii (n. 28; *MSL* L, 668; *K* 819). Vincentius scilicet proponens sibimetipsi quaestionem: „Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis?" ita respondet: „Habeatur plane et maximus. . . . Sed ita tamen, ut *vere profectus* sit ille fidei, *non permutatio.* Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa unaquaeque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet — haec verba *Vaticanum* transsumpsit — et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intellegentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia" (cf. *D* 1800). „Fas est etenim (prosequitur paulo infra *Vincentius*) ut prisca illa caelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur." Porro: „Christi vero Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his umquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena, sed omni industria hoc unum studet ut, vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitus *informata* et *inchoata,* accuret et poliat; si qua iam *expressa* et *enucleata,* consolidet, firmet; si qua iam *confirmata* et *definita,* custodiat." Idem hunc profectum describit ut *vitalem,* quo „parva lactentium membra magna iuvenum" fiunt; „eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum, et si qua illa sunt, quae aevi maturioris aetate pariuntur, iam in seminis ratione proserta sunt . . . (ita ut) eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat aetatis, quas in parvulis creatoris sapientia praeformaverat. . . . Ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut . . . consolidetur, dilatetur semper . . ., sublimetur aetate,

incorruptum tamen illibatumque permaneat. . . ." Eandem ideam, consideratione licet potius psychologica quam theologica Vincentii, profert *Newman* (An Essay on the Development of Christian Doctrine [1845 et 1878])[13].

818. Alii scriptores ecclesiastici antiqui atque Patres Ecclesiae eundem profitentur progressum dogmatis, egregie inter alios *Augustinus,* qui in discutienda controversia de rebaptizandis haereticis varios gradus talis profectus designat (De bapt. 2, 7, 12; *R* 1623)[14]. Ipse progressus *theologicus,* qui non quidem coincidit cum progressu dogmatico, attamen eidem inservit eumque praeparat, est testimonium virtuale et obiectivum persuasionis in Ecclesia semper vivae et efficacis: profectum in intellegentia, scientia, sapientia revelationis christianae, in formulis plenioribus et aptioribus inveniendis, in deducendis consectariis atque in explicandis notis obscurioribus fieri posse et factum esse.

Egregie de hac veritate meruit *I. B. Franzelin* aliique theologi renascentis theologiae scholasticae saeculo XIX[15]. Plures elucubrationes apparuerunt in refellendis erroribus *modernisticis*[16], inter quas *Ch. Pesch* in Theol. Zeitfragen (IV [1908]), quas, etsi scriptas ante Decretum „*Lamentabili*" et Encyclicam „*Pascendi*", tamen horum documentorum optimum commentarium esse dixeris. Ipsae vero decisiones Ecclesiae modo indicatae non parum contribuerunt ad elucidandam quaestionem tantopere agitatam primo huius saeculi decennio.

1. Progressus dogmaticus obiectivus fieri nequit.

819. Et hoc quidem assertum est ipsa affirmatio, quae in priore parte assertionis huius demonstrata est. Nequit enim fieri neque progressus *quantitativus,* quo scilicet *augeatur* depositum fidei et numerus veritatum, quae fide divina credendae sint, nam revelatio cum apostolis completa et absoluta est; neque *qualitativus,* qua scilicet alicui veritati vel dogmati *alius sensus* tribueretur; id enim, quominus fieri possit, vetatur charismate infallibilitatis. Atque eadem infallibilitas, utpote conservatrix fidelissima totius depositi fidei, id efficit ut totum semper depositum fidei maneat *in conscientia* et *praedicatione* Ecclesiae, licet aliae aliis temporibus veritates alio modo (frequentius, vividius, urgentius) proponantur vel propositae sint (cf. n. 669 sq.). Hinc iure merito ut haeretica damnata est sententia (synodi *pistoriensis*) quae asserit: „postremis hisce saeculis sparsam esse generalem *obscurationem* super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi" (*D* 1501)[17].

2. Progressus subiectivus fieri potest et factus est.

a) Progressus fieri potest. Consideratio quasi a priori.

820. Quaeritur, quibusnam modis intellegentia veritatis revelatae fieri possit, vel, ut loquitur *B. Albertus Magnus,* „profectus fidelis

in fide", qui secundum ipsum potius habetur quam profectus fidei in fideli (3 dist. 25, a. 1 ad 1).

Ch. Pesch enumerat sex modos, quibus veritas aliqua revelata clarius cognosci ac proinde „profectus fidelis in fide" fieri possit[18].

Et primum quidem potest esse dubium ipsum *factum* revelationis, sitne aliqua veritas contenta in deposito fidei, e. g. Immaculata Conceptio B. V. Mariae ante huius dogmatis sollemnem definitionem. Qua decisione, ut patet, non revelatur nova veritas, sed revelata ut talis certissime proponitur. — Secundus modus, qui quam artissime cum primo cohaeret, est *determinatio sensus* alicuius propositionis, quae certo quidem vel in traditione vel insuper in Sacra Scriptura continetur, at non eodem modo ab omnibus intellegitur; exemplum sint verba institutionis ss. eucharistiae. — Eidem fini, ut nimirum sensus veritatis revelatae certissime retineatur et clarissime ab omnibus percipiatur, inservit tertius modus, quo aliqua veritas *aptissima forma* exprimitur atque authentica, e. g. mysterium SS. Trinitatis: „una natura divina subsistens in tribus personis"; et conversio substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi: „transsubstantiatio" (*D* 877); haec est quaestio potius terminologica. — Quibus tribus modis (positivis et) praecipuis accedunt tres alii, quorum primus re vera reduci potest ad aliquem ex prioribus; respicit enim maxime occasionem alicuius definitionis haud raram, *impugnationem* scilicet *alicuius veritatis* (vel definitae vel nondum definitae) revelatae. Et huic quidem impugnationi tribuenda est formula saepius adiecta, negativa et prohibitiva: „Qui vero contrarium (veritati definitae) dixerit: anathema sit." — Quintus modus respicit magis consectaria revelationis quam eiusdem definitionem. Scilicet *conclusiones* etiam *theologicae* quae vocantur, seu veritates quae quidem non sunt formaliter (neque explicite neque implicite) revelatae, attamen ope veritatis naturalis (philosophicae) ex revelatione deduci possunt (et hinc *virtualiter revelatae* dici solent), ab Ecclesiae magisterio definiri possunt; quibus definitionibus non quidem dogmata (fidei) statuuntur, sed tamen veritates ut absolute verae proponuntur, absoluta certitudine tenendae. Huc spectant etiam *facta dogmatica* aliaeque veritates, quae pertinent ad obiectum magisterii indirectum, de quo plura in assertione sequenti. — Sextus deinde modus, quo veritas revelata crescit in fide fidelium, est eius *applicatio practica*, ut norma vitae christianae et perfectae. Quo magis veritas perspicitur eique vitae ratio conformatur, eo maior sanctitas vitae et singulorum et — cum singuli sint membra corporis socialis Ecclesiae — totius Ecclesiae; similiter autem verum est: quo maior sanctitas, eo maior capacitas et dispositio ad penetranda profunda revelationis, quippe quae debetur non viribus dumtaxat humanis, sed gratiae etiam divinae, tamquam fructus vitae illius supernaturalis, qua vivit Ecclesia ut corpus, cuius caput est Christus (cf. Col. 2, 19; Eph. 4, 12 sqq.).

Tribus igitur modis praecipue progressus proprie dictus dogmaticus fieri potest: (1) declaratur aliquam veritatem *esse* revera *revelatam;* sic removetur dubium *facti*, augetur certitudo; (2) declaratur *sensus* alicuius propositionis iamiam in confessione Ecclesiae; sic removetur dubium iuris (sensus); (3) veritas indubie revelata et ut talis agnita aptioribus atque authenticis formis et terminis exprimitur; removetur periculum mutationis omne.

Primus deinde modus duos complectitur casus distinguendos: a) veritas aliqua definitur *esse revelata,* contra dubia vel impugnationes; b) veritas aliqua definitur *contineri formaliter implicite in alia,* quae certo *revelata* est; ita ipsa iam formaliter explicite credenda proponitur. Aliae autem definitiones, scilicet vel alicuius conclusionis theologicae vel aliarum veritatum, quae pertinent ad obiectum *indirectum* magisterii ecclesiastici, cum pro termino non habeant dogma proprie dictum, stricte loquendo ad progressum dogmaticum non conferunt nisi indirecte; recte autem dicuntur esse fructus progressus theologici.

b) Progressus dogmaticus factus est. Consideratio a posteriori.

821. In hac consideratione primo ipsum factum statuimus; deinde vero modum etiam, quo talis progressus dogmaticus fieri solet, perpendimus.

Ipsum *factum* constat ex historia Ecclesiae eiusque magisterii, vel etiam ex historia dogmatum, cuius compendium fere exhibetur in collectionibus symbolorum et definitionum Ecclesiae (cf. *Denzinger-Bannwart, Cavallera*). Hae enim definitiones ex altera parte illustrant progressum dogmatum, quatenus plurimae quaestiones doctrinales solutae, controversiae diremptae, impugnationes refutatae sunt, et quidem authentice et peremptorie, suprema scilicet auctoritate qua magisterium Ecclesiae pollet. Ex altera autem parte Ecclesiam in usu et exercitio summo suae potestatis doctrinalis esse infallibilem constat ex iis quae antea (n. 684 sqq.) disputata sunt. Ergo Ecclesia in proponendis dogmatibus legitime processit, i. e. ille progressus, qui in definiendis veritatibus revelatis apparet, subiectivus videlicet, consonat cum Ecclesiae natura atque Christi intentionibus, qui per Spiritum Sanctum tuetur et dirigit suam Ecclesiam infallibiliter eamque vivificat, ut fructus possit ferre non solum sanctitatis, sed etiam intellegentiae usque crescentis.

Si quaeratur, num progressus dogmaticus recte vocetur „*evolutio*", responderi debet vocem *evolutionis* non habere unum eundemque semper sensum. Aliquando nimirum evolutio intellegitur sensu *explicationis* (sensu praeformativo: *Entfaltung*), qua igitur illa, quae antea *formaliter* aderant, nunc iam ut talia cognoscuntur et agnoscuntur; atque hoc sensu progressus dogmaticus (subiectivus) recte vocari potest evolutio. Aliquando autem evolutio intellegitur *epigenetica* (seu biologica), i. e. formatio alicuius organismi ex germine, quod singula organa continet potentia et

virtute, neque vero ut talia iam praeformata (licet fortasse minora et minima); hac ratione progressus dogmaticus nequit dici evolutio, quippe qui omnes veritates revelatas supponit iam adesse in deposito fidei formaliter, licet partim implicite.

Et quoniam hic sensus epigeneticus nostris temporibus longe praevalet, melius duximus in tota hac quaestione *ab hac voce abstinere* atque profectum illum, quem subiectivum esse ostendimus progressum fidelium in fide, *progressum* potius dogmaticum quam evolutionem dogmaticam vocare. Ex iis porro, quae antea de vita Ecclesiae atque ipsius etiam revelationis diximus, satis clare apparet hunc progressum esse quidem *vitalem,* ita autem ut non ipsum depositum fidei crescat, sed potius operatione Spiritus Sancti vita augeatur fidelium, intellectualis nempe qua melius veritatem cognoscant, religiosa et moralis qua perfectius normas christianas sequantur.

822. *Modum* huius progressus ita, si placet, describemus, ut agamus de eius occasione, de causis, de gradibus.

Et *occasio* quidem definitionis atque progressus, qui eam praecedere solet, est vel externa vel interna Ecclesiae. *Externa* est impugnatio alicuius veritatis ex parte incredulorum et generatim non-catholicorum; quae autem, nisi coniungatur cum periculo fidei pro ipsis Ecclesiae filiis, vix umquam efficaciter progressum dogmatis provocabit. Saepius autem occasio est Ecclesiae *interna,* scilicet vel ipsa dubia et controversiae, quales iam videmus primis Ecclesiae temporibus (e. g. de rebaptizandis haereticis), progressus *scientiae theologicae* vel etiam philosophicae et historicae (e. g. controversia de anima tamquam forma corporis, in Concilio *Viennensi* decisa; *D* 480), *vita religiosa* populi christiani atque imprimis devotiones, quae omnes certas quasdam doctrinas et sententias theologicas (dogmaticas) supponunt (lex orandi, lex credendi; cf. progressus dogmatis Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae vel doctrinae catholicae de eiusdem B. V. Mariae mediatione gratiae universali, nostris temporibus promotae); tandem etiam *errores* vel pericula erroris, quae proveniunt ab iis, qui vel bona fide errant, vel intra Ecclesiae saepes manent, ut securius falsam doctrinam spargant [19], vel denique, condemnato errore, ab ea recedunt et deficiunt (ut quidam negatores infallibilitatis Romani Pontificis post eiusdem infallibilitatis definitionem sollemnem).

Causa vero progressus est duplex; altera *divina,* altera *humana.* Et divina quidem est virtus Christi, Ecclesiae ab ipso promissa (Matth. 28, 20), et assistentia Spiritus Sancti (Act. 1, 8. Io. 14, 15 sqq.), quae Ecclesiae praesto est tamquam organismo vivo supernaturali. Atque ideo Spiritus Sanctus non solummodo conservat depositum fidei inviolatum, quasi thesaurum abscondendum,

sed tamquam „fons vivus" omnis vitae ecclesiasticae atque anima Ecclesiae iuvat etiam, ut idem rite proponatur, excolatur, exponatur a magisterio, recte et plene et fructuose intellegatur ab Ecclesia discente. Progressus igitur dogmaticus est supernaturalis non solum in praeservatione magisterii supremi ab omni errore, sed etiam in providentia illa peculiari, qua Spiritus Sanctus regit Ecclesiam atque actibus magisterii ordinarii non-infallibilibus praeparat dogmata futura.

Causa autem *humana* est Ecclesiae magisterium, secundum legem illam generalem, qua Deus exigit hominum cooperationem in opere salutis, maxime vero in Ecclesia, quam societatem humanam esse voluit. Omnia igitur organa magisterii (cf. *Ass. 26—29*), immo ratione servata etiam Ecclesia discens, sub directione magisterii authentici, pro sua parte contribuunt ad hunc progressum.

Gradus huius progressus non sunt quidem semper iidem. Triplex saepius observatur gradus, nimirum (1) possessionis quietae; (2) discussionis et controversiae; (3) definitionis et possessionis absolute securae. Primus gradus cognoscitur ex eo quod non habeantur controversiae, quia nimirum veritas nondum ut talis formaliter explicite enuntiabatur, sed „tenetur vel implicite in propositione professionis universalioris . . . vel tenetur usu et praxi magis quam theoretica et distincta propositione . . ." (*Franzelin* 285). — Secundus deinde gradus est controversiae; dubio scilicet exorto disquisitiones fiunt diligentiores, rationes afferuntur ex utraque parte. Ex utraque parte etiam erunt fautores et assertores, propugnatores et impugnatores, donec rationibus omni ex parte discussis et perpensis, sententia alterutra fit probabilior — certa — definibilis. Haec deinde definitio, iudicium videlicet Ecclesiae absolutum, lites peremptorie definit et finit: terminus progressus dogmatici obtentus est [20].

Exempla sint controversia de rebaptizandis haereticis (*D* 53 56 88 229 464) vel de Immaculata Conceptione B. V. Mariae (*D* 256 734 792 1073 1100 1641).

Ita gradibus proficit tum singulorum tum totius Ecclesiae intellegentia, scientia, sapientia, gradibus quidem aetatum et saeculorum (*D* 1800), „in consummationem sanctorum . . . in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi" (Eph. 4, 12 sq.), i. e. „usque ad mensuram eius staturae, in qua quis possidet plenam copiam donorum Christi" (*Zorell, LG* s. v. πλήρωμα), quae his in terris donantur. Et haec quidem mensura est terminus progressus dogmatici; initium autem sumpsit inde a tempore apostolorum. At illud initium non erat

germen imbecille cognitionis vel intellegentiae revelationis christianae, sed plenissima et perfectissima totius depositi scientia, siquidem, ut *Doctor communis* in consensu omnium Patrum et theologorum docet, „docuit autem Spiritus Sanctus apostolos omnem veritatem de his, quae pertinent ad necessitatem salutis" (1, 2, q. 106, a. 4 ad 2), quae praedicatione apostolica tradenda erat posteritati[21].

Scholion 2. De revelationibus privatis.

823. *Quae sint.* — Secundum ea, quae in corpore assertionis exposita sunt, revelationes privatae vocantur illae, quae non pertinent ad depositum fidei seu ad revelationem christianam. De facto sunt omnes postapostolicae, sed non solae, quia nimirum etiam tempore apostolorum potuerunt fieri et factae esse videntur revelationes privatae. Possibilitatem igitur talium revelationum non negamus atque earum exsistentiam agnoscimus, modo probetur rationibus historicis solidis.

De earum relatione ad depositum fidei. — Revelationes privatae sicut non pertinent ad depositum fidei, sic neque requiruntur ad explicationem huius depositi et ad progressum dogmaticum. Quia autem revelationes privatae non sunt contra depositum fidei, sed vel praeter illud vel intra ipsum, hinc possunt conferre ad promovendam vitam religiosam aut etiam ad melius cognoscendam revelationem christianam, praecipue si ipsa Ecclesia eas ut historice certas agnoverit. At numquam Ecclesia revelationem aliquam, quae non continetur intra depositum, ut veritatem revelatam credendam proponet, neque veritatem christianam ideo definiet, quia alicui revelatione privata manifestata sit; unica enim ratio auctoritatis ecclesiasticae supremae est missio Christi, unica ratio suae infallibilitatis assistentia Spiritus Sancti.

De Ecclesiae iudicio de talibus revelationibus. — Ecclesia nequit revelationes ut tales proponere ut dogmata fidei. Quodsi aliquando tales revelationes comprobat ut veras, edicit (1) nil inesse in tali revelatione, quod contradicat fidei christianae, bonis moribus, disciplinae ecclesiasticae; (2) prudenter eas admitti fide historica ut facta historica; hinc fas non est revelationes hac Ecclesiae auctoritate munitas contemnere; (3) si quando Ecclesia ad revelationem privatam provocat, e. g. in peragendis festis (ut SS. Corporis Christi, SS. Cordis, apparitionis Lapurdanae B. V. Mariae), haec revelatio est quasi occasio festi; cultus potius quam factum ipsum respicitur.

Qua fide credendae sint tales revelationes. — Agitur de fide, quae requiritur ab eo, cui aliqua revelatio fit. Quae nequit esse

catholica, qua nimirum illa credimus, quae a Deo revelata et ab Ecclesiae magisterio credenda proposita sunt; attamen fides divina, actus igitur virtutis theologicae, ob motivum auctoritatis Dei attestantis, quamprimum adsunt motiva credibilitatis sufficientia et certa. Et ob eadem motiva quilibet alius, cui haec revelatio non immediate a Deo facta est, sed qui eam cognovit ex teste fido, eam admittere atque quae in ea continentur fide divina amplecti potest[22].

824. NOTAE. — **1** *I. B. Franzelin,* De div. traditione et scriptura (³1883) 304 sqq.; *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. I⁶/⁷, n. 529; *Hergenröther-Kirsch,* Handb. der allg. Kirchengesch. IV⁵ 461. — **2** *Th. Granderath,* Constit. dogm. ss. oecum. conc. Vatic. 94 100. — **3** *I. Ottiger,* Theol. fund. II 15, nota; *I. V. Bainvel,* De magist. vivo n. 125, p. 131. — **4** *Ch. Pesch,* De inspiratione S. Scripturae (1906) n. 586, p. 595; *Bainvel* l. c. thes. 13, p. 125 sqq.; cf. *Franzelin* l. c. thes. 22, p. 263 sqq. — **5** De voce „evangelium" cf. *F. Prat,* La théologie de S. Paul II⁷ 481 sqq.; *A. Harnack*,* Kirchenverfassung u. Kirchenrecht in den zwei ersten Jahrh. (1910) 199 sqq.; *idem* de formula „fides, caritas, spes": Aus der Friedens- u. Kriegsarbeit (1916) 1 sqq.; *I. Weiss*,* Das Urchristentum (1914—1917) 303 sqq.; cf. 348, nota 1; *E. Hennecke*,* Neutest. Apokryphen (²1924) 1 sqq.; hymnos (ibid. 596 sqq.) recensuit *I. Kroll.* — **6** Aliqua congessit *F. Schnedermann** in Neue Kirchl. Zeitschr. XXIX (1918) 638—658. — **7** *A. Seeberg*,* Der Katechismus der Urchristenheit (Leipzig 1903); *E. Norden*,* Agnostos Theos. Untersuchungen zur Formengeschichte religiöser Rede (Leipzig 1913). — **8** *K. Pieper,* Die Missionspredigt des hl. Paulus (Paderborn 1921) 7 sqq. — **9** Ex auctoribus prioribus nominandi sunt: *C. P. Caspari*, F. Kattenbusch*, B. Dörholt, I. Kunze*, Th. Zahn*, S. Bäumer, Cl. Blume, E. Vacandard.* — Bibliographiam v. *O. Bardenhewer,* Gesch. der altkirchl. Literatur I² 82 sqq. Tempore recentiore inquisitio in origines symboli non parum profecit cura *A. Seeberg** (cf. supra); *W. Peitz* in Stimmen der Zeit XCIV (1918) 486 sqq. 553 sqq.; *K. Holl** in Sitzungsberichte der Akad. der Wissensch. (Berlin 1919) 2 sqq.; *A. v. Harnack** ibid. 112 sqq.; *I. Haussleiter*,* Trinit.-Glaube u. Christusbekenntnis in der alten Kirche (Beiträge zur Förderung christl. Theol. XXV, 4. Heft, Gütersloh 1920); *R. Seeberg** in Zeitschr. für Kirchengesch. XL (1922) 1 sqq.; *H. Lietzmann*,* Festgabe Harnack (1921) 226 sqq.; *idem* in Zeitschr. für neutest. Wissensch. XXI (1922) 1 sqq.; XXII (1923) 257 sqq.; *E. Hennecke** l. c. 587 sqq. — Collectiones formularum v. *Denzinger-Bannwart,* Enchirid. n. 1 sqq.; *H. Lietzmann*,* Kleine Texte n. 5, 17/18; *A. Hahn*,* Bibliothek der Symbole u. Glaubensregeln der alten Kirche. Mit Anhang von *A. Harnack** (³Breslau 1897); *G. Walther** in Theol. Stud. u. Kritiken XCIII (1924) 256 sqq. — **10** Cf. etiam „verbum certissimum", πιστὸς λόγος: 1 Tim. 1, 15; 3, 1; 4, 9. 2 Tim. 2, 11. Tit. 3, 8. — **11** Cf. notam 9; praeter *Denzinger-Bannwart* v. *Kirch,* Enchiridion, in indice s. v. „Fidei regula". — **12** Ed. *E. Klostermann*,* Lietzmann, Kleine Texte 3. — **13** *I. V. Bainvel* l. c. p. 123 sq.; conspectum operis *Newman* ibid. p. 146 sqq.; cf. insuper *Ch. Pesch* in Theol. Zeitfragen IV (Freiburg 1908) 175. — **14** *I. B. Franzelin* l. c. 286 sqq.; alii textus *Bainvel* l. c. p. 117; *H. Hurter,* SS. Patrum opuscula selecta IX, ad Vincent. Lirin. Commonit. c. 23 (p. 220 sqq.). — **15** De div. traditione thes. 22—26; praeterea *Kleutgen, Scheeben, Vacant, Prunier, I. Billot;* Kirchenlex. III² (1884) 1903 sqq.: „Dogmenentwicklung" *(I. B. Heinrich)*; Dict. apolog. I (1911) 1151 sqq. *(H. Pinard).* Plura in operibus, quae de historia dogmatum agunt, inter quae

catholica: *I. Schwane,* Dogmengesch. (I 1862, [2]1892); *I. Tixeront,* Histoire des dogmes ([5]Paris 1909 sqq.); *R. Schultes,* Introd. in hist. dogm. (Parisiis 1922), ubi ampla bibliographia, e. g. p. 149 „elenchus operum catholicorum recentiorum de evolutione dogmatum"; *idem* „de definibilitate conclusionum theologicarum" (115 sqq.), tenet distinctionem inter fidem divinam et ecclesiasticam, adiungens disquisitionem in sententiam S. Thomae circa definibilitatem conclusionum theologicarum (131—146). — **16** Bibliographiam v. *Bainvel* l. c. p. 117, qui ipse hanc quaestionem breviter et lucide exponit; *idem* in Études CI (1904 IV) 618 sqq. scripsit Histoire d'un dogme; *A. Gardeil,* Le donné révélé (Paris 1910); *I. P. Kirsch,* Die Geschichte der Kirche ein Zeugnis ihrer höheren Sendung, in *Esser-Mausbach,* Religion, Christentum, Kirche III[5] (1923) 197 sqq.; *I. Mausbach,* Die Kirche und die moderne Kultur, ibid. 395 sqq.; *A. Rademacher,* Der Entwicklungsgedanke in Religion u. Dogma (Köln 1914). Praeclare *Ch. Pesch* in Theol. Zeitfragen IV (1908) 174 sqq.; *P. Marín-Sola,* La evolución homogénea del dogma católico (Bibl. de Tomistas españoles I), Madrid-Valencia 1923. — **17** De obscuratione dogmatum vel revelationis cf. *Ch. Pesch* in Theol. Zeitfragen IV 187 sqq.; *Bainvel* l. c. p. 138 sqq. — **18** Theol. Zeitfragen IV 186 sqq. — **19** Cf. Encyclica „*Pascendi*" de modernistis: „Nam non hi extra Ecclesiam, sed intra, ut diximus, de illius pernicie consilia agitant sua" (ed. *Herder* p. 4). — **20** *Franzelin* l. c. p. 282 sqq. — **21** Ibid. thes. 22, p. 263 sqq.; *M. Grabmann,* Die Lehre des hl. Thomas von Aquin von der Kirche als Gotteswerk (Regensburg 1903) 141 sqq. — **22** *Benedictus XIV,* De canonisatione Sanct. II, 32, 25 sqq.; III, 53, 15; *M. Cano,* De locis theolog. XII 3; *Franzelin* l. c. thes. 22, Coroll. p. 274 sqq.; *Bainvel* l. c. p. 128. Cf. etiam quae prudenter scribit *S. Ignatius Loyola* (Monumenta Ignatiana I 12, 632 sqq.); *A. Poulain,* Des grâces d'oraison c. XXI ([9]Paris 1914) 334 sqq.; *I. Zahn,* Einführung in die christl. Mystik ([2]Paderborn 1918) 568 sqq.

Quaestio 2. De obiecto indirecto magisterii Ecclesiae.

825. Progressus dogmaticus, de quo in priore quaestione egimus, respicit vel ipsam veritatem revelatam, quam plenius explicat vel applicat, vel etiam nexum revelationis ad veritates ordinis naturalis non revelatas. Veritates enim depositi fidei partim coincidunt cum veritatibus naturali rationis lumine iam notis vel aliunde cognoscibilibus (e. g. exsistentia Dei), partim sunt novae quidem atque etiam facultati humanae imperviae, ut mysteria stricte dicta; sed et ipsa mysteria obiective cohaerent cum multis veritatibus naturaliter notis. Hinc fieri nequit, quin mens perscrutans depositum fidei multiplices detegat *relationes inter veritates revelatas et non revelatas,* vel etiam inveniat revelationem quasdam propositiones ut erroneas reicere seu, id quod eodem pertinet, quasdam propositiones contradicere veritatibus revelatis et ab Ecclesia propositis.

Quaenam ergo est *magisterii ecclesiastici auctoritas* in hisce quaestionibus? potestne auctoritate sua uti, et quidem iure (quia ex intentione et in nomine Christi), ut iudicet de hoc nexu obiectivo? ut declaret propositiones aliquas esse deposito fidei contrarias et hinc erroneas et ut tales reiciendas? Polletne in his iudiciis potestate sua summa, ita ut decisiones, quas fert, sint absolutae veritatis et summae certitudinis? Qualis denique requiritur subiectio ex parte membrorum Ecclesiae: estne actus fidei divinae? actus absolutae vel forte condicionatae subiectionis intellectualis?

Hae fere sunt quaestiones decidendae, quibus addatur illud unum: praeter veritates philosophicas alias esse, quae eodem iure et eadem necessitudine spectant ad Ecclesiae iudicium doctrinale, e. g. facta historica (dogmatica). Quibus praemissis sequentem statuimus assertionem:

Assertio 31. Obiectum indirectum magisterii ecclesiastici constituunt veritates cum deposito fidei conexae, i. e. quae sunt necessariae ad depositum fidei custodiendum et exponendum.

826. Hac quidem forma generali assertio facile explicari et demonstrari potest, sive consideratur ipsa natura magisterii eiusque finis, sive perpenditur exercitium et usus ab eodem magisterio iugiter observatus, ex quo nimirum secure deducimus eius ius et auctoritatem. Gravitas autem huius asserti est imprimis in casibus quibusdam peculiaribus seu in applicatione ad certas *classes veritatum,* de quibus Ecclesia authentice iudicat; hae iam classes veritatum breviter adumbrari debent.

Prima earum sunt veritates *philosophicae,* quae scilicet *nexu logico* cum deposito fidei cohaerent. Atque earum numerus et pondus est tale ut „philosophiam christianam" recte eas vocaveris, siquidem plurimae veritates sive logicae sive metaphysicae sive psychologicae sive morales vel formaliter in deposito fidei continentur vel cum eo artissime convinciuntur, ita quidem ut earum negatio negaret vel directe vel indirecte ipsas veritates revelatas. Ad hanc classem reducuntur *conclusiones theologicae.*

Secundam classem constituunt veritates *historicae* quaedam. Ecclesia enim Christi est religio positiva (historica) et socialis. Ut talis profitetur non solum veritates historicas (facta historica) in suis symbolis (ut exsistentiam Christi eiusque messianitatem et divinitatem aliasque), sed etiam decidit authentice veritatem historicam certorum factorum, quae, utpote cum dogmate cohaerentia, „facta dogmatica" vocari solent. Cuiusmodi sunt legitimitas alicuius Concilii Oecumenici vel Romani Pontificis, sensus alicuius decreti conciliaris vel cuiuslibet sententiae et libri, qui continet assertionem de religione, Ecclesia, doctrina, disciplina ecclesiastica.

Tertia classis respicit veritates non directe et immediate, sed quatenus subsunt actibus Ecclesiae, quas ponit ut societas reli-

giosa (e. g. *decreta* liturgica, quae cultum regunt; decreta moralia, quae vitam fidelium moderantur, alia similia).

Progressus theologicus eo devenit, ut ex his quaestionibus quaedam prae aliis tractari soleant, ex omnibus scilicet classibus specimina quaedam. Ita *conclusiones theologicae* pertinent ad primam classem; *facta dogmatica* sensu strictiore, iudicia scilicet Ecclesiae de sensu alicuius libri vel auctoris, spectant ad secundam classem. Canonizatio sanctorum, approbatio ordinis alicuius religiosi sunt actus mediate tantum doctrinales, proxime scilicet decreta, quibus tamen subest iudicium aliquod doctrinale. De hisce casibus particularibus fusius agi consuevit. Inde assertionis partitio derivatur.

827. *Ratio argumentationis* est duplex, eadem scilicet in omnibus tribus assertionis partibus. Et altera quidem est quasi a priori, altera vero a posteriori. Prior deducitur *ex natura* et *scopo magisterii* ecclesiastici. Christus nimirum magisterium instituit, ut veritatem a se revelatam custodiret et praedicaret et quidem plene et secure (*Ass. 24,* n. 641 sqq.). Iamvero magisterium huic suo fini satisfacere non potest, nisi possit authentice iudicare etiam de veritatibus cum deposito fidei cohaerentibus ordinis naturalis. Ergo Christus magisterio dedit etiam hanc auctoritatem iudicandi authentice de veritatibus naturalibus. Probatio vel etiam applicatio minoris ad singulas veritatum naturalium classes facienda est in singulis partibus.

Huic probationi subvenit altera *ex mente et usu Ecclesiae,* quo reapse de veritatibus ordinis naturalis seu non revelatis iudicat et quidem non raro summa sua et absoluta auctoritate. Magisterium videlicet Ecclesiae scire debet et hinc scit (vi suae infallibilitatis; cf. n. 711), quousque sese extendat ambitus suae infallibilitatis; hinc ex mente Ecclesiae vel etiam ex eius usu et praxi certo cognoscitur eius potestas et auctoritas doctrinalis. Iamvero Ecclesia iudicat et iudicavit de plurimis veritatibus ordinis naturalis vi suae potestatis doctrinalis. Ergo potest et valet de his iudicare authentice et infallibiliter.

Singularum partium nunc est videre quaenam sint illae veritates, quae necessario cum deposito fidei cohaerent et hinc Ecclesiae iudicio subsunt vel de quibus Ecclesia de facto authentice iudicavit.

Pars I. De veritatibus philosophicis et conclusionibus theologicis.

828. Considerantur in hac parte illae veritates, quae nexu interno et logico cohaerent cum veritatibus depositi fidei, scilicet veritates philosophicae. Hae autem vario modo subesse possunt

iudicio Ecclesiae: scilicet vel in se, quatenus continent assertionem formaliter (explicite vel implicite) eandem (e. g. exsistentiae Dei) ac revelatio; vel in sua coniunctione cum veritatibus revelatis, quatenus ex revelatis ope veritatis alicuius naturalis deducuntur novae conclusiones, quae vocantur theologicae.

Conclusio theologica enim ut talis non pertinet ad depositum fidei, quia non est veritas revelata neque explicite neque formaliter implicite; hinc neque pertinet ad obiectum magisterii directum. Quaeri autem potest, num ad eiusdem obiectum indirectum spectet.

Definiri potest: *Conclusio proprie dicta ex veritate revelata* ope veritatis non revelatae. Conclusio in hac definitione intellegitur sensu stricto seu syllogistica, quae nimirum comparat duos conceptus inter se atque ope termini medii eorum identitatem vel diversitatem cognoscit. Haec autem via discursiva sumi debet *sensu proprio,* ita ut syllogismus mere explicativus vel analyticus excludatur.

Concedendum quidem videtur hanc indolem admodum difficulter constare, eo quod syllogismi analytici tam prope accedunt ad stricte syllogisticos, ut discrimen vix iam determinari possit. Exemplum sit hoc: Petrus est homo; ergo habet corpus, ergo organa, ergo cellulas, chromosomata . . . suntne hae deductiones omnes analyticae et explicativae? suntne stricte discursivae? suntne mixtae? transeunt forte analyticae in syllogisticas? in quonam membro? Et quanam ratione haec differentia inducitur? — Exemplum celebre conclusionis proprie dictae affertur sequens: Filius Dei est Verbum Patris. Atqui Verbum ex intellectu procedit. Ergo Filius ex intellectu Patris procedit. — Estne hic syllogismus stricte discursivus? estne minor mera analysis conceptus *Verbi* in maiore? — Et haec quidem difficultas provenit ex parte formae logicae conclusionis; accedit autem alia, quae spectat ad originem. Plurimae scilicet sunt veritates ordinis naturalis, quae etiam inveniuntur in libris sacris et inspiratis, quae igitur simul revelatae sunt. Scripta e. g. sapientialia quae dicuntur V[is] T[i] abundant talibus veritatibus.

829. Nihilominus quaestio iuris, quidnam scilicet valeat magisterium Ecclesiae circa conclusiones theologicas, controverti potest, quia est casus specialis inquisitionis generalioris, quamnam auctoritatem Ecclesia exerceat circa *veritates philosophicas.* Nam in conclusione theologica definienda Ecclesia iudicat non solum de praemissa revelata sed etiam de altera non-revelata, porro de nexu praemissarum earumque idearum inter se atque de consequentia et consequente. Cardo autem rei certe vertitur in iudicio de praemissa non-revelata; nam si in hoc iudicio magisterium est authenticum et infallibile, dicendum est posse vi suae potestatis iudicare de veritatibus philosophicis. Hinc omissa quaestione de

exsistentia conclusionum theologicarum malumus generatim ponere quaestionem de veritatibus philosophicis.

Asserimus igitur Ecclesiam posse vi auctoritatis ipsi a Christo traditae authentice et infallibiliter iudicare de veritate propositionum, quae spectant ad philosophiam. Hinc poterit etiam veritates philosophicas definire, i. e. eas summa sua auctoritate declarare ut veras et absolute a fidelibus tenendas. Qua definitione veritas philosophica non quidem intrat in depositum fidei, attamen tenenda est assensu absolute firmo. Controvertitur autem quaestio ulterior, cuiusnam generis sit hic assensus, utrum videlicet fidei divinae an fidei ecclesiasticae. Sunt qui asserant motivum assensus esse auctoritatem Dei, qui per Ecclesiam tamquam suum instrumentum definit veritatem; assensum consequenter esse *fidei divinae,* itaque veritates philosophicas ab Ecclesia definitas credi debere fide divina ut dogmata fidei. Contra vero alii, iure quidem ut videtur, contendunt motivum assensus in hoc casu non esse auctoritatem Dei immediatam sed mediatam, siquidem Deus non iam immediate loquitur hominibus (cum revelatio publica sit completa; cf. n. 795 sqq.), sed per Ecclesiam suam eiusque auctoritatem humano-divinam [1].

830. *Adversantur* huic assertioni ii, qui philosophiae omnimodam libertatem adscribunt et auctoritatem talem ut possit iudicare etiam de veritatibus revelatis a Deo. — Non quidem negamus ius philosophiae „suis principiis seu methodo ac suis conclusionibus uti, sicut et aliae scientiae", ita ut nihil admittat, „quod non fuerit ab ipsa suis condicionibus acquisitum aut fuerit ipsi alienum". Numquam autem licebit philosophiae, „aut aliquid contrarium dicere iis, quae divina revelatio et Ecclesia docet, aut aliquid ex eisdem in dubium vocare, propterea quod non intellegit, aut iudicium non suscipere, quod Ecclesiae auctoritas de aliqua philosophiae conclusione, quae hucusque libera erat, proferre constituit" (*Pii IX* Epist. *„Gravissimas inter"* de die 11 Decembris 1862 [*D* 1674] contra *I. Frohschammer;* cf. *D* 1675 1710—1714 [ex *Syllabo*] 1799 1817 1820 [*Concilii Vaticani* canones de fide et ratione]). *Modernismus* deinde quaestionem huius assertionis plane negat eo quod statuit omnimodam seiunctionem inter fidem et scientiam. „Fides enim id unice spectat, quod scientia incognoscibile sibi esse profitetur. Hinc diversum utrique pensum: scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur inter fidem et scientiam numquam esse posse discidium; si enim suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem numquam poterunt, atque ideo nec contradicere" (Encycl. *„Pascendi"; D* 2084). Omnis igitur fidei et religionis christianae et Ecclesiae et magisterii ecclesiastici auctoritas relate ad veritates ordinis naturalis a limine reicitur vel potius interciditur; si qua est inter fidem et scientiam relatio, fides subesse

debet scientiae; ita modernismus in directa oppositione, ut eadem encyclica monet (l. c.), ad Epistulam *Pii IX „Eximia inter"* (de die 15 Iunii 1857; *D* 1656) et ad verba *Gregorii IX* (ad magistros theol. parisienses de die 7 Iulii 1228; *D* 442 sqq.).

831. Demonstratio *ex indole et fine magisterii.* — Ecclesiae magisterium commissum est, ut veritates a Christo revelatas seu depositum fidei sancte custodiret et fideliter exponeret ac propagaret. Iamvero huic fini duplici satisfacere, sicut oportet, non valet, nisi possit authentice atque etiam infallibiliter de veritatibus philosophicis iudicare. Nam (1) ut Ecclesia sancte et inviolate *custodiat* depositum fidei, requiritur, ut possit certo cognoscere, clare circumscribere, authentice damnare et prohibere errores revelationi oppositos (ut e. g. falsam notionem personae [*D* 1655] vel veritatis, revelationis, religionis [*D* 2072 sqq.]) philosophicos, i. e. veritates ordinis etiam naturalis. Deinde vero (2) munus *expositionis* et praedicationis evangelicae Ecclesia sane nequit implere, nisi adhibeat conceptus philosophicos, quorum ope non solum adaptet veritates revelatas intellegentiae humanae, sive rudi sive eruditae, sed etiam excolat scientiam theologicam, qua plenior et profundior cognitio depositi fidei acquiratur atque progressus theologicus foveatur, dogmaticus praeparetur.

832. *Ex mente et praxi Ecclesiae* haec consideratio confirmatur et penitus perspicitur.

Ecclesia etenim *sibi attribuit* hanc potestatem atque eandem multoties *exercuit,* sicut ostendunt eius decreta doctrinalia. Exempla aliqua assertionem certam reddant. Anno 1348 damnati sunt errores (philosophici) *Nicolai de Ultricuria* de certitudine atque de primis principiis metaphysicis (*D* 553 sqq.); Concilium *Lateranense V* (1512—1517) egit de anima humana (*D* 738) [2]; *Sixtus IV* anno 1474 damnavit sententias *Petri de Rivo* de futurorum contingentium veritate (*D* 719 sqq.). Errores *ontologorum* identidem reiecti sunt (*D* 1659 sqq. 1891 sqq. 1927) [3]. *Pius IX* ipsum ius magisterii Ecclesiae circa veritates philosophicas enuntiavit (contra *Frohschammer: D* 1666 sqq., imprimis 1674 sq.), Ecclesiam scilicet debere depositum fidei integrum et inviolatum custodire et hinc „summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt. Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum ius sed etiam officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint . . ." (*D* 1675 sq.; cf. 1711). Idem in epistula ad archi-

episcopum Monaco-Frisingensem data loquitur de subiectione, quae magisterio ecclesiastico debetur etiam in conclusionibus (theologicis), quae communi et constanti catholicorum consensu retinentur (*D* 1684). *Concilium Vaticanum* sibi adscribit potestatem proscribendi et damnandi quoslibet errores, qui pugnant cum deposito fidei (*D* 1781), atque etiam diserte officium et obligationem (*D* 1798); et sententiam contradictoriam damnavit (*D* 1817; cf. 1820). Ipsum deinde systema *modernismi,* maximam partem falsis theorematibus philosophicis superstructum, vi huius ipsius potestatis ut „omnium haereseon collectum" Pius X redarguit (*D* 2105).

Quibus expositis *mens Ecclesiae* minime dubia dici potest. Immo in exercitio suae potestatis absolutae doctrinalis vix discernere videtur inter veritates revelatas et non-revelatas, nisi eatenus, quatenus priores consideret ut sibi tamquam depositum custodiendum commissas et quasi proprias, has vero ut auxiliares et revelationi contiguas.

833. Et ita quidem theologi docent consensu communi, uti patet; at de huius asserti *qualificatione theologica* inter eos non convenit. Videtur ex rationibus allatis sequi assertionem dici posse et debere (theologice) certam, atque potius maiorem quam minorem gradum certitudinis ei esse vindicandum. Relator *Gasser* in Concilio *Vaticano* vocavit negationem „gravissimum errorem"; quaestio autem ipsa qualificationis in Concilio non est decisa[4].

Ex iis, quae supra dicta sunt de relatione inter depositum fidei et veritates philosophicas, solvi videtur *difficultas* aliqua, quae movetur contra indolem perennem et absolutam dogmatum fidei, quae ab Ecclesia definita sunt. Sunt enim qui dicant haec dogmata, utpote intime ligata cum certis scholis philosophicis (imprimis cum aristotelico-scholastica), participare eiusdem scholae naturam contingentem et variabilem, atque adeo carere valore absoluto. — *At* licet arta conexio intercedat inter depositum fidei et veritates philosophicas, quae praecipue in formula dogmatis eniteat, negari tamen debet dogmata ligari ad propositiones dubias vel ad certas scholas, nisi quis velit nominare „*philosophiam christianam*" seu veritates cum ipso deposito intime conexas „scholam" theologicam, cum tamen exhibeat illas veritates, quas omnes scholae catholicae, modo vere tales sint, ut certissimas admittere debent propter earum habitudinem ad revelationem. Et ob hanc ipsam rationem elementum illud contingens et variabile plane deest in definitionibus Ecclesiae: „Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia. . . ." Ita *Concilium Vaticanum* (*D* 1800). Ratio est, quia assistentia Spiritus Sancti Ecclesiae promissa id ipsum intendit, ut depositum fidei inviolatum permaneat per omnia saecula usque ad finem mundi, et quidem depositum, prout est vivum in magisterio vivo ecclesiastico, prout exponitur, praedicatur, divulgatur, excolitur, applicatur, definitur. Spiritus enim Sanctus assistit non proxime deposito, sed magisterio, cui hoc depositum concreditum est, in munere suo rite adimplendo.

Pars II. De factis dogmaticis.

834. Alia ratione ac veritates philosophicae cohaerent cum deposito fidei *facta dogmatica,* videlicet non nexu logico et interno, sed externo, contingenti, historico, positivo. Sunt enim veritates historicae, *facta* historica, quae relationem habent ad religionem christianam ut positivam et historicam. *Dogmatica* seu *doctrinalia* haec facta vocantur, quia respiciunt doctrinam revelatam (christianam) et intime nectuntur cum dogmate fidei.

Non ergo loquimur de factis historicis, quae *constituunt* ipsum depositum fidei atque ut talia dogmatica vocari possunt. Quibus accensenda sunt non solum mysteria vitae Christi sed etiam aliae veritates revelatae, ut e. g. inspiratio sacrorum librorum, quae in comparatione cum aliis veritatibus recte auxiliaris nuncupari possit. Alia autem facta historica non quidem pertinent ad revelationem, attamen necessario certo constare debent, ut *depositum* fidei atque ipsa religio christiana incolumis servetur; e. g. legitimitas alicuius Concilii Oecumenici seu Romani Pontificis, ut constet de veritate dogmatis ab ipso definiti. Talia *facta,* quae quidem *revelata non sunt,* attamen certa esse debent, ut ipsum dogma salvum sit, vocantur facta dogmatica sensu proprio.

835. In hisce autem iterum duas classes distingui oportet. Sensu scilicet *generaliore* quodlibet factum historicum cum dogmate conexum dogmaticum nominari potest; sensu vero *technico* factum dogmaticum intellegitur sensus genuinus alicuius textus (libri) humani.

De prioribus nulla potest esse controversia. Nisi enim Ecclesia authentice atque etiam absolute iudicare posset de legitimitate alicuius concilii vel Romani Pontificis, iam actum esset de ipsa auctoritate doctrinali Ecclesiae deque omni eius exercitio, immo de omni auctoritate ecclesiastica, quae sua virtute plane destitueretur. Maximis namque abusibus porta aperiretur, quibus societas religiosa, Ecclesia, necessario succumberet. Hanc normam Ecclesia ipsa secuta est, agnoscens decreta Conciliorum Oecumenicorum (cf. *D* 164 173) ut legitima (cf. Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendae: „Utrum credat, quod condemnationes Ioannis Wiclef, Ioannis Hus et Hieronymi de Praga, factae de personis eorum, libris et documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint rite et iuste factae et a quolibet

catholico pro talibus tenendae et firmiter asserendae" [*D* 659]; „Item, utrum credat, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei" [*D* 674]). Praeclare haec persuasio apparet in definitione primatus et infallibilitatis Romani Pontificis, facta in Concilio *Vaticano*. Innovatur Concilii Florentini definitio, „qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est . . ." (*D* 1826). Ad probandam vero infallibilitatem Romani Pontificis illa imprimis Concilia Oecumenica allegantur, „in quibus Oriens cum Occidente in fidei caritatisque unionem conveniebat . . ." (*D* 1832). Iudicium igitur de legitimitate, universalitate atque summa auctoritate horum conciliorum potius supponitur ut factum indubie admissum et admittendum, quam ut probandum censeatur.

836. Paulo fusius agendum erit de factis dogmaticis sensu *technico*. Est enim quaestio in controversia *iansenistica* vehementer agitata atque hodie quoque gravissima; nam quaeritur, num Ecclesia authentice possit iudicare de sensu alicuius propositionis (sententiae, effati, textus) vel libri. Hoc autem iudicium complectitur et determinationem sensus, quem auctor cum verbis, prout iacent, coniunxit, et huius sensus vel approbationem vel reprobationem.

Factum videlicet dogmaticum sensu strictiore est *sensus genuinus alicuius textus* vel *libri humani determinati*. Textus vel liber humanus intellegitur; de interpretatione Sacrae Scripturae hic non agitur, quia constat libros sacros a Deo Ecclesiae traditos esse, „cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum" (Concilium *Vaticanum; D* 1788), sicut in tractatu *De Scriptura* proprie probandum est. Quonam autem modo sumendus sit „sensus genuinus" clare patebit ex descriptione controversiae *iansenisticae*.

837. *Cornelius Jansen* (1585—1638), lector theologiae lovaniensis, postea episcopus yprensis, composuit librum, quem propter venerationem erga doctorem gratiae *„Augustinus"* nuncupavit. Post Iansenii mortem *Fromondus* librum edendum curavit (1640). Cum in hoc libro sententiae quaedam, spiritum calvinianum sapientes, innovarentur, iam *Urbanus VIII* (1642) eum prohibuit. At fautores libri, asserentes Bullam esse spuriam, non se subiecerunt. Magno deinde exorto discidio, res ab episcopis iterum Romam defertur, ad tribunal *Innocentii X*. Post longas deliberationes, per duos annos protractas, iudicium demum latum est atque publicatum in Constitutione *„Cum occasione"* (de die 31 Maii 1653), in qua quinque propositiones ex libro Iansenii depromptae declarantur haereticae (*D* 1092 sqq.).

Huic autem sententiae iansenistae — iam enim factio quaedam orta erat, duce imprimis *Antonio Arnauld* (1612—1694) et adiuvante monasterio *Port-Royal,* cui praeerat *Angelica Arnauld* ut abbatissa O. Cist. — minime acquieverunt. Confugerunt nimirum ad varios sensus, quibus verba Iansenii intellegi possent; distinxerunt sensum haereticum (lutheranum et calvinisticum), pelagianum, verum. Hinc dixerunt sententias quidem ab Innocentio iuste esse damnatas, sed eas ab Iansenio nequaquam esse assertas. Postea vero, cum *Innocentius* edixisset sententias *eo sensu* esse damnatas quo in libro *„Augustinus"* leguntur, Arnauld *negavit* Ecclesiae *ius* competere iudicandi de talibus factis dogmaticis; quaestionem quidem *iuris* (num aliqua doctrina sit revelationi conformis) Ecclesiam posse solvere, quaestionem autem *facti* (num aliqua sententia certis verbis doceatur et contineatur) transgredi potestatem magisterii; talibus proinde decretis tribuendam esse non subiectionem internam, sed ad summum silentium reverentiale (1655).

Alexander VII, rogatus ab episcopis plurimis Galliae, anno insequente (1656) haec constituit: „Quinque illas propositiones ex libro . . . Cornelii Iansenii Episcopi Yprensis, cui titulus est: *Augustinus,* excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse, declaramus et definimus" (*D* 1098). Iansenistae hanc sententiam Romani Pontificis non acceptarunt; hinc formula subiectionis omnibus subscribenda praecipitur, qua „quinque propositiones . . . excerptas et *in sensu ab eodem auctore (Iansenio) intento,* prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit" reiciuntur et damnantur (*D* 1099).

838. Cum autem hoc tempore moveretur quaestio de libertate ecclesiae gallicanae (cf. *D* 1322 sqq.), atque plurimi errores de rebus moralibus, qui vel laxismo vel rigorismo indulgebant, ab Ecclesia damnarentur (cf. *D* 1101 sqq.; 1151 sqq.; 1291 sqq.), effugia aliqua iansenistis patebant, ita ut nullam curam gererent decretorum romanorum e. g. erroris damnati a *S. Officio* die 7 Decembris 1690: „Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam", et „Bulla Urbani VIII *‚In eminenti'* est subreptitia" (*D* 1320 sq.), quae asserta sunt aperte iansenistica.

Post mortem Arnauld *P. Quesnel* factionem vel potius sectam iansenisticam regendam excepit, qui postulanti *Innocentio XII,* ut intellegerentur propositiones damnatae *sensu naturali et obvio,* (anno 1694) respondit se omnino consentire, sed negare hunc sensum inesse in verbis Iansenii. Neque confirmatio constitutionis Alexandri VII, facta per eundem Innocentium XII, quidquam profuit (cf. *D* 1099, nota 3). Tandem *Clemens XI* in Constitutione *„Vineam Domini Sabaoth"* de die 16 Iulii 1705, rogatus a rege Galliae, confirmavit decreta praecessorum suorum, atque declaravit silentium obsequiosum minime satisfacere „obedientiae, quae praeinsertis apostolicis constitutionibus debetur . . .; sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Iansenii libri *sensum, quem illarum verba prae se ferunt,* ut praefertur, ab omnibus Christi fidelibus ut haereticum, non ore solum, sed et corde reici ac damnari debere . . ." (*D* 1350).

Paucis annis post (1713) errores Paschasii Quesnel (1634—1719) ab eodem Clemente damnati sunt (*D* 1351 sqq.)[5].

839. Hac tam diuturna tamque vehementi controversia quaestio *facti dogmatici* penitus tractata atque soluta est. Ecclesia nimirum sibi attribuit ius iudicandi non solum de doctrina (de gratia et libertate) sed etiam de facto aliquam doctrinam *certis verbis enuntiari.* Potest ergo authentice solvere et quaestionem *iuris et facti.* Quaestionem autem facti ita diiudicat ut declaret, quisnam sit *sensus naturalis verborum* prout praeiacent (*D* 1092), *prout* igitur *intendebantur ab auctore,* qui haec verba protulit (*D* 1098). Ergo ipse *auctor ut talis* damnatur erroris; auctor quidem, ut aiunt, *obiectivus,* neque vero subiectivus. Auctor etenim obiectivus cognoscitur ex verbis eorumque sensu, qui eruitur secundum regulas communiter vigentes (ex sensu verborum nativo — ex contextu et conexu — ex lege fundamentali hominem sanum verbis suis non contrarium exprimere illius, quod ipse exprimere velit). Auctor vero *subiectivus,* qui forte mendose scripsit, vel inscius vel sciens contrarium suae sententiae exhibet, ab Ecclesia non iudicatur[6].

Ex eadem controversia *necessitas* elucet, ut Ecclesia iudicet et iudicare valeat de factis dogmaticis, i. e. de sensu naturali et obvio verborum alicuius propositionis. Doctrina enim neque *ab errore arceri* neque rite *exponi* et proponi potest nisi verbis apte delectis. Ecclesia igitur, magistra gentium et custos revelationis christianae, iudicare debet non solum de sensu sed etiam de signis, quibus hic sensus apte exhibetur, i. e. de verbis. Nam, ut ait *Aquinas,* „si sit inordinata locutio circa ea, quae sunt fidei, sequi potest ex hoc corruptio fidei" (2, 2, q. 11, a. 2 ad 2). Ita demum Ecclesia omne periculum erroris a suis fidelibus auferre atque depositi fidei sensum penitus explicare secure et clare valebit.

840. Hinc Ecclesia inde ab initio hoc *ius exercuit,* definiendo certos terminos, e. g. θεοτόκος, ὑπόστασις (*D* 113 sq.), φύσις, τριάς, οὐσία (*D* 213), „transsubstantiatio" (*D* 877). Porro damnavit errores haereticorum, velut „scelerata et perversa *Nestorii* dogmata" (*D* 125) in Concilio Ephesino[7], „impia *Theodoriti* conscripta", qui ut auctor horum scriptorum simul cum Nestorio ipse vocatur „impius" (*D* 226). *Innocentius II* anno 1141 „universa ipsius *Petri (Abaelardi)* (ait) dogmata . . . cum suo auctore damnavimus eique tamquam haeretico perpetuum silentium imposuimus" (*D* 387). *Wicleffitae* et *Hussitae* interrogandi sunt, num „condemnationes Ioannis Wicleff, Ioannis Hus et Hieronymi de

Praga, factas de personis eorum, libris et documentis . . ." agnoscant ut rite factas (*D* 659). De *iansenistis* cf. supra n. 837 sq. *Pius* denique *IX* in epistula sua „*Gravissimas inter*" de die 11 Decembris 1862 haec scribit: „*Iacobum Frohschammer* . . . suis operibus . . . gravissimos tueri errores. . . . Itaque eadem Congregatio . . . iudicavit auctorem in pluribus non recte sentire eiusque doctrinam a veritate catholica aberrare" (*D* 1667).

Quaerenti, quaenam sit *qualificatio theologica* huius partis, respondendum erit hanc partem esse saltem theologice certam; sed inspectis iudiciis Ecclesiae tot tantisque minime dubiis, maior etiam gradus certitudinis dogmaticae eidem tuto vindicari potest, praesertim cum poenae gravissimae infligantur iis, qui statutis Romani Pontificis (*Clementis XI; D* 1350) non oboediverint.

Pars III. De decretis sive disciplinaribus sive liturgicis universalibus, quibus subest iudicium Ecclesiae doctrinale.

841. Decreta ut talia proxime quidem spectant ad potestatem regiminis, non vero magisterii, quod, uti vidimus, etiam decreta edit, sed proxime doctrinalia. Decreta autem illa, de quibus in hac parte agendum est, respiciunt *proxime vitae agendae rationem, remote* simul veritates illas, quae sunt fundamentum quodammodo doctrinale huius vitae rationis. Si e. g. Ecclesia praescribit ieiunium observandum certis temporibus, proxime quidem aliquid circa comestionem statuit cibi, simul tamen affirmat hanc vivendi rationem esse religioni atque revelationi christianae conformem atque saluti aeternae hominum utilem. Talia decreta igitur pertinent remote saltem ad potestatem doctrinalem Ecclesiae. Quaeri itaque potest, quaenam sit auctoritas Ecclesiae doctrinalis in his decretis edendis, quanam certitudine veritates, quae illis subsunt, ab Ecclesia affirmentur; num forte etiam in hisce veritatibus implicitis asserendis sit infallibilis.

Respondemus Ecclesiam in edendis decretis esse infallibilem, si haec decreta fuerint universalia et promanent ex summa Ecclesiae potestate.

Haec decreta authentica universalia ad duas classes revocare convenit; alia enim spectant ad vitam christianam moralem et religiosam, alia ad cultum peragendum. In utrisque, nimirum in disciplinaribus et in liturgicis, Ecclesia est infallibilis, si condiciones supra indicatae fuerint impletae.

1. De decretis disciplinaribus.

842. Decreta disciplinaria intelleguntur *ecclesiastica, universalia, authentica* (absoluta). Et *ecclesiastica* quidem vocantur, ut exclu-

dantur mandata (immediate) divina, qualia sunt praecepta decalogi a Christo confirmati, mandatum caritatis, alia huiusmodi, quae in ipsa revelatione scripta vel traditione ut divina cognoscuntur et ab Ecclesia ut talia agnoscuntur. Considerantur igitur illa decreta, quae ab Ecclesia, vi iurisdictionis ipsi a Christo datae, feruntur, quae proinde sunt ut talia humana. *Universalia* deinde esse dicuntur illa decreta, quae pro universa Ecclesia valent, atque inde ipsum finem Ecclesiae non tangere non possunt. *Authentica* denique debent esse, ut sint actus summae potestatis ecclesiasticae supremi, similiter atque actus definitionis sollemnis Romani Pontificis vel Concilii Oecumenici. Et re quidem vera, decreta universalia authentica edi non possunt nisi vel a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico, quippe quae polleant „suprema in universam Ecclesiam potestate" (*CIC* 228, 1; cf. 218, 1).

843. Iam quaeritur, *sub quanam ratione* talia decreta possint dici *infallibilia*. Ex iis quae antea dicta sunt, distinguendum est inter actus ut disciplinares et ut doctrinales. Ut *disciplinaris* actus, qui certis temporibus sub certis condicionibus et circumstantiis certa quaedam facienda praescribit vel prohibet, actus non dicitur infallibilis, quasi assereretur omni ex parte opportunus vel pro omni tempore validus. Decretum enim etiam universale et authenticum potest evadere minus utile, immo partim nocivum, ita ut ab eadem auctoritate, quae illud tulit, postmodum abrogetur. Actus autem ut (implicite) *doctrinalis,* videlicet ut procedens ab auctoritate Ecclesiae summa, quae simul est disciplinaris et simul doctrinalis, quae porro ut doctrinalis infallibilitate pollet doctrinali, participat infallibilitatem magisterio ceteroquin propriam.

Quibus expositis *ratio interna,* curnam talia decreta sint infallibilia et infallibilia esse debeant, iam indicata est. Ecclesia nimirum, agens summa sua potestate iurisdictionis, simul (licet implicite) summa sua utitur auctoritate doctrinali. Iamvero exercitium summum magisterii adnexam habet infallibilitatem. Ergo decreta universalia ut doctrinalia sunt infallibilia.

Necessitas porro talis infallibilitatis clarius etiam apparet, si interim supponatur Ecclesiam in decretis talibus posse errare; nam in hoc casu error, proxime practicus, necessario redundaret in ipsam doctrinam (cf. axioma: lex orandi — lex credendi), atque ideo error, in hoc casu necessario sequens, esset introductus, immo praescriptus ab Ecclesia, idque summa eiusdem potestate. Talis autem modus agendi, qui conaturaliter tendit ad destructionem Ecclesiae, Ecclesiae est impossibilis, propter promissam ei assi-

stentiam Christi et Spiritus Sancti, ex qua omnimoda indefectibilitas Ecclesiae sequitur.

844. Ex *sensu et usu Ecclesiae* deinde haec auctoritas doctrinalis comprobatur, quatenus Ecclesia quaedam praescribit summa sua auctoritate, quae profluunt ex certa persuasione et supponunt iudicium Ecclesiae item peremptorium doctrinale.

Ita leges, quas Ecclesia fert circa matrimonium (*D* 990; cf. 969 sqq. 1991 sqq. 2066 sqq.; *CIC* 1012 sqq.), circa sacram communionem (e. g. *D* 1981 sqq. 2137 sqq.; *CIC* 859 sqq.), aliae. Speciatim huc referenda est *approbatio definitiva* vel sollemnis *ordinum religiosorum.*

Status religiosus est „stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt" (*CIC* 487). Societas vero aliqua, „a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica . . . nuncupant, atque ad evangelicam perfectionem tendunt", vocatur *religio* (*CIC* 488, 1); *ordo* vero est „religio, in qua vota sollemnia nuncupantur" (*CIC* 488, 2). *Approbatio,* de qua sermo est, intellegitur ultima et *definitiva,* non praevia illa, qua aliquod institutum religiosum declaratur laudabile esse.

Sensus talis approbationis proxime quidem videtur esse in eo ut certis quibusdam hominibus, iis nimirum, qui vel sunt sodales ordinis vel ut sodales admitti desiderant, paretur certitudo se incedere in via secura salutis et perfectionis christianae acquirendae. At re vera tale decretum approbationis dirigitur ad *totam* Ecclesiam, atque omnibus fidelibus institutum religiosum approbatum commendatur ut sanctum, non solum fidei conforme, sed etiam peculiaribus et efficacibus mediis instructum, quibus ipsa perfectio christiana a membris acquiri possit.

Quibus explicatis, iam patet *necessitas,* ut Ecclesia de natura, fine, mediis alicuius ordinis religiosi authentice possit iudicare atque infallibiliter decernere, i. e., ut sit in approbatione talis ordinis infallibilis. Agitur enim de ipso fine principali Ecclesiae, sanctificatorio, obtinendo mediis Ecclesiae propriis et maxime efficacibus; quodsi Ecclesia in his commendandis et comprobandis posset errare, ipsa eius doctrina non iam esset tuta, seu ipsa magisterii infallibilitas in dubium vocaretur vel negaretur.

Haec tamen approbatio non impedit, quominus membra alicuius ordinis etiam definitive approbati deficiant a fine sibi proposito, neglegant media, quae ipsis praesto sunt, atque adeo ordo integer, vel culpa soda-

lium vel etiam mere ob condiciones externas (maxime politicas vel ecclesiastico-politicas) per accidens evadat Ecclesiae potius nocivus et hinc ab Ecclesia supprimi possit. Est enim approbatio, etiam sollemnis, actus auctoritatis humanae et ut talis revocari potest a legitima auctoritate.

845. *Mentem* autem suam aperit ipsa Ecclesia in *formulis,* quibus ordines definitive approbare solet, scilicet „apostolica auctoritate . . ., ex certa scientia approbamus, confirmamus et benedicimus, ac perpetuae firmitatis munimine roboramus", additis gravissimis poenis in eos, qui ausi fuerint impugnare institutum tali modo approbatum [8].

Pius VI anno 1794 in condemnandis erroribus *synodi Pistoriensis* etiam hunc reiecit: „statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitae pastoralis muneribus; nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitae monasticae principiis", ut sententiam falsam, perniciosam, in sanctissimos Ecclesiae Patres et praesules iniuriosam, pio et vetusto et probato Ecclesiae mori summorumque Pontificum sanctionibus contrariam (*D* 1580; cf. 1584 sqq.). *Pius* vero *IX* anno 1864 defendit religiosas familias contra eos, qui „haereticorum commentis" plaudentes asserebant eas „nullam habere legitimam exsistendi rationem". Nam verba Pii VI sua faciens cum ipso affirmat abolitionem regularium laedere statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedere porro vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam apostolicae doctrinae consentaneam, laedere denique ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneratur Ecclesia, „qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates" (Encycl. *„Quanta cura",* 8 Dec. 1864; *D* 1692).

Certo proinde Ecclesia in approbandis ordinibus religiosis utitur summa sua et definitiva et hinc infallibili auctoritate; estque haec sententia theologis communis et theologice certa dici debet.

2. De decretis liturgicis.

846. *Decreta liturgica,* de quorum infallibilitate quaeritur, conveniunt cum disciplinaribus in eo quod procedunt ex eadem potestate iurisdictionis, quod porro sunt *universalia* et *authentica* (absoluta). Differunt vero ab iis, quatenus pro obiecto habent non vitae religiosae et moralis rationem, sed *cultum, ritus* scilicet et *festa.*

Ritus seu caeremonias intellegimus illos, quos Ecclesia vi suae potestatis decursu temporis instituit ad exprimendam propriam venerationem et ad elevandum hominem etiam adminiculis ex-

terioribus, ut facilius res divinas meditari atque percipere possit (cf. *D* 943). Ita plurimis iisque aptissimis ritibus adornavit celebrationem augustissimi sacrificii Missae: „Ecclesia (inquit *Tridentinum*) catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur (sacrificium Missae), sacrum canonem multis ante saeculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quandam redoleat mentesque offerentium in Deum erigat" (*D* 942). Agens porro de aliis Missae caeremoniis haec asserit: „Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, comtemplationem excitarentur" (*D* 943).

Quibus verbis duplex ratio continetur: *usus* videlicet perpetuus Ecclesiae et *mens* qua Ecclesia hos ritus intellegit; qua porro potestate eos instituerit, quam clarissime apparet. Nam declarat perpetuo in Ecclesia potestatem fuisse, „ut in sacramentorum dispensatione, *salva illorum substantia* [9], ea statueret vel mutaret, quae suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate, magis expedire iudicaret" (*D* 931). Sollemniter deinde edicit Ecclesiam in his ritibus instituendis non errare; sed eos consonare sanctitati et pietati et reverentiae sacrificio (et sacramentis) debitae. Denique distinguit inter ritus ab ipsa introductos et substantiam sacramentorum, seu ritus ab ipso Christo determinatos.

847. Ex eadem mente proveniunt exhortationes *Codicis Iuris Canonici:* „Cum omnia Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino Nostro instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est" (*CIC* 731, 1); „In Sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae, quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur" (*CIC* 733, 1).

Quae ita clare diserteque ab Ecclesia docentur, comprobant eiusdem persuasionem se in hisce ritibus praescribendis versari intra ambitum suae potestatis, sequi exemplum aevi apostolici, regi a Spiritu Sancto Ecclesiae promisso, esse proinde infallibilem. Ita ipsa iam *necessitas* huius infallibilitatis indicatur, intima videlicet et nativa coniunctio horum rituum cum ipsis dogmatibus, quae docent exsistentiam et indolem ss. sacrificii et sacramen-

torum. Fieri sane nequit, ut ritus indigni atque essentiae sacramentorum oppositi adhiberentur, quin eo ipso periculum induceretur erroris etiam doctrinalis atque ipsius dogmatis perversio. Haec autem, quominus accidat, vetatur charismate infallibilitatis. Eadem ergo infallibilitate Ecclesiam regi oportet in instituendis ritibus sacris.

848. *De festis* speciatim agendum est. — Festa ab Ecclesia celebrantur vel in commemorationem certorum *factorum* vel in honorem certarum *personarum;* quae divisio autem non stricte intellegenda est, uti patet.

Excludimus ex hac nostra consideratione omnia festa, quorum obiectum continetur *in deposito fidei,* ut festa Domini vel B. V. Mariae, quae celebrant facta in sacris fontibus narrata (mysteria quae vocantur vitae Christi et alia, Immaculatam B. V. Mariae Conceptionem eiusque Assumptionem et alia). Facta igitur hic respicienda sunt praecipue facta in decursu *historiae Ecclesiae* contenta (ut apparitiones B. V. Mariae, e. g. Lapurdana, Michaelis archangeli, stigmatisatio S. Francisci Seraphici, alia) et personae illae, quae ab Ecclesia universa ut *„Sancti"* coluntur.

849. Et quoad *facta* quidem illa historica non-dogmatica, quae occasionem dederunt introductionis alicuius festi, iudicium implicitum Ecclesiae, tale festum praecipiens, fertur *non* in ipsum factum *historicum ut tale,* sed in *personam,* cui hoc festo cultus exhibetur.

Exempla sunt introductio festi SS. Corporis Christi, cuius ansa fuit revelatio quaedam B. Iulianae O. Cist. (1192—1258) facta; vel SS. Cordis Iesu, ob apparitionem S. Margaritae Alacoque factam. Ipsa quidem festa ab Ecclesia approbata et ad universam Ecclesiam extensa sunt; revelationes autem illae privatae, quae de facto prima ansa fuerunt his festis, ab Ecclesia eatenus tantum agnoscuntur, ut eis vindicet certitudinem historicam. Simile quid valet de numismatis, peculiari modo (revelatione) commendatis, de processionibus, ut illa quae fieri solet Pellevoisin (dioecesis Bourges), quae initium sumpsit a revelatione aliqua, anno 1876. Cum enim Congregatio Sacr. Rituum 4 Aprilis 1900 imagines quasdam, in illa celebritate adhibitas, approbaret atque ex hac approbatione deduceretur ipsam revelationem esse approbatam, decretum aliquod S. Officii (8 Sept. 1904) diserte declaravit approbationem praecedentem Congregationis Rituum non approbasse, neque directe neque indirecte, veritatem revelationis, apparitionis, sanationum etc. [10]. Ex quo decreto mens et sensus Ecclesiae haud dubie cognoscitur. Encyclica itaque *Pascendi,* agens in genere de „piis traditionibus", haec sapienter dicit: „Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat, nisi cautione multa adhibita . . . quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem adserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, abhinc annis XXX edicebat: ‚Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem, quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam.' Hoc qui teneat metu omni vacabit. Nam Apparationis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, conditionem semper habet implicitam de veritate facti: prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur; fertur enim in personas ipsas Sanctorum, qui honorantur" (ed. *Herder* p. 116 sq.).

850. De *festis Sanctorum* si agatur, distinguendum est inter illos, qui cultu locali vel permisso tantum coluntur, et eos, qui *iudicio sollemni,* „extrema et definitiva sententia", Ecclesiae in album *Sanctorum* relati sunt; de his ultimis nostra fertur inquisitio.

Tale decretum, quod unius est Sanctae Sedis ferendum (*CIC* 1999, 1), est simul *universale,* obligans scilicet universam Ecclesiam, et simul *authenticum* et *definitivum,* summa scilicet auctoritate prolatum. Ex quibus patet iudicium doctrinale, quod huic decreto subest, esse *infallibile.* Quaeritur igitur, quidnam tali decreto (explicite) praecipiatur, quidnam (implicite) doceatur.

Responsum peti debet ex ipsa *mente et intentione* Romani Pontificis homini honores Sanctorum decernentis. Quapropter legamus verba usitata in tali decreto: „Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem et christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii et Spiritus Sancti, et BB. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, de eorundem venerabilium fratrum nostrorum . . . consensu . . . *B. Stanislaum Kostkam.* . . . SS. Confessorum non Pontificum canoni adscribendum decrevimus et definivimus . . . eundemque per omnes Christi fideles tamquam vere Sanctum honorari mandavimus et mandamus . . ." (Benedictus XIII, die 31 Decembris 1726).

Neque alia sunt verba in sollemnibus canonizationibus, quae nostris celebrantur temporibus. In litteris nimirum decretalibus, quibus Beatae Magaritae Alacoque Sanctorum honores decernuntur (die 13 Maii 1920; *AAS* XII [1920] 486 sqq.), legimus verba haec Benedicti XV: „Ad honorem . . . dictam *Beatam Margaritam Mariam Alacoque* . . . Sanctam esse et in Sanctorum catalogo adscribi decrevimus. Eique, eodem decreto, sociavimus *Beatum Gabrielem a Virgine Perdolente.* . . . Perpensis omnibus, quae erant inspicienda, ex certa scientia ac Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, cuncta praedicta et eorum singula confirma-

mus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denuntiamus . . ." (511 sq.).

Quibus certe verbis usus auctoritatis Romani Pontificis *supremus,* qua loquitur ad universam Ecclesiam, clare enuntiatur.

Praeceptum igitur Ecclesiae eo tendit ut fideles agnoscant et honorent illum, cui summi honores definitive attributi sunt, tamquam Sanctum, i. e. caelitem et gloriae caelestis participem, cultu dignum. Hoc idem aeque fere immediate *docetur* ab Ecclesia authentice.

851. Quaeri autem potest, *quomodo Ecclesia sciat* aliquem esse Sanctum, i. e. in caelis, nisi per revelationem; quodsi per revelationem, urget ulterior quaestio, num videlicet Ecclesia in hoc casu hanc veritatem sibi (mediate vel immediate) patefactam sollemni modo definiat; quodsi talem revelationem definiat, novum videtur dogma condere, quod in deposito fidei immutabili minime continetur ac proinde contradicit doctrinae Ecclesiae de revelatione absoluta (*Ass.* 30, n. 795 sqq.) — *At* iudicium Ecclesiae de gloria caelesti alicuius hominis non fundatur in aliqua revelatione, sed *in inquisitione,* qua inquirit in vitam religiosam et moralem istius hominis, qua cognoscit hanc vitam perfectioni christianae conformem et ut talem a Deo miraculis comprobatam. Ex hisce signis cognoscit statum gratiae talis hominis et simul eius correspondentem gloriam in altera vita. Ratio autem, cur Ecclesia in his conclusionibus servetur ab errore et hinc *infallibiliter* iudicet, est *assistentia* Spiritus Sancti, quae Ecclesiae, definitive iudicanti, non deest.

Altera autem movetur quaestio, etiam difficilior: Quid, si Ecclesia in dignoscendis factis historicis *erraret?* Quid, si erraret de nomine et vita? Si confunderet in unum duos homines, sicut perhibetur fecisse in processu canonizationis S. Ioannis Nepomuceni? [11] — Omnes quidem auctores in eo conveniunt ut asserant talem errorem non obesse veritati canonizationis; explicatio tamen ulterior alia ab aliis datur. Sunt etenim qui contendant „Sanctum" canonizatum fere non esse nisi imaginem illam, virtutibus et charismatis adornatam, quam certae personae historicae attribuunt. Ecclesiae vero iudicium infallibile ferri in hanc imaginem eamque solam, solutam eam dixeris ab eius reali exsistentia in persona illa historica. Providentia autem speciali divina caveri, ne Ecclesia umquam erret neque in ulteriore iudicio: hanc determinatam personam exercuisse illas virtutes et insignitam esse hisce miraculis, licet forte aliqua adiuncta historica veritati non correspondeant. Hoc sensu intellegere licebit verba haec: „Praecipi universali Ecclesiae cultum eius, qui sit reprobus, repugnat. Quaestio non est ita clara de eo, qui numquam exstiterit." [12]

Haec certe solutio evitat difficultates historicas, petitas ex processu Ioannis Nepomuceni; at forte non tam facile concordare intellegitur cum verbis quibus canonizatio definitur. Hinc alii potius asserunt decretum Ecclesiae infallibile, praeter approbationem imaginis et speculi cuiusdam virtutum, etiam ipsum hominem qui eas exercuerit respicere, atque affir-

mare hanc personam historicam esse honorandam ut sanctum caelitem. Ceterum inquisitio historica in personas, quibus honores altaris accensendi sunt, est tam accurata; personae ipsae vixerunt in tali temporum et locorum omniumque condicionum claritate, ut haec quaestio practice moveri vix debeat.

852. *Qualificatio,* quam huic assertioni vindicare debemus vi rationum quas attulimus, est: (saltem) theologice certa; ita nunc videtur inter theologos convenire [13]. — *S. Thomas,* Quodlibet IX a. 16 quaerit: „Utrum omnes sancti, qui sunt per Ecclesiam canonizati, sint in gloria, vel aliqui eorum in inferno", et respondet: „. . . Iudicium Ecclesiae universalis errare in his quae ad fidem pertinent impossibile est . . . (hinc) magis est standum sententiae Papae, ad quem pertinet determinare de fide. . . . Canonizatio vero sanctorum medium est inter haec duo (fidem et facta particularia historica) . . . quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quaedam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiae errare possit. . . ." Hinc dicendum est, „quod divina providentia praeservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur." Quae sententia praeclarum testimonium praebet sensus Ecclesiae constantis de indole potestatis, quam in canonizatione Sanctorum exercet [14].

853. NOTAE. — **1** Priorem sententiam tuentur *Suarez, Lugo;* ex recentioribus *Schiffini, de Grandmaison, Marin-Sola, Gardeil,* i. e. theologi variarum scholarum. Alteram (aliquomodo) *Molina,* quoad rem *Becanus, Salmanticenses;* recentiores: *Wilmers, Pesch, Schultes* (cf. n. 824, not. 15). — **2** *I.-D. Mansi,* Ss. Conciliorum . . . collectio XXXII, 842. — **3** *Th. Granderath,* Constitutiones ss. Oecum. Conc. Vatic. 38 sqq.; *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. II 5/6, n. 52 sqq. — **4** Coll. Lac. VII 414 sqq.; cf. *Ch. Pesch* l. c. I 6/7, n. 535. — **5** Cf. *Ch. Pesch* l. c. I 6/7, n. 538 sq.; *Hergenröther-Kirsch,* Handb. der allg. Kirchengesch. III 5 (1915) 776 sqq.; IV 5 (1917) 36 sqq.; *A. de Becdelièvre* in Dict. apol. II (1915) 1153—1192. — **6** Notatu digna sane sunt verba relatoris archiepiscopi *Simor* in *Concilio Vaticano:* „Omnia Concilia errores condemnaverunt; errores, non autem errantes. Omnia Concilia prae oculis habuerunt illud S. Augustini: ‚Interficite errores, sed diligite errantes.' Ergo deputatio (cuius relator erat *Simor*) existimat etiam hancce mutationem acceptandam non esse (errores non damnandos esse, sed solummodo indigitandos, ut agnoscantur et evitentur), salvo meliore vestro iudicio" (*Th. Granderath* l. c. 74, nota 1). — **7** Cf. de hac quaestione *Ch. Pesch,* Nestorius als Irrlehrer. Zur Erläuterung einer wichtigen theologischen Prinzipienfrage (Paderborn 1921), in quo libro *Ch. Pesch* inquirit in quaestionem, „num Ecclesia in diiudicandis factis dogmaticis sit infallibilis" (Vorwort). — **8** Ex Bullis, quibus Institutum Societatis Iesu approbatum est a Paulo III (1540) et Gregorio XIII (1584). Cf. *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. I 6/7, n. 545; *A. Straub,* De Ecclesia Christi n. 908 (II p. 273). — **9** De sensu huius incisi cf. *H. Lennerz,* „Salva illorum substantia" Gregorianum 3 (1922) 385 sqq. 524 sqq.; *I. B. Umberg,* Die Bedeutung des tridentinischen „salva illorum substantia" (sess. 21,

c. 2), in Zeitschr. für kath. Theol. XLVIII (1924) 161 sqq.; *A. d'Alès,* Salva illorum substantia. Ephemerides theol. Lovanienses I (1924) 497—504. — **10** Cf. *A. Poulain,* Des grâces d'oraison (^{9}1914) 403 sqq.; *A. Straub* l. c. II, p. 280 sq. — **11** De Ioanne Nepomuceno cf. Zeitschr. für kath. Theol. VII (1883) 52 sqq., ubi *P. Schmude* defendit veritatem historicam eorum, quae in breviario leguntur. *Idem* in Kirchenlexikon VI (1889) 1725 sqq. *H. Bihlmeyer* (Kirchl. Handlex. II [1912] 128 sqq.) et *J. B. Jaugey* (Dict. apolog. II [1915] 1210 sqq.) contrarium defendunt. — Verba *Bullae* sunt haec: „Beatum Ioannem Nepomucenum, ecclesiae metropolitanae Pragensis in regno Bohemiae presbyterum et canonicum, de cuius sanctitate, martyrio, causa martyrii et miraculis plene constabat et constat, sanctorum martyrum canoni adscribendum decrevimus et definivimus . . ." (*Benedictus XIII* die 18 Martii 1729; Bullarium, ed. Taur. XXII [1871] 804 sq.). — **12** *I. V. Bainvel,* De magist. vivo et traditione p. 114. — **13** Cf. *Ch. Pesch,* Prael. dogm. I $^{6/7}$, n. 553; *F. Diekamp,* Kathol. Dogmatik I ^{3} (1921) 63. — **14** De *martyrologio,* lectionibus *breviarii* cf. *Pesch* l. c. n. 543; *Bainvel* l. c. p. 115; de quaestionibus cohaerentibus: *K. A. Kellner,* Heortologie oder die geschichtl. Entwicklung des Kirchenjahrs und der Heiligenfeste von den ältesten Zeiten bis zur Gegenwart (^{3}Freiburg 1911); *H. Delehaye,* Les légendes hagiographiques (^{2}Bruxelles 1906); cf. *Delehaye-Stückelberg,* Die hagiograph. Legenden (Kempten 1907); *H. Grisar,* Ein Anliegen der kath. Geschichtskritik (Akten des fünften internation. Kongresses kath. Gelehrten, München 1901), 133 sqq. — De *reliquiis,* quarum venerationem, iampridem in Ecclesia exercitam (cf. *D* 440), *Tridentinum* iterum sanxit (*D* 985), *Codex Iuris Canonici* ius nunc vigens composuit can. 1276 sqq. Quidnam de earum authenticitate valeat, exponit Encyclica „*Pascendi*" (ed. *Herder* p. 116), similia scilicet ac valent de „piis traditionibus" (cf. supra n. 849).

CAPUT IV.

DE FONTIBUS MAGISTERII ECCLESIAE.

854. Quaestio hoc in capite indicata superflua atque adeo impossibilis videri possit illi, qui meminerit magisterium Ecclesiae esse vivum et traditionale, eius autem doctrinam esse revelationem iamdudum absolutam; nam illi doctrina tradenda semper praesto esse debet. Et re quidem vera supra (n. 669 sqq.) ostendimus totam doctrinam Christi, hominibus tradendam, in conscientia Ecclesiae docentis atque in eiusdem perenni praedicatione contineri et inveniri, ita ut huius magisterii exercitium vivum, obiective spectatum, fons dici possit, ex quo iugiter quodammodo veritates promanant, vel potius: *in quo perenniter omnes veritates simul asservantur,* atque vitam Ecclesiae participantes vitam suam et vigorem exercent in Ecclesiae filios.

Non tamen negamus, immo diserte asserimus Christum Ecclesiae suae eiusque magisterio etiam *Sacram Scripturam* dedisse tamquam fontem, ex quo hauriat revelationem Christi, non novam quidem, si veritates per se revelatae respiciuntur, sed eandem quam inde ab initio oretenus praedicavit, quae postmodum sub

influxu charismatico Spiritus Sancti per hagiographos tamquam Dei instrumenta et organa viva scripta est et maximam partem depositi fidei continet. Haec autem Scriptura non cuilibet christiano explicanda tradita est, sed proxime magisterio ecclesiastico et per ipsum omnibus fidelibus; unicum enim magisterium habet potestatem et officium „iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum", ait *Vaticanum* (*D* 1788); unicum quoque magisterium in hac interpretatione vi assistentiae Spiritus Sancti ab errore praeservatur. Longe aliter illi iudicare debent, qui reiciunt magisterium vivum Ecclesiae, quibus proinde non superest nisi unicus fons: Scriptura. Quorum, si libet, placitum examinemus in *priore* huius capitis *quaestione.*

855. In *altera quaestione* alii quidam *fontes* occurrunt, non divini (sicut Sacra Scriptura), sed *humani.* Fieri enim non potuit, quin magistri Ecclesiae etiam scriptis docerent; atque decursu temporum plurima huius magisterii documenta orta sunt. Quorum principalia consideravimus iam in assertionibus praecedentibus, agentes nimirum de decretis doctrinalibus sive episcoporum (*Ass. 26,* n. 714 sqq., et *27,* n. 725 sqq.) sive Romani Pontificis (*Ass. 28,* n. 748 sqq., et *29,* n. 776 sqq.). Remanent autem alia documenta, quibus doctrina christiana exhibetur: omnia scilicet illa, quae non provenerunt a magistris authenticis; quid de his? Numquid nullam auctoritatem habent? Numquid forte considerari debent ut testimonia fidei ecclesiasticae? et quonam ambitu? quanam ratione?

Eminent inter illa documenta illorum hominum scripta, qui de facto magnam auctoritatem atque adeo venerationem in Ecclesia nacti sunt, quos propterea Ecclesia insignivit nomine honorifico „*Patris*" vel „*Doctoris*" Ecclesiae, quos ipsa magni facit tamquam praecones suae fidei, quos adhibet in comprobationem suae doctrinae. Eorum igitur auctoritas doctrinalis nobis est indaganda, qualis sit, unde proveniat. Atque, hac demum quaestione soluta, ipsi tractatui finem imponemus disquisitione auctoritatis illius sancti Doctoris, quem Ecclesia fere nulli secundum habet: *Thomae* dico *Aquinatis,* Doctoris *Angelici* qui vocatur ob singulare intellectus ingenium, *Communis* qui vocatur ob auctoritatem qua pollet in universa Ecclesia.

Coronidis instar addetur brevis conspectus *qualificationum* et *censurarum theologicarum,* qui pertinet potius ad terminologiam quam ad disquisitionem historico-dogmaticam, quam absolvere in hoc tractatu in animo nobis est.

Quaestio 1. De Sacra Scriptura ut fonte.

Ex iis, quae modo exposita sunt, patet aliam esse relationem Ecclesiae ad Sacram Scripturam, aliam ad fontes humanos in secunda quaestione tractandos. Nam Deus, auctor sacrorum librorum, ipsos ut fontes revelationis Ecclesiae tradidit in usum publicum; qui proinde ab Ecclesia reici vel neglegi vel ullo modo mutari non possunt. Omnis eorum auctoritas provenit ex hac voluntate divina. Aliter loquendum est de fontibus humanis, quorum auctoritas tota quanta profluit ex coniunctione cum magisterio Ecclesiae. Nihilominus Sacra Scriptura explicanda est commissa Ecclesiae, cuius magisterio vivo tota doctrina tradita est immediate a Christo (cf. *Ass. 30,* n. 795). Inde assertio intellegitur sequens.

ASSERTIO 32. Sacra Scriptura non est unicus fons doctrinae revelatae.

856. *Sacram Scripturam* intellegimus illos libros, qui Deum habent auctorem litterarium, i. e. qui quidem scripti sunt per homines (inspiratos a Spiritu Sancto, hagiographos) sed ut per organa et instrumenta divina; sunt proinde *verbum Dei scriptum* et qua tale *revelatio* his, qui eis utuntur (non necessario ipsis hagiographis). Ad hanc autem indolem *inspiratam* accedit alterum elementum, quo tandem libri inspirati dici soleant sacri: scilicet *canonicitas,* ut hi libri, a Deo conscripti, ab eodem Deo destinati sint ad usum publicum Ecclesiae et ab ea ut tales agniti ac recepti sint. Quo fit, ut revelatio in ipsis contenta sit *publica.*

Exsistentiam talium librorum atque totius Sacrae Scripturae interim supponimus, et in hac suppositione quaerimus, num hi libri sacri, ii nimirum, qui constituunt Vetus et Novum Testamentum, possint esse et sint *fons unicus* revelationis christianae.

857. *Fons* est id, ex quo notitia vel cognitio alicuius rei hauriatur. Fons igitur doctrinae revelatae ille est, ex quo Ecclesia hauriat veritates depositi fidei; si totum suum obiectum ex ipso solo depromat, fons est *unicus.*

Verba assertionis ipsa eius innuunt *divisionem:* negando videlicet Sacram Scripturam esse fontem unicum, concedimus eam habere rationem fontis; at simul contendimus praeter eam (et de facto prae ea) alium esse fontem. Demonstratio proinde duabus viis procedere poterit: aut (negative) ostendendo Sacram Scripturam ut fontem non sufficere, aut (positive) probando praeter eam alium esse fontem; utraque via incedemus.

Suppositum huius assertionis est tale ut respiciat solos illos, qui admittant indolem supernaturalem S. Scripturae; hinc *adversarii* sunt protestantes orthodoxi, qui negant magisterium vivum et authenticum Ecclesiae (*Luther; D* 767 sqq.; cf. supra n. 548 sqq.). Sententias *rationalismi* videre est ex placitis *modernistarum,* qui negant Deum esse vere auctorem S. Scripturae (*D* 2009 sqq.) atque eodem modo reiciunt magisterium Ecclesiae (*D* 2001 sqq. 2052 sqq.); hae igitur indirecte tantum spectant ad hancce assertionem.

***Pars I.* Exsistit praeter Sacram Scripturam magisterium vivum authenticum.**

858. Christus, auctor Ecclesiae proximus et immediatus, totam doctrinam suam (*Ass. 30,* n. 795 sqq.) apostolis eorumque in munere successoribus, i. e. magisterio vivo et authentico, tradidit custodiendam et exponendam (*Ass. 24,* n. 641 sqq.). Iamvero exercitium talis magisterii vivi est in eo ut hanc revelationem ceu depositum sibi commissum inviolatam teneat (in conscientia sua sociali) et praedicet; haec igitur praedicatio Ecclesiae perennis perenniter totum depositum continet. Ergo magisterium vivum, *vi conceptus,* est fons veritatis sibi commissae sufficiens (cf. supra *Ass. 24,* n. 670 sqq.).

Hanc fuisse *mentem Ecclesiae* inde a primis temporibus antea demonstratum est. Antequam videlicet libri sacri conscripti sunt, magisterium erat unicus fons revelationis christianae (cf. n. 650 sqq.). Sed etiam postea, teste Ecclesia postapostolica, magisterium vivum ut principalis fons habebatur (cf. n. 658 sqq.); sufficit in memoriam revocare verba *Papiae* (*K* 46), *Ignatii* (ad Eph. 3, 1; 4, 1; cf. *K* 20 sqq.); *Iustini* (*K* 55 sq.), qui norunt duplicem fontem veritatis christianae: traditionem vivam et Scripturam Sacram. *Irenaeus* deinde hanc duplicitatem etiam theoretice excoluit (Adv. haer. 3, 1, 2, 5; cf. 3, 1, 1: [apostoli] „quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt . . ."; *R* 208; cf. *R* 209 sqq.), quem secutus est *Tertullianus* (*R* 291 sq. 298).

859. Haec eadem est doctrina etiam *definita ab Ecclesia. Tridentinum* declaravit revelationem „contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt . . ." (*D* 783); quam definitionem *Vaticanum* suam fecit (*D* 1787).

Et his quidem probatum est non solum, *magisterium Ecclesiae* (traditionem) esse vere *fontem* revelationis eumque natura sua *principalem,* sed etiam Ecclesiam nullo modo negare simul *Sacrae*

Scripturae competere rationem fontis; quae quidem ratione originis praecellit prae magisterio ecclesiastico, non vero ratione auctoritatis, quippe quae et ipsa exponenda est a magisterio. Atque adeo verum est Ecclesiam minime defecisse in tuenda, veneranda, explicanda, fructificanda Sacra Scriptura, ut nostris diebus fere unicum munimentum sit, quo integra et salva teneatur et defendatur.

***Pars II.* Sacra Scriptura sola non sufficit.**

860. Duplex adhiberi potest consideratio ad demonstrandam insufficientiam Sacrae Scripturae, *materialis* nempe et *formalis*. Et *materialis* quidem respicit potissimum argumentum librorum sacrorum, veritates scilicet, quas continet. Quaerit enim: Numquid *omnes* veritates a Christo revelatae inveniuntur in libris sacris? Numquid hoc certo constat et quonam modo? Ipsum factum inspirationis, si afferimus, iam ostendit non omnes veritates depromi posse ex libris sacris.

Sed missa hac consideratione potius alteram excolamus, *formalem* intellege, quae considerat librum ut talem, ut documentum mortuum, inanimatum, quod seipsum explicare non valet, sed omni interpretationi patet, vel prudenti et eruditae, vel arbitrariae et perversae, atque non raro etiam serio inquirenti maxima praebet dubia, difficultates, obscuritates maximas.

Hanc rationem indicat *S. Thomas* (Contra Gent. 1, 4), egregie excolit *L. Billot*[1]. Principium fundamentale est hoc: Qui vult finem, vult consequenter media efficacia ad hunc finem. Cui subiungimus: Iamvero Christus, legatus Dei (eiusque Filius), voluit et praecepit, ut omnes homines omnium temporum suam cognoscerent servarentque doctrinam. Ergo debuit velle et adhibere media efficacia ad hunc finem obtinendum. Iamvero libri sacri per se soli non sunt media efficacia ad finem a Christo intentum obtinendum. Ergo illi nequeunt secundum voluntatem Christi esse *unicus* fons revelationis.

Haec iam ultima assertio probanda est.

Libri Sacrae Scripturae considerari possunt, vel in quantum sunt documenta scripta quae seipsa explicare non possunt, vel ut fontes qui ab auctoritate aliqua doctrinali (a magisterio) explicantur.

861. 1. Si *in se* considerantur absque explicatione aliqua authentica, neque indoles eorum sacra cognosci neque sensus eorum, quae continent, in omnibus clare determinari potest.

Nequit constare de *indole* eorum sacra; nam nec inspiratio nec canonicitas ex criteriis internis erui possunt, sed ex solo testimonio divino, seu revelatione aliqua. Ergo haec revelatio facienda est vel unicuique homini legenti Scripturam, vel alicui dumtaxat homini, cui ceteri fidem adhiberent, vel magisterio alicui a Deo instituto. Primum non obtinet, teste ipsa experientia. Secundum, si fieri possit, requireret disquisitiones, quibus plurimi homines impares sunt. Tertium ex supposito excluditur. Ergo ne fundamentum quidem ulterioris inquisitionis (in sensum revelationis) esset secure positum.

Nequit deinde constare de *sensu*, saltem in pluribus. Nam, etsi contendamus fontes sacros, ut historicos, veram praebere certitudinem quoad plurima et imprimis quoad principalia (personam dico et opus Christi), multa tamen sunt, quae *obscura* manent inquisitioni mere humanae. Quoad haec igitur consilium divinum, medium illud extraordinarium revelationis adhibens, frustraretur. Accedit, quod *plurimi homines non possunt scientifice indagare* sensum horum librorum, atque ita, ob impedimenta humana et ordinaria, finis revelationis non attingeretur. Impedimenta enumerat *S. Thomas* tria: (1) „Unum (inconveniens) est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis . . . multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum . . . quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris . . . quidam autem impediuntur pigritia. . . .“ (2) „*Secundum* inconveniens est, quod illi qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter huiusmodi veritatis profunditatem . . . tum etiam propter multa quae praeexiguntur . . . tum propter hoc, quod tempore iuventutis . . . anima . . . non est apta ad tam altae veritatis cognitionem. . . .“ (3) „*Tertium* inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admiscetur, propter debilitatem intellectus nostri in iudicando et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue, cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum. . . . Et ideo oportuit, per viam *fidei*, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi“ (Summa contra Gentiles 1, 4).

Iam age, quae hoc loco *Aquinas* exponit de necessitate morali *revelationis*, omnia et singula valent, proportione servata, etiam de *explicatione authentica libri*, qui (ex supposito) revelationem contineat. Se ipse scilicet explicare non valet; neque homines, uti de facto sunt, capaces sunt, ut omnes brevi tempore facile,

secure, nullo admixto errore revelationem in libro contentam cognoscant, percipiant, exhauriant. Quod si ita est, finis, ob quem Deus revelationem suam dedit, certo non attingeretur.

862. Et haec quidem necessitas ex ipso *historiae testimonio* quam clarissime comprobatur. Quid enim, quaeso, remanet, secluso et reiecto magisterio, de *collectione* librorum sacrorum, quam vocamus V^{us} T^{um} et N^{um} T^{um}? Documenta sunt plurimis mentis experientiaeque religiosae, haud secus diiudicanda atque scripta Gotama Buddha, Confucii, Mahometi, aliorum; immo libri V^{is} T^{i} diserte exhibentur non iam correspondere statui evoluto conscientiae religiosae, quo nostra aetas fruatur. Hinc ne ut documenta quidem religiosae vitae temporis praeteriti valorem habent talem, ut intra „canonem" retineantur[2]. Quid porro censent rationalistae de *veritatibus* hisce in libris (imprimis N^{um} T^{um} intellegitur) traditis? Omnem curam laboremque impendunt, ut analysi et criteriis internis detegant, quaenam ex veritatibus sint vere originis christianae (a Christo enuntiatae), quaenam fructus evolutionis dogmaticae primitivae. In qua disquisitione alii alias veritates retinendas censent; conveniunt autem fere in eo, ut asserant praedicationem Christi ad hoc reduci posse, ut docuerit Deum esse Patrem hominum, hominem vero amore filiali Deo debere occurrere ad exemplum Christi, qui primus hanc experientiam religiosam habuerit atque suis eandem communicaverit (cf. n. 562 sqq.). Fatendum sane erit reiecta auctoritate doctrinali non remanere nisi subiectivismum, cuius sequela nativa est dissolutio et eversio fontium sacrorum[3].

863. 2. Quibus expositis assertum quidem constare videtur Sacram Scripturam, utpote documentum mortuum et explicatione indigens, non posse unicum fontem revelationis christianae esse. Iuvat tamen inquisitionem ulterius prosequi, donec nimirum appareat, cuiusnam generis medium praeter documenta scripta requiratur.

Medium istud est *explicatio* vel humana vel divina vel humano-divina, scilicet auctoritas aliqua de se humana, quae tamen docet nomine et auctoritate divina. Explicatio *mere humana* admitti nequit propter rationes modo propositas; deest enim illa ipsa potestas et auctoritas doctrinalis, quae in re tam difficili veram certitudinem parere possit, idque eo magis, quo magis interpretes librorum sacrorum inter se discrepent.

Medium *mere divinum*, i. e. instructio singulorum hominum, quae immediate a Deo procedat, illustratione e. g. Spiritus Sancti, pugnat cum factis et experientia, quam observamus. Et alii quidem negant se talem experiri illustrationem; alii vero experientiam suam religiosam temere attribuunt influxui tali Spiritus Sancti; atque ita fit, ut eidem „Spiritui veritatis" attribuantur explicationes sibi contradicentes eiusdem veritatis in sacris libris scriptae.

Ergo non remanet nisi medium *humano-divinum*, auctoritas aliqua doctrinalis ab ipso Deo instituta et in veritate confirmata charismate infallibilitatis, quae ut talis authentice sensum Sacrae Scripturae declaret, secundum normam sibi a Deo datam, i. e. secundum doctrinam ipsi ut magisterio vivo a Christo traditam. Haec auctoritas, potestas Ecclesiae doctrinalis, omnes homines introducit in omnem veritatem, quam Christus hominibus revelavit, et quidem facile, secure, nullo admixto errore. Ipsa Ecclesia, mater et magistra, per magisterium suum vivum homines semper adiuvat, semper instruit, semper praesto est, ut dirimat quaestiones, dispergat dubia, tollat errores, spargat ubique lumen veritatis evangelicae[4]. „Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia. Spiritus autem veritas" (*Irenaeus*, Adv. haer. 3, 24, 1; *R* 226).

Scholion. De sufficientia relativa Sacrae Scripturae.

864. *Sufficientiam* itaque quandam *restrictam* vel *relativam* minime excludimus. *Ch. Pesch* triplicem talem sufficientiam statuit. „Scriptura autem, in quantum testatur *a Christo institutum esse vivum magisterium*, a quo omnem veritatem discere oporteat, recte dici potest esse sufficiens ad viam salutis nobis manifestandam." Hanc assertionem ipsi tractatus nostri historici de Ecclesia amplissime ostendunt. Porro „ipsi magisterio ecclesiastico etiam Scriptura a Deo data est, *ut ex ea discat*, quae doctos et indoctos doceat.... Scriptura sine dubio sufficiens est ad hunc finem a Deo intentum, *neque ad alios fontes scriptos*, quasi a Deo inspiratos, recurrere opus est." „Itaque Scriptura est sufficiens *ad illa dogmata demonstranda*, quae *in symbolo* continentur et quae omnibus indiscriminatim credenda proponuntur." „Porro sufficiens Scriptura est *ad componendas multas controversias* cum iis haereticis qui cum Catholicis libros sacros inspiratos agnoscunt." „Sed *non sufficit* Scriptura, ut per se ipsa ab omnibus recte exponatur. In hac igitur re rursum Scriptura pendet ab Ecclesia."[5]

865. NOTAE. — 1 *L. Billot*, De Ecclesia Christi thes. XVI (^{1}1899 II 31 sqq.): cf. *Ch. Pesch*, De inspiratione S. Scripturae (1906) n. 570 sqq. (p. 578 sqq.); *idem*, Praelect. dogm. I$^{6/7}$, n. 564 sqq. (p. 397 sqq.); *I. V. Bainvel*, De magist. vivo et traditione n. 33 sqq. (p. 42 sqq.); *H. Felder*, Apologetica II 192 sqq. — 2 Ita fere *A. v. Harnack**, qui contendit V^{us} T^{um} non iam tolerari posse in

canone sacrarum scripturarum: Marcion. Das Evangelium vom fremden Gott (Texte u. Unters. XLV [1921, ²1924]). Cf. Stimmen der Zeit CIII (1922) 28 sq. — Alii, longe ulterius progredientes, abrepti sensu quodam adverso contra „semitismum", condemnant et libros et religionem et Deum V^is T^i. Sed patet eos hac in via sistere non iam posse. Mox ipsum Christum stirpis *Ariae* fuisse volunt; deinde religionem christianam iudaismo infectam dictitant; inde conclamant ad religionem antiquam „nationalem", i. e. ad cultum deorum atque ad idololatriam esse revertendum. — **3** Cf. e. g. Stimmen der Zeit C (1921) 184 sqq.; *I. V. Bainvel* l. c. n. 17 sqq. (p. 22 sqq.). — **4** *St. v. Dunin-Borkowski,* Die Kirche als Stiftung Jesu (*Esser-Mausbach,* Religion, Christentum, Kirche III ⁵) 101 sqq. — **5** *Ch. Pesch,* De inspiratione S. Scripturae n. 577 (p. 585), n. 579 (p. 586—588), n. 580 sq. (p. 588 sq.); *I. B. Franzelin,* De div. traditione et scriptura thes. XIX (³1883) p. 227 sqq.; *Bainvel* l. c. p. 42 sqq.

Quaestio 2. De fontibus humanis.

866. Reliquum est, ut, quid valeant fontes humani, examinemus. Seclusis nimirum libris sacris atque documentis Ecclesiae doctrinalibus authenticis qua talibus, de iis solis iam scriptis agendum est, quae vel per se *non exhibent actus doctrinales Ecclesiae authenticos,* vel *supra* suum valorem authenticum particularem (quem forte ex eo habent quod fuerint actus alicuius episcopi pro sua dioecesi suos subditos docentis) alium nacta sunt *ampliorem* et *universalem,* sicut obtinet in scriptis *Patrum* qui vocantur vel *Doctorum* Ecclesiae. Quibus accensendi sunt libri et sententiae *theologorum,* qui quidem non sunt doctores authentici, attamen testes doctrinae Ecclesiae, e quibus, quidnam singulis Ecclesiae temporibus fuerit sententia communiter admissa, erui potest.

ASSERTIO 33. Singulorum Patrum et Doctorum Ecclesiae auctoritas in re theologica est quidem magni facienda, non tamen infallibilis; consensus autem Patrum in rebus fidei unanimis, certus, positivus habet vim irrefragabilem.

I. Quinam sint Patres et Doctores Ecclesiae.

867. 1. *Patres Ecclesiae* qui vocantur vi vocis habent relationem ad Ecclesiam nascentem eiusque aetatem primaevam; et re quidem vera solummodo magni sanctique doctores *priorum saeculorum* hoc nomine honorifico insigniuntur, qui scilicet tempore Ecclesiae novellae fidelibus pabulum doctrinae apostolicae et christianae praebuerunt et modo egregio depositum fidei servaverunt, tradiderunt, proposuerunt, explanaverunt.

a) Radix huius denominationis christianae invenitur in *modo loquendi Iudaeorum,* qui relationem inter magistrum et discipulum aequiparare solebant paternitati. Ita indicatur *in sermone Domini* contra scribas et pharisaeos: „Vos autem nolite vocari Rabbi. . . .

Et *patrem* nolite vocare vobis super terram. . . . Nec vocemini magistri . . ." (Matth. 23, 8—10), scilicet vanae gloriae gratia. Relationem similem paternitati videtur *Paulus* supponere, si admonet Galatas: „Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis" (6, 6). Idem apostolus se vocat *patrem* ecclesiae corinthiacae, quam ipse fundaverat: „Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos *patres.* Nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui" (1 Cor. 4, 15). Atque haec paternitas spiritualis complectitur certe omne id, quo Paulus Corinthiis factus est „minister Christi" et „dispensator mysteriorum Dei" (4, 1); attamen speciali quadam ratione doctrinam („evangelium"), quam ipsis ut „lac" in potum dedit (3, 2), non „sapientiam huius mundi", neque propriam sapientiam; „nam placuit Deo, per stultitiam praedicationis salvos facere credentes" (1, 21). „Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam. Ipsis autem vocatis, Iudaeis atque Graecis, Christum: Dei virtutem et Dei sapientiam" (1, 23 sq.). Haec igitur sapientia crucis est evangelium Christi: praeconem Christi eiusque dumtaxat apostolum Paulus se esse profitetur, sicut omnes apostolos Christi. Ita *apostoli* facti sunt *patres Ecclesiae* modo eminentissimo; hac de causa doctrina Christi facta et nominata est apostolica (*Ass. 24,* n. 650 sqq.; *Ass. 30,* n. 805 sqq.); ita verificatur verbum Christi de fundamento Petro (Matth. 16, 18; cf. n. 367 sq.) et Pauli de christianis „superaedificatis super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu" (Eph. 2, 20; cf. n. 406 sqq.).

868. b) Iamvero successores apostolorum in munere docendi sunt *episcopi* (*Ass. 19,* n. 458 sqq.; *Ass. 26,* n. 714 sqq.); ergo iidem sunt patres suarum ecclesiarum. Titulus iste quidem non videtur in usu communi fuisse primis Ecclesiae temporibus, cum magistri prae ceteris praecellentes potius *seniores* (presbyteri) vocarentur (cf. n. 423); at ipsum hoc nomen affinitatem quandam habet ad vocem patris. Atque inde fere a medio saeculo II etiam haec denominatio patris occurrit, ut in *Martyrio Polycarpi,* episcopi Smyrnaei, cui confitenti fidem plebs in theatro congregata una voce exclamavit: „Hic est Asiae praeceptor, *pater* christianorum, deorum nostrorum eversor . . ." (12, 2). Clarius relationem ad exercitium doctrinale exhibet *Irenaeus* loquens de filiatione hominum divina: „Qui enim ab aliquo edoctus est verbo, *filius* docentis dicitur, et ille eius *pater*" (Adv. haer. 4, 41, 2). Atque exinde usus apparet fixus apud *Clementem Alexandrinum:* „*Patres* eos dicimus, qui nos catechesi instituerunt" (Strom. 1, 1; *MSG* VIII,

688), *Alexandrum Hierosolymitanum* scribentem Origeni: „Ut *patres* agnoscimus beatos illos (Pantaenum et Clementem), qui nos praecesserunt" (apud *Eusebium,* Hist. eccl. 6, 14, 9).

Hac igitur via paulatim praeparabatur usus vocis *technicus,* quem tempore posteriore observamus.

869. c) Inde a saeculo IV *Patres* intelleguntur testes depositi fidei et doctrinae Ecclesiae, quorum opera, utpote orthodoxa et catholica, certum argumentum redderent verae fidei. Plurimi eorum si fuerint *episcopi,* tamen non omnes episcopi Patres vocantur; atque ipsa natura rerum eo deventum est ut praeter episcopos (magistros authenticos) alii quoque, doctrina sua praestantes, inter Patres Ecclesiae numerarentur; ita Augustinus *Hieronymum* hoc nomine ornavit (Contra Iulianum 2, 10, 33; *R* 1899; cf. 1898), scriptorem ecclesiasticum ob eruditionem sane singularem et influxum fere universalem merito magnis illis episcopis aequiparandum. Simul autem distinctio invaluit inter *Patrem Ecclesiae* et *scriptorem ecclesiasticum* [1].

Vincentius Lirinensis in opere suo *Commonitorium* hanc differentiam explicat. Et capite quidem 10 (15) asserit, interdum „quosdam ecclesiarum magistros nova quaedam dogmata (i. e. errores) praedicare"; atque eos, quos doctores et assertores veritatis omnes putant, magnam tentationem constituere fidelibus. Quam ideam prosequitur *Vincentius* capite 17 (23), loquens de *Origene,* qui omnibus dotibus insignitus fuerat, quibus magister enitere potest: auctoritate vitae, eruditione, ingenio, industria, eloquentia, professione fidei, ingenti voluminum numero et discipulorum. „Quamobrem hic Origenes, tantus ac talis, dum gratia Dei insolentius abutitur, dum ingenio suo nimium indulget, sibique satis credit, cum parvi pendet antiquam christianae religionis simplicitatem, dum se plus cunctis sapere praesumit, dum ecclesiasticas traditiones et veterum magisteria contemnens quaedam scripturarum capitula novo more interpretatur, meruit, ut de se quoque Ecclesiae Dei diceretur: . . . ,non audies verba prophetae illius' . . ." Idem de *Tertulliano* dicendum est, „cuius quot paene verba tot sententiae sunt, quot sensus tot victoriae"; sed „disertior multo quam felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit: ,Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.' Et fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio" (18 al. 24). Inde deducit capite 28 (39): „Sed eorum duntaxat *patrum* sententiae conferendae sunt, qui in fide et communione catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifeste, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratoque habeatur. Quidquid vero quamvis ille sanctus et doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor et martyr, praeter omnes aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas a communis et publicae ac generalis sententiae auctoritate secretum sit." Priores solummodo, qui scilicet et quatenus „in unius tamen Ecclesiae catholicae communione et fide" permanserunt, sunt *„magistri probabiles"* (3; *K* 818); qui si quid „omnes pariter, uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse" inveniuntur, „id sibi quoque intellegat (fidelis) absque ulla dubitatione credendum". Quibus verbis idem fere edicitur ac in hac nostra assertione continetur.

870. d) Verbis citatis Lirinensis duae *notae* iam exhibentur, quae, ut aliquis scriptor *Pater Ecclesiae* vocari possit, nunc requiri solent: *doctrina orthodoxa* et *sanctitas vitae;* immo etiam tertia ista maximi momenti sat clare indicatur: *approbatio ecclesiastica,* qua scilicet magister ut „probabilis" agnoscitur; alii nimirum, quibus haec approbatio deest, quia deficit aut doctrinae integritas aut vitae sanctitas, termino technico *„scriptores ecclesiastici"* nominantur. Quibus notis ut quarta accedit (aetas seu) *antiquitas,* qua hi doctores vixerunt, tempore Ecclesiae nascentis. Singulae notae paucis perstringantur.

Doctrina orthodoxa est praerequisita; nam ob ipsam solam potest quis in Ecclesia auctoritate magisteriali gaudere tali, qualem attribuimus Patribus Ecclesiae. Haec autem doctrinae integritas constare non potest nisi testimonio Ecclesiae eiusque magisterii; hinc requiritur secunda nota: *approbatio* scilicet *Ecclesiae.* Quae fieri potest modo vario: vel *generaliore,* eo quod Ecclesia dictis vel libris alicuius scriptoris utitur in conciliis atque in instrumentis doctrinalibus, vel *specialiore* modo, si scilicet scripta diserte laudantur, commendantur, exhibentur ut documenta rectae fidei. Ita *Augustinus,* doctor gratiae, speciali approbatione dignus habitus est: „Augustinum, sanctae recordationis virum, pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec umquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adspersit; quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur", scribit *Coelestinus I* (anno 431; *D* 128). *Hormisdas* vero anno 520 de eodem Augustino haec habet: „De arbitrio tamen libero et gratia Dei quid Romana, hoc est catholica, sequatur et servet Ecclesia, licet et variis libris beati Augustini et maxime ad Hilarium et Prosperum, abunde possit agnosci, tamen et in scriniis ecclesiasticis expressa capitula continentur, quae si ibi desunt et necessaria creditis, destinamus, quamquam qui diligenter apostoli dicta considerat, quid sequi debeat, evidenter agnoscat" (*D* 3027). Quibus verbis

ratio auctoritatis Augustini atque eiusdem relatio ad magisterium Ecclesiae clare effertur.

871. Quaeri iam possit, curnam *sanctitas vitae* requiratur a Patribus Ecclesiae. Ratio non est solummodo decentia quaedam, qua decet magistros approbatos Ecclesiae etiam sanctitate praefulgere, sed interna conexio inter doctrinam et sanctitatem christianam, inter munus sanctificatorium Ecclesiae principale et ei subordinatum munus doctrinale. Utrumque munus institutum est a Christo, fonte omnis gratiae et veritatis; utrumque exercetur in corpore Christi mystico et ab eiusdem corporis organis. Et licet organa haec, ut munere suo valide fungantur, non necessario ipsa participent vitam supernaturalem organismi, tamen plene perfundi lumine supernaturali atque ungi Spiritus Sancti unctione, penetrare profunda doctrinae christianae non valebunt, nisi quam intime fuerint coniuncta cum Christo capite, cum Spiritu Sancto, anima Ecclesiae, i. e. nisi fuerint in statu gratiae et praedita donis supernaturalibus. Et quo uberiores gratiae sanctitatis, quo artior nexus animae cum Deo, eo amplius lumen intellectus, eo largiores cognitiones veritatis divinae a Christo hominibus traditae. Hinc illa in historia Ecclesiae miranda harmonia inter sanctitatem vitae et profunditatem doctrinae maximi cuiusque magistri Ecclesiae. Cogita Augustinum, Thomam, Scotum, Bellarminum, totque alios, quos Ecclesia veneratur ut doctores simul atque simul ut exempla vitae sanctae. „Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt ... idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus" (1 Cor 12, 4—6), sanctitatem et intimam revelationis christianae cognitionem et intellegentiam et sapientiam [2].

Quarta nota, *antiquitatis* dico, sane aliquid relativi habet. Convenit illos solos scriptores sanctos et eximios vocare *Patres* Ecclesiae, qui prioribus saeculis floruerunt; at illa *priora saecula* aliter atque aliter computari possunt. Nunc iam ultimus Pater occidentalis habetur *Gregorius Magnus* (mortuus anno 604), et orientalis *Ioannes Damascenus* (mortuus circa medium saec. VIII). „Isti" (ait Augustinus) „episcopi sunt, docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores adversus garrulas vanitates.... Talibus post apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit" (Contra Iul. 2, 10, 37; *R* 1900).

872. 2. Et haec quidem de Patribus Ecclesiae; iam de *Doctoribus* qui vocantur Ecclesiae pauca addenda sunt. In plurimis quidem cum Patribus conveniunt et maxime in auctoritate doctrinali,

quae tamen sub duplici ratione *differt*, scilicet negative eo quod Doctor Ecclesiae non debeat esse magister primaevae Ecclesiae; positive eo quod maior in genere requiratur eruditio in Doctore quam in Patre Ecclesiae. Ceterae notae sunt eaedem. Sicuti enim Pater, ita etiam Doctor Ecclesiae ut talis habet auctoritatem in universa Ecclesia, propter egregiam doctrinae christianae cognitionem et vitae sanctitatem, agnitam per iudicium Ecclesiae, quae singulis titulum *Doctoris* confert.

a) Initio quidem hoc nomen more potius quam lege aliquibus ex Patribus reservabatur, qui ad instar gigantum prominent ex ceteris; qui mos saltem inde a saeculo VIII observari potest. Anno 1295 Bonifacius VIII *SS. Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Gregorium Magnum* hoc nomine insignivit, quos secutus est *Thomas Aquinas*, anno demum 1567. Quattuor istis Patribus-Doctoribus latinis, quibus hic honor contributus est, correspondent in Ecclesia graeca tres Patres, quos vocabant „oecumenicos magnos doctores": *Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus,* qui simul cum *Athanasio* anno 1568 a Pio V Doctoribus adscripti sunt. Quos secutus est *Bonaventura* (anno 1588), *Anselmus* (1720), *Isidorus Hispalensis* (1722), *Petrus Chrysologus* (1729), *Leo Magnus* (1754), *Petrus Damiani* (1828), *Bernardus* (1830), *Hilarius Pictaviensis* (1851), *Alphonsus de Liguori* (1871), *Franciscus Salesius* (1877), *Cyrillus Alexandrinus* et *Hierosolymitanus* (1882), *Ioannes Damascenus* (1890), *Beda Venerabilis* (1899), *Ephrem Syrus* (1920), *Petrus Canisius* (21 Maii 1925) [3].

b) Doctor Ecclesiae magis etiam quam Pater Ecclesiae praeter testem etiam doctorem agere debet, cuius scilicet opera propagant doctrinam christianam, eam vel theoretice dilucidant vel practice applicant, qui quaestiones difficiles solvit vel solutionis viam indicat, necessitatibus sui temporis egregio modo occurrit. Inde requiritur *eruditionis eximiae* nota, qua scilicet talis Doctor noscat depositum fidei, doctrinam Ecclesiae, scripta Patrum et praecessorum theologorum, statum singularum quaestionum atque scientiae theologicae sui aevi. Cui scientiae et eruditioni si accedat *sanctitas* vitae ab Ecclesia sollemni iudicio *agnita, doctrina* ab eadem *approbata*, denique ipsius *nominis Doctoris diserta impositio*, habentur quattuor notae Doctoris, quae correspondent notis Patris Ecclesiae: doctrina orthodoxa, eminens eruditio, sanctitas vitae, approbatio Ecclesiae.

II. De auctoritate doctrinali Patrum et Doctorum Ecclesiae.

Quibus praemissis iam facile ostenditur, unde et qualis sit auctoritas Patrum et Doctorum Ecclesiae. Qua in re distingui

oportet auctoritas singulorum Patrum vel Doctorum et eorum (partialis vel plenus) consensus.

1. De auctoritate singulorum Patrum et Doctorum Ecclesiae.

873. Ex iis quae dicta sunt apparet hac in assertione Patres et Doctores considerari, qui et quatenus sunt *in coniunctione cum magisterio Ecclesiae*, i. e. quatenus (1) ipsi agere volebant testes vel interpretes vel magistros fidelium in rebus fidei, et (2) ut tales ab Ecclesia agniti sunt. Omnia ergo, quae ii qui Patres vel Doctores vocantur, de aliis quaestionibus (scientificis) senserint et scripserint, vel non ut magistri protulerint, vel ut dubia, incerta, sensa propria proposuerint, versantur extra orbitam huius inquisitionis. Qua de re Leo XIII in Encyclica „*Providentissimus Deus*" (18 Nov. 1893), loquens de studiis Sacrae Scripturae, haec dicit: „. . . non ex eo omnes aeque sententiae tuendae sunt, quas singuli Patres aut qui deinceps interpretes in eadem declaranda ediderint: qui prout erant opiniones aetatis, in locis edisserendis, ubi physica aguntur, fortasse non ita semper iudicaverunt ex veritate, ut quaedam posuerint quae nunc minus probentur . . . namque ‚in his quae de necessitate fidei non sunt, licuit Sanctis diversimode opinari, sicut et nobis', ut est *S. Thomae* sententia" (*D* 1948). In his quaestionibus „Sanctorum auctoritas, (ut ait *Canus*) . . . tantum pollet, quantum ratio naturae consentanea persuaserit" (De locis theologicis 7, 3). Ita de auctoritate doctoris *privati;* aliter autem loquendum est de auctoritate *singulorum* Patrum vel Doctorum Ecclesiae ut talium.

874. Certe valet: *singuli* Patres vel Doctores ut tales *non sunt infallibiles.* Ratio est, quia charismate infallibilitatis solus Romanus Pontifex insignitus est. Ex altera parte singulis etiam Patribus sua competit *auctoritas.* Rationes sunt et *internae* — *Franzelin* enumerat has: plerorumque munus pastorum, singulare fidei unitatis veritatisque studium, scientiam et eruditionem in doctrina et disciplina christiana, sanctitatem eximiam, qua doctrinam christianam vita ipsa expresserunt, vetustatem qua (Patres) ad initia rei christianae propius accedunt[4] — et praesertim *externae:* approbatio Ecclesiae atque veneratio, qua in Ecclesia habentur. Quo magis diserta, atque etiam in asserendis et docendis certis fidei capitibus (cogita Augustinum quoad doctrinam de gratia) explicita approbatio Ecclesiae, eo maior auctoritas doctrinalis etiam singulorum Patrum et Doctorum. Quae aliquando aequivalere potest consensui Patrum et hinc maxima summaque evadere.

2. De auctoritate consensus Patrum et Doctorum Ecclesiae.

Consensus varius esse potest: omnium et non-omnium.

a) De consensu omnium saltem moraliter unanimi.

875. *In genere* valet: Si omnes Patres (Doctores) aliquam doctrinam ut ad fidem pertinentem certo proponunt, haec doctrina certe pertinet ad depositum fidei, ita quidem ut ex tali consensu argumentum deduci possit infallibile. Quaeritur iam, *quando* consensus talis habeatur.

Ut principium fundamentale statui potest hoc: Auctoritas Patrum (Doctorum) tota quanta dependet a coniunctione cum magisterio Ecclesiae. Quo artior hic nexus, quo magis ipsi Patres et Doctores quasi *organum* fuerint, per quod ipsum magisterium locutum est (e. g. *Athanasius* in refutando errore ariano, *Cyrillus Alexandrinus* in causa Nestorii, *Augustinus* in controversia cum Pelagio), tanto maior eorum auctoritas. Cui auctoritati, qua gaudebant hi magistri tempore vitae, accedit *approbatio* per idem magisterium ecclesiasticum facta, magis minusve explicita et universalis. Quod de singulis Patribus (et Doctoribus) valet, a fortiori de eorum consensu unanimi dicendum est; nam in eorum dictis re vera doctrina Ecclesiae continetur, et quidem Ecclesiae universalis ipsiusque magisterii. Iamvero haec magisterii vox eadem qua ipsum magisterium pollet infallibilitate, ac proinde talis consensus unanimis ipse debet esse testimonium irrefragabile veritatis.

Sed iam quaeritur, *quandonam talis habeatur consensus.* Loquimur de consensu *universali,* i. e. secundum modo dicta de voce Ecclesiae universalis. Testimonium igitur unius alteriusve ecclesiae particularis vel unius dumtaxat aetatis per se non sufficit, nisi constet illud testimonium aequivalere consensui Ecclesiae universalis, velut *Athanasii* et aliorum in iis quaestionibus, in quibus fere duces exstiterunt totius Ecclesiae. In hoc enim casu in eorum sententia totius Ecclesiae persuasio atque confessio exprimitur, quae salva infallibilitate errori obnoxia esse nequit; nam quod umquam fuerit in professione Ecclesiae tamquam ad depositum fidei pertinens, nequit esse falsum. Universalitatem autem consensus intellegimus *moralem,* cui quandam latitudinem accensemus; scilicet merum silentium paucorum Patrum aliorum, imprimis si hi non fuerint maioris notae, consensum non infringit. Quodsi plures Patres eminentiores, qui debuerunt de hac doctrina fidei loqui, eam non tangunt, magis etiam, si aliqui vel etiam unus, qui fuerit tamen magnae auctoritatis, non clare loquuntur tamquam de re fidei vel obloquuntur, consensus ad argumentum peremptorium requisitus aegre vel nullo modo deduci potest.

Neque quaelibet *forma* consensus sufficit huic argumento. Iudicium Patrum debet esse *positivum* — merum silentium non aequipollet affirmationi —; *certum,* quo scilicet constet auctores minime dubitare de sui asserti veritate; *de rebus fidei,* i. e. doctrina clare debet proponi ut ad depositum fidei pertinens.

b) De consensu aliquorum vel plurium Patrum (et Doctorum).

876. Quibus expositis negative iam patet, quid dicendum sit de consensu Patrum non-universali. Est quidem possibile, ut consensu non-universali exprimatur persuasio totius Ecclesiae; quo in casu tale testimonium potest esse — servatis servandis — infallibile argumentum. In aliis casibus argumentum, ex dictis Patrum petitum, vel est certum, vel probabile, vel nullum. Singulos casus enumerare longum est. Pro obiecto consensus, pro firmitate assensus, pro numero adserentium, tacentium, contradicentium Patrum varius est gradus certitudinis et probabilitatis alicuius doctrinae quae apud Patres invenitur, vel etiam contrariae, quando scilicet pauci Patres aliam protulerint ac reliqui, qui cum magisterio consenserunt. Exemplo sit *chiliasmus* [5]. Regulas practicas videsis apud *Pesch, Franzelin, Bainvel,* alios [6].

877. Restat ut paucis saltem exemplis videamus, quanam veneratione *Ecclesia* habeat suos Patres et magnos Doctores; quae desumimus ex tempore recentiore. Est sane eadem persuasio, quam iam egregie sicut *Vincentius Lirinensis* (cf. n. 869) ita *Augustinus* efformavit, convincens Iulianum undique erroris: „Luce clariora sunt testimonia tanta sanctorum . . . quorum te movere, ait Iuliano) debeat tanta consensio. . . . In Ecclesia catholica doctrinae sanae studiis claruerunt; spiritualibus armis muniti et accincti strenua contra haereticos bella gesserunt; perfuncti fideliter suae dispensationis laboribus in pacis gremio dormierunt. . . . Ecce quo te introduxi; conventus sanctorum non est multitudo popularis; non solum filii, sed et *patres* Ecclesiae sunt" (Contra Iul. 1, 7, 30 sq.; *R* 1898). Ita *Pius IX* conqueritur, guentherianis in libris „nec ea sanctos Patres reverentia haberi, quam conciliorum canones praescribunt quamque splendidissima Ecclesiae lumina omnino promerentur . . ." (*D* 1657), atque docet, „quantopere referendum venerandae SS. Patrum auctoritati et quo studio cavendum, ne profanae novitatis amore, tuta illorum vestigia deserantur et gravissimi diffundantur errores". Ipsum *Concilium Vaticanum* edicit: „nemini licere contra . . . unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari" (*D* 1788). Quae verba *Leo XIII* transsumpsit in Encyclicam *„Providentissimus Deus"* (anni 1893) atque explicavit: „Iamvero sanctorum Patrum . . . summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam, uno eodemque modo explicant omnes . . ." (*D* 1944); singulorum autem Patrum minorem esse auctoritatem (cf. supra n. 873).

878. *Pius X* deinde in Encyclica *„Pascendi"* (anni 1907) haec scribit: „Tria sunt potissimum, quae suis illi (modernistae) conatibus adversari sentiunt: scholastica philosophandi methodus, *Patrum* auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum. Contra haec acerrima illorum pugna. Idcirco philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper; nullumque est indicium manifestius, quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam quum incipit scholasticam horrere methodum. . . . Traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius momentum ac pondus elidant. . . . Nec secus quam de traditione iudicant modernistae de sanctissimis Ecclesiae *Patribus.* Eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, ast in re critica et historica ignorantiae summae, quae, nisi ab aetate qua vixerunt, excusationem non habeat" (ed. *Herder* 90 sq.). Hinc in *Iureiurando contra errores modernismi* haec verba inserta sunt: „Quarto: fidei doctrinam ab apostolis per orthodoxos *Patres* eodem sensu eademque sententia semper ad nos usque transmissam, sincere recipio; . . . Proinde fidem *Patrum* firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate veritatis certo, quod est, fuit eritque semper in episcopatus ab Apostolis successione; non ut id teneatur, quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut numquam aliter credatur, numquam aliter intellegatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per apostolos praedicata" (*D* 2145 2147).

Neque aliter *Benedictus XV* docet, e. g. in Encyclica *„Spiritus Paraclitus"* (15 Sept. 1920), qua celebrat *Hieronymum,* „Doctorem Maximum sacris Scripturis explanandis", atque quae a decessoribus suis Leone et Pio praescripta erant, apostolica auctoritate confirmat et ad haec Ecclesiae tempora pressius aptat (*AAS* XII [1920] 385 sqq.). Ex qua haec sola excerpta sunto: „Praeterea, quemadmodum Dei gratiae, sic *maiorum* auctoritati se permittit (s. Doctor), ut affirmare queat se ‚quod didicerat, non a se ipso, i. e. a praesumptionis pessimo praeceptore, sed ab illustribus *Ecclesiae viris*' didicisse . . ." (l. c. 402). „Iam videtis (ita *Benedictus XV*), Venerabiles Fratres, quanto opere sit vobis

adnitendum, ut quam *Patres* diligentissime defugerint insanam opinandi libertatem, eamdem Ecclesiae filii non minus diligenter devitent" (l. c. 398).

879. In qua encyclica *Pater Ecclesiae* atque eius *Doctor* simul egregius Hieronymus laudatur. Et feliciter sane, dirigente sic providentia divina, accidit, ut idem *Benedictus XV* eodem anno *Ephrem Syrum* Doctorem Ecclesiae renuntiarit sicque ostenderit, quanta reverentia Ecclesia suos magnos magistros prosequatur. „Deus igitur, qui ‚exaltat humiles', beatum Ephrem summa afficit gloria, eumque huic aetati caelestis sapientiae *doctorem* et lectissimarum virtutum exemplum proponit" (*AAS* XII [1920] 465). „Itaque, Spiritu Paraclito invocato, suprema Nostra auctoritate, sancto Ephrem Syro, Diacono Edesseno, titulum cum honoribus *Doctoris Ecclesiae Universalis* conferimus ratumque habemus, decernentes, eius festum diem, qui est duodevicesimus mensis Iunii, celebrandum ubique esse eadem ratione, qua dies natalis agitur ceterorum Ecclesiae Universalis Doctorum" (l. c. 470).

Plura autem de aestimatione, qua in Ecclesia *Doctores* habentur, videamus, si placet, breviter recolentes laudes et honores, quibus ille cumulatus est, quem ipsa Ecclesia vocat *Doctorem communem,* utpote omnium Doctorum forte praecellentem doctrinae suae usu et acceptatione communi, *S. Thomam* dico *Aquinatem.* Sed antequam ad haec testimonia honorificentissima accedamus, quid valeat *theologorum* auctoritas statuamus, quibus Thomas, licet ex iis miro quodam modo emineat, merito tamen accensendus est tamquam eorum decus et honor.

Scholion 1. De auctoritate theologorum.

880. *Theologi*, de quibus quaeritur, intelleguntur magnae illae scholae philosophico-theologicae, quae florebant potissimum aetate media atque ineunte aetate recentiore, sub auspiciis et vigilantia Ecclesiae.

Combinatione scilicet quadam, inita inter revelationem christianam et philosophiae elementa vera, illa quae dicitur *„schola"* seu *scholastica philosophia et theologia* exculta est [7], inde fere a saeculo XI, duce quidem *Anselmo.* De quo Doctore Ecclesiae, occasione centenarii octavi mortis eius sanctae, haec scripsit *Pius X:* „. . . divinitus excitatus videtur, ut exemplo, voce, scriptis, tutum iter ostenderet . . . duxque esset ac norma doctoribus, qui post ipsum sacras litteras scholastica methodo tradiderunt, quorum ipse praecursor merito est nuncupatus et habitus" (*AAS* I [1909] 377 sq.), licet perfectionem scientificam Doctoris *Angelici,* Thomae Aquinatis, et *Seraphici* [8], Bonaventurae, non attigerit. Sanctus *Thomas* certe est princeps scholasticorum mediae aetatis, atque influxu, quem exercuit in fundanda schola iuniore scholastica, tempore scilicet restaurationis catholicae saeculo XV et XVI, in renovanda scientia theologica, neoscholastica quae vocatur, saeculo XIX, vere *Doctor communis* evasit. Neque vero inde talis orta est uniformitas doctrinae, ut in sententiis liberis et controversis non *plures* exstiterint et exsistant *scholae theologicae* eaeque vigentes atque ipsa diversitate thesium scientiam theologicam promoventes et fecundantes. Quae omnes, quia et quatenus sub directione et vigilantia Ecclesiae consonanter docent, intime cum ipsius magisterio coniunguntur et hinc certe testimonium reddunt doctrinae Ecclesiae; nam, quaero: ubi licebit invenire hanc doctrinam nisi in istis scholis, ex quibus omnes denique magistri ecclesiastici, ipsique episcopi atque membra Congregationum Romanarum, atque ipsi Romani Pontifices prodierunt?

881. Hinc iure quaerimus de *auctoritate* talis testimonii. Ultro quidem fatemur theologis auctoritatem *propriam,* qualis competit magistris *authenticis* ecclesiasticis (episcopis), adscribi *non* posse. Deest enim munus proprie dictum, divinitus institutum, ipsis collatum, cum quo haec auctoritas coniuncta sit. Ex altera tamen parte plurimi ex iis ingenio, eruditione, spiritu ecclesiastico, sanctitate vitae vere eminent, ita ut aliqui Doctores Ecclesiae renuntiati sint vel renuntiari possint. Maior autem et efficacior ratio, curnam sententiis theologorum pondus sat magnum attribui debeat, est ipsorum *cum magisterio conexio. Scholae* etenim theologicae, de quibus loquimur, erant non solum ab Ecclesia *fundatae* — universitates mediae aetatis omnes erant pontificiae institutionis vel approbationis —, sed etiam ab eadem *directae.* Ecclesia magistros *vocavit* iisque veniam *missionemque legendi* tradidit atque magistros *publicos* eos constituit. Tota institutio philosophica et theologica, utpote destinata imprimis ministris Ecclesiae, sub oculis Ecclesiae tradebatur, quae magistris theologicis utebatur in omnibus *quaestionibus scientificis* discernendis, sive *ordinariis* sive *extraordinariis.* Et ordinarie quidem theologi constituunt consilia episcoporum et ipsius Romani Pontificis; extraordinarie autem iidem adsciscuntur ut auxiliares in praeparandis decretis conciliorum etiam oecumenicorum. Qui igitur fieri poterit, ut Ecclesiae magisterium non plene cognoscat atque agnoscendo respective approbet sententias theologorum? Recte proinde procedimus, si apud theologos quaerimus, quidnam ipsa Ecclesia sentiat.

At alia est quaestio, quinam consensus requiratur, ut argumentum *certum* ex eo peti possit. Dicimus requiri consensum *universalem* — *certum* et *positivum* — *constantem* — *de rebus fidei ut talibus*. Duplici autem ratione argumentum ex consensu theologorum superatur ab argumento ex consensu Patrum petito; nam *non* est *infallibile*, sed certum dumtaxat; deinde vero requiritur consensus *constans*, per plura ut quidam dicunt saecula, ut tale argumentum certum habeatur. Consensus vero Patrum etiam unius aetatis potest esse peremptorius. Ceterum valet in argumento theologico simile quid ac in argumento patristico: in singulis casibus videndum erit, quid a quo qua certitudine affirmetur.

Testimonia Ecclesiae afferre haud necessarium esse ducimus, cum laudes, quibus Ecclesia commendat *Doctorem Angelicum*, redundent in ipsam scholam. Interim vero conferantur verba quae supra, agentes de auctoritate Patrum, ex Encyclica *„Pascendi"* attulimus, sane gravissima: despectum methodi scholasticae esse signum infectionis cuiusdam modernisticae (cf. n. 878)[9].

Scholion 2. De auctoritate S. Thomae Aquinatis.

In hac inquisitione ita, si libet, procedamus, ut (1) videamus, quodnam sit de huius Doctoris auctoritate testimonium Ecclesiae, et (2) paucis explicemus hoc Ecclesiae testimonium.

882. 1. *Testimonium Ecclesiae.* — Et merito quidem initium sumimus ab illa encyclica, quae complectitur laudes antea Aquinati tributas easque confirmans et complens ansa fuit studii renovati operum Doctoris Angelici, Encyclicam dico *Leonis XIII „Aeterni Patris"* de die 4 Augusti 1879. Haec Thomam praedicat tamquam „principem et magistrum" omnium scholasticorum doctorum (ed. *Herder* 33), et quidem in disciplinis philosophicis necnon in theologicis. „Illorum doctrinas (ait *Leo*) velut dispersa cuiusdam corporis membra in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit ut catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit et doctrinae splendore complevit" (l. c.). Enumerat deinde Romanus Pontifex multiplicem approbationem Aquinati tributam, cum ab ordinum fundatoribus et scholis celeberrimis, tum ab ipsis Romanis Pontificibus, e quibus *S. Pius V*, qui eidem honores Doctoris Ecclesiae decrevit, fatetur Thomae doctrina „haereses confusas et convictas dissipari, orbemque universum a pestiferis quotidie liberari erroribus . . . (alii) ipsumque (Thomam)

eodem honore colendum esse affirmant, qui summis Ecclesiae doctoribus, Gregorio, Ambrosio, Augustino et Hieronymo defertur" (l. c. 37)[10].

Quibus verbis *triplex* illa *approbatio* indicatur, quae Aquinati convenit, scilicet (a) negativa alia, quae *ex canonizatione* sequitur, qua Thomas anno 1323 a Ioanne XXII inter Sanctos relatus est, „doctrinae diligenti excussione et examinatione praehabita super vita ipsius et doctrina", teste Stephano, episcopo parisiensi[11]; (b) accedit alia eaque diserta, quae continetur titulo et honore *Doctoris Ecclesiae*, quo eum insignivit Pius V anno 1567. Ita enim toti Ecclesiae ut magister, et quidem eruditionis eximiae et doctrinae securae vereque ecclesiasticae proponitur; (c) quae egregie confirmatur atque maximopere augetur tot Romanorum Pontificum[12] atque conciliorum[13] testimoniis, quibus certe approbatio specialis atque adeo specialissima exprimitur.

883. *Pius X* eodem sensu pietatis et venerationis magnum Doctorem prosecutus est. Inter remedia contra errorum et „omnium haereseon conlectum" (Encycl. *„Pascendi"*, ed. *Herder* 82; *D* 2105), modernismum intellege, primo loco ponit studium philosophiae scholasticae ut sacrorum studiorum fundamenti. „Quod rei caput est, philosophiam scholasticam, quum sequendam praescribimus, eam praecipue intellegimus, quae a sancto *Thoma Aquinate* est tradita: de qua, quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus" (l. c. 98 sq.). Item Motu proprio *„Sacrorum antistitum"* (de die 1 Sept. 1910; *AAS* II [1910] 656 sqq.) et *„Doctoris Angelici"* (de die 29 Iunii 1914; *AAS* VI [1914] 336 sqq.) studium operum Aquinatis commendavit.

Benedictus XV vero non solum edidit *Codicem Iuris Canonici*, a Pio X praeparatum, qui canone 1366, 2 (cf. 589, 1) haec habet: „Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad *Angelici Doctoris* rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant", sed etiam mentem suam aperuit in epistulis, quas direxit ad *A. Baudrillart* (*AAS* VIII [1916] 412 sqq.) et *P. Hugon* O. P. (ibid. 174) et ad *P. Ledóchowski*, Praepositum Societatis Iesu die 19 Martii 1917 (Zeitschr. für kath. Theol. XLII [1918] 205 sq.), de qua ultima infra plura. Benedictus XV porro confirmavit Decretum Pii X, quo Summa theologica S. Thomae declaratur *liber textus*[14], quem in praelectionibus sequantur scholae theologicae Italiae et insularum adiacentium (*„Sacrae theologiae"* de die 3 Decembris 1914; *AAS* VI [1914] 689 sqq.). Ab eodem denique *24 theses*, quae continent

sancti Doctoris principia et pronuntiata maiora, a Congregatione Studiorum statuta sub Pio X (*AAS* l. c. 383 sqq.), authenticam interpretationem nactae sunt tamquam normae tutae directivae (ibid. VIII [1916] 156 sq.)[15].

884. *Pius XI* denique in encyclica sua, die 29 Iunii 1923, saeculo VI exeunte a sanctorum caelitum honoribus *Thomae Aquinati* decretis, eundem praedicat „studiorum ducem" (*AAS* XV [1923] 309 sqq.). Qua occasione visum est Summo Pontifici „de Thomae Aquinatis et sanctitate et doctrina breviter in his Litteris disserere, tum demonstrare quae inde fluant sacro ordini maximeque sacrorum alumnis, denique christiani nominis universitati opportuna documenta" (ibid. 310). „Leviter adumbratis magnis Thomae virtutibus" (ibid. 313), ostendit praestantiam doctrinae, quam uno ore omnes laudaverint decessores. „Nos vero haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus, ut non modo Angelicum, sed etiam *Communem* seu universalem Ecclesiae Doctorem appellandum putemus Thomam, cuius doctrinam . . . suam Ecclesia fecerit" (ibid. 314). „Nos autem, quae et decessores Nostri in primisque Leo XIII et Pius X decreverunt et Nosmet ipsi anno superiore mandavimus, ea omnia volumus sedulo attendant inviolateque servent quicumque in clericorum scholis maiorum disciplinarum magisteria obtinent . . . scripta eius diu multumque volutando . . . amoris huius flagrantiam cum alumnis disciplinae suae ipsum Doctorem interpretando communicent, idoneosque eos reddant ad simile studium in aliis excitandum" (ibid. 323). Neque vero inde omnes *alii magistri* et *Doctores* Ecclesiae gradu suo destituuntur; pergit enim Pius XI: „Scilicet inter amatores sancti Thomae, quales omnes decet esse Ecclesiae filios qui in studiis optimis versantur, honestam illam quidem cupimus *iusta in libertate aemulationem* unde *studia progrediuntur,* intercedere, at *obtrectationem nullam,* quae nec veritati suffragatur et unice ad dissolvenda valet vincula caritatis. Sanctum igitur unicuique eorum esto quod in *Codice iuris canonici* praecipitur . . . atque ad hanc normam ita se omnes gerant, ut eum ipsi suum vere possint appellare magistrum. *At ne quid eo amplius alii ab aliis exigant,* quam quod *ab omnibus exigit* omnium magistra et mater *Ecclesia:* neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis *inter melioris notae auctores* in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam, quae sibi verisimilior videatur" (ibid. 323 sq.).

Similia iam antea idem *Pius XI* edixerat in Epistula apostolica *De seminariis et de studiis clericorum* („*Officiorum omnium*" de die 1 Augusti 1922; *AAS* XIV [1922] 449 sqq.), commendans enixe „scholasticam philosophiam, a sanctis Patribus Scholaeque Doctoribus quadam laborum continuatione naviter expolitam ac denique opera et ingenio *Thomae Aquinatis* ad summum perfectionis gradum adductam" (ibid. 454). Alia porro Epistula apostolica: Ad summos moderatores ordinum regularium aliarumque sodalitatum religiosarum virorum („*Unigenitus Dei Filius*" de die 19 Martii 1924; ibid. XVI [1924] 133 sqq.) idem fere inculcat.

2. Hisce testimoniis praemissis iam quaerimus, quidnam ex iis deduci possit relate ad *auctoritatem singularem* Doctoris Angelici.

885. a) Sanctus Doctor sane non indiget qui laudetur eo quod alia magna Ecclesiae lumina deprimantur; immo, ut vidimus, mos est Romanorum Pontificum comparatione Angelici cum maximo quoque Ecclesiae Doctore eius efferre honores. Atque ex verbis encyclicae *Pii XI* clare elucet singulas scholas earumque duces et magistros proprios nequaquam sua destitui auctoritate. Secure sane, ut unum exemplum afferam, theologi *e familia S. Francisci Assisiensis,* ac tuto sequuntur magnos suos Doctores, *Bonaventuram* inquam et *Scotum.* „Is enim est Scotus", scribit *P. Card. Gasparri* (die 29 Ianuarii 1916), „qui de rebus altissimis tam acute copioseque disputet, ut qui eius scripta legat, is plane assentiatur vere eidem sanctissimo viro *sapientiam obviasse quasi matrem honorificatam.*" Refert deinde laudem ipsius augusti Pontificis, *Benedicti XV,* qua prosequitur editionem novam et expolitam operum *Scoti,* „ad commodiorem eorum usum, qui etiam subsidio Scoti doctrinae ad theologicas se conferre disciplinas cupiunt"[16].

Et haec quidem *relativa* quaedam est consideratio, qua apparet lumine Doctoris *Angelici* non offici splendorem aliorum Doctorum: *Seraphici* (Bonaventurae), *Subtilis* (Scoti), *Irrefragabilis* (Alexandri Halensis), *Experti* (Alberti Magni), *Mellifui* (Bernardi), aliorum. Atque etiam theologi magni aetatis renascentiae quae vocatur, ex ordine sive Praedicatorum, sive Minorum, sive Societatis Iesu, sive aliorum ordinum, sane Ecclesiae sunt decori ducesque in re philosophica et theologica.

886. Alia est quaestio, de se ab hac inquisitione independens, utrum S. Thomas habuerit speciale auxilium divinum, scilicet donum supernaturale *scientiae infusae.* Huic tribuendum esse, ait *E. Commer,* ut Aquinas habuerit species intellegibiles tales, ut acquisitae esse nequeant. „Principia, quae *S. Thomas* constanter adhibet, talem gradum immaterialitatis et universalitatis prae se ferunt, qualis speciebus intellegibilibus intellectus humani non est proprius." Hinc vindicandum est Thomae *scientia*

per accidens infusa, quae autem operationem intellectus deductivam et comparativam non excludit, sed activitatem intellectui conaturalem ad perfectionem adducit [17]. — *At* quid de *correctionibus,* quas ipse s. Doctor in manuscriptis suis ostendit se fecisse? „Suam primam compositionem S. Thomas sedulo emendabat, nec simul et semel, sed diversis momentis et iteratis vicibus, delendo, mutando, addendo, unum eundemque locum pluries elaborando. Deletio quandoque ad integras columnas extenditur; quandoque etiam ante deletionem totius loci pars vel partes ipsius praedeletae fuerant. Addita saepe plurimas lineas implent, et ipsa pluries, quandoque usque quater vel quinquies emendata fuerunt. . . .“ [18]. Quid porro de *contradictionibus,* quas alii in Thomae operibus inveniunt, de *evolutione* quadam, quam subierit, de *sententiis,* in quibus omnes theologi recedunt ab Aquinate, ut de Immaculata B. V. Mariae Conceptione? — *Respondet* Commer interpretationem legitimam has contradictiones ut apparentes ostendisse. „Ii vero, qui minus speculatione pollent, fingunt eum (S. Thomam) successive doctrinam evolvisse, atque volunt eum dependere a circumstantiis externis.“ [19] — Certum est ex iis quae antea de nexu inter virtutem et sapientiam christianam proposuimus Doctorem Angelicum modo eminentissimo adiutum esse gratiis illustrationis; at donum scientiae infusae, quod eum praeservarit ab errore, solidioribus, quam factum est, probari debet rationibus.

887. b) Si porro inquirimus in *gradum* et in limites *auctoritatis* Aquinatis, iure provocamus ad normas illas, quas Praepositus Societatis Iesu, *P. W. Ledóchowski,* in epistula die 8 Decembris 1916 data, suis servandas tradidit; nam haec epistula, sequens vestigia priorum, non solum declarat denuo Angelicum ut *proprium Doctorem* Societatis, sed etiam gaudet diserta approbatione Romani Pontificis *Benedicti XV.* „Quo quidem“, ita *Benedictus XV,* „in iudicio recte Nos te sensisse arbitramur, quum eos putasti Angelico Doctori satis adhaerere, qui universas de Thomae doctrina theses perinde proponendas censeant, ac tutas ad dirigendum normas, nullo scilicet omnium amplectendarum thesium imposito officio. Eiusmodi spectantes regulam, possunt Societatis alumni iure timorem deponere, ne eo quo par est obsequio iussa non prosequantur Romanorum Pontificum, quorum ea constans sententia fuit, ducem et magistrum in theologiae et philosophiae studiis Sanctum Thomam haberi opus esse, integro tamen cuique de iis in utramque partem disputare, de quibus possit soleatque disputari“ (206 sqq.) [20].

888. Ipsa deinde epistula *P. Ledóchowski* primo ostendit „quem locum theologia scholastica in Ecclesia, quem in theologia scholastica *S. Thomas* obtineat“ (209). Post fructuosissimum Patrum Ecclesiae laborem, qui sapientiam Graecorum ita excoluerunt ut doctrinae revelatae prodesset, saeculis XII et XIII philosophia et

theologia scholastica adoleverunt, collaboratione quidem plurimorum doctorum. „Omnium autem principem et magistrum praeparavit *Beatus Albertus,* vir praestantissimi et ipse ingenii, cuius tamen gloria longe maxima est *S. Thomam Aquinatem* discipulum habuisse . . .“ (212).

S. Thomas iam, ita instructus, novam scholam condidit, non tantum a reliquorum, sed etiam a priorum sui ipsius ordinis magistrorum distinctam. „Nova erat doctrina. . . . Quae autem nova non erant (et haec longe plurima, ut a doctore catholico exspectandum est) novo modo evolvebat, ita ut in hac modi novitate magis etiam excelleret. Et primo quidem traditionis et speculationis aequilibritatem nemo umquam neque cautius neque felicius servavit quam ille. . . . Illud quoque exemplo suo docet, quomodo in tractandis Ecclesiae Doctorum effatis magna reverentia cum modesta libertate ad progressum scientiae necessaria coniungenda sit. . . . Porro in expositione Sacrae Scripturae S. Thomas tam prospere procedit, ut . . . hac quoque in re inter omnes Doctores scholasticos emineat. . . . Nova deinde methodo, nova lingua, novis rationibus vetera illustravit, confirmavit atque adeo renovavit. . . . Magnam quoque gloriam, atque haud scio an maximam, inde capit Doctor Angelicus, quod et nova et vetera, quae tamquam bonus paterfamilias de thesauro suo protulit, in systema egregium redegit, ut melius inveniri vix possit. . . . Atque ita S. Thomas in aurea theologiae et philosophiae aetate . . . effulsit uti sol, a cuius calore abscondere se nemo poterat, vel potest, vel poterit“ (213—217).

Sequitur deinde enumeratio approbationum omnis generis, quam supra ex parte exhibuimus, qua evincitur etiam nostris temporibus semina veritatum, quasi in gremio in principiis Aquinatis inclusa, esse „opportuno tempore et uberrimo fructu aperienda“, ut monet *Leo XIII,* atque eadem Angelici principia propugnaculum validissimum esse contra nostrae quoque aetatis errores et sophismata (219).

In *altera* deinde parte P. Ledóchowski perstringit *relationem Societatis Iesu ad Doctorem Communem;* historice primum, referens singula documenta et Patris legiferi S. Ignatii et Congregationum ordinis generalium atque imprimis Romanorum Pontificum, testimonia deinde magnorum theologorum Societatis Iesu et scriptorum.

889. In *tertia* porro parte *principia* evolvuntur, quae filii Societatis sequantur.

(1) „Primo haud dubie constat interdictum nobis esse, ne ab ipso (S. Thoma) recedamus in *praecipuis* eius *doctrinae capitibus*

et quae tamquam fundamentum sunt aliorum plurimorum" (230); quae secundum *Pii X* verba sunt ea, „quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae . . . invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo vitae fine assequendo" („Doctoris Angelici", *AAS* VI [1914] 336).

(2) „At non satis. Filiis enim Societatis ne in *secundariis quaestionibus* quidem a clara et certa sententia S. Thomae nonnisi gravate admodum et rarissime discedere licet, . . . ob gravissimas solum rationes, quae sententiam vere probabiliorem reddere videantur" (232).

(3) „Praeterea, ut fideles simus Doctoris nostri discipuli eiusque mentem clare in ipsius operibus expressam sequamur, rite *distinguere* oportet inter *quaestiones,* quas *dedita opera* tractavit vel certis argumentis probavit, et eas, quas solum *obiter attigit* vel probabilibus tantum argumentis fulcivit . . . (quae) profecto maiorem disputandi facultatem relinquunt" (233 sq.).

(4) „In quaestionibus denique, in quibus *sententia Angelici ambigua* sit vel quae ab ipso *expositae non fuerint,* libertate quidem gaudemus; attamen, ut monet *Leo XIII,* principia et capita doctrinae eius penitus cognita sint oportet, ne quae reddantur responsa, ullo modo repugnent cum illis." Decretum porro 18 *Congregationis XXIII* Societatis Iesu monet, ne quis proprio iudicio nimis fidens, „novas a se conceptas interpretationes pro vera germanaque S. Thomae doctrina temere aut inconsulte" tradat (234).

Ita *P. Ledóchowski,* approbante Summo Pontifice *Benedicto XV,* exponit legem Societatis Iesu supremam hac in re, a *Congregatione V* Societati datam: „1) Nostri omnino *S. Thomam* ut *proprium Doctorem* habeant ac proinde eius stent sententia in omnibus enuntiatis maioribus; 2) in ceteris libertas Nostris relinquatur, ita tamen, ut non recedant ab eo, nisi gravate admodum et rarissime."

De *24 thesibus* vero, a *S. Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus propositis* (*AAS* VI [1914] 383 sqq.) et tamquam tutae normae directivae declaratae (*AAS* VIII [1916] 156 sq.) haec dicit: „Cum enim haec (S. Congregatio) non voluerit, ut imponerentur theses illae veluti necessario tenendae, sed tantum, ut proponerentur veluti tutae normae directivae, propterea minime negavit, oppositas quoque tutas dici posse; proinde plena remanet potestas iis qui doctrinam S. Thomae sequuntur, quasdam oppositas defendendi, dummodo id semper fiat ob rationes vere probabiles ac prorsus graves." Atque ita sanxerat *Leo XIII,* confirmavit *Benedictus XV* (237).

890. Haec est Societatis relatio ad *S. Thomam* tamquam ad Doctorem proprium, cuius *Summam* simul cum alio libro textus

sequuntur lectores et auditores theologiae, salva tamen illa libertate, „quam Ecclesia scholis catholicis semper permisit, ad uberiorem fidei explicationem". Non aliter sane sensit ipse *Doctor Angelicus,* „quippe qui . . . alios doctores, qua erat modestia, magna semper reverentia prosecutus, eorum sententias non nisi ob rationes exploratas et perspicuas umquam damnandas esse censeret" (240 sq.); haud aliter etiam magni ipsius Societatis magistri, e quibus unum afferam *Beatum Robertum Bellarminum,* qui inter alia haec scribit: „. . . tametsi S. Thomas, ut plurimum, aliis omnibus excelluit, nemo tamen est qui non fateatur in quibusdam paucis melius sensisse Scotum aut Durandum aut S. Bonaventuram aut Gregorium aut alios aliquos, quam S. Thomam. Nec enim credibile est, aut S. Thomae semper affulsisse lumen veritatis aut aliis numquam affulsisse. . . ." [21]

Hanc eandem sententiam non tantopere differre ab *aliorum ordinum* sententia duobus liceat ostendere testimoniis. *R. Schultes* O. P. approbat principia in epistula *P. Ledóchowski* proposita: „Hae normae et haec principia non sunt nisi compendium sanae doctrinae de auctoritate theologorum et Doctorum. Quae valent non tantummodo pro Societate Iesu, sed pro omnibus theologis. Etiam schola thomistica, ordine Praedicatorum minime excepto, intellegit et defendit eandem S. Thomae auctoritatem." [22] — Regula porro *Fratrum Minorum,* agens *De lectoribus* dicit: „In doctrinis philosophicis et theologicis scholae Franciscanae ex animo inhaerere studeant, ceteros scholasticos, Angelicum praesertim Doctorem D. Thomam, catholicarum scholarum coelestem patronum, magni faciant" (reg. 277; in „Regula et Constitutiones Generales Fratrum Minorum" approb. a Congregatione de Religiosis die 26 Augusti 1921)[23]. — P. *Hil. Felder* O. M. Cap. effert singularem sane auctoritatem S. Thomae intrinsecam et extrinsecam, qua omnes theologos superat, „quin tamen negligendi sint ceteri scholasticae magistri ac imprimis s. Bonaventura". „Quantumvis effert (Ecclesia) s. Thomam, monet tamen, ut et ceteros scholasticae magistros veluti ‚insignes duces novi doctores sequantur'. . . . Id unum improbat, si a quibusdam scholasticis statuantur aliqua ‚principiis S. Thomae repugnantia'. Igitur ‚si alicuius auctoris vel sancti doctrina . . . umquam comprobata est singularibus laudibus, facile intellegitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohaereret aut iis haudquaquam repugnaret'. Hac laude singulari prae omnibus aliis scholasticis comprobatus est *s. Bonaventura,* ita ut post divum Thomam quidem, sed simul cum ipso a scholis catholicis sit venerandus", „Princeps scholasticorum alter cum Aquinate", ut eum appellavit *Pius X.*[24]

„Alia claritas solis, alia claritas lunae et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate" (1 Cor. 15, 41). Hoc *Pauli* verbum, quod de corporibus resuscitatis valet, transferre licebit ad lumina magna Ecclesiae. Inter ipsos apostolos

alii prae aliis erant „columnae“ quaedam Ecclesiae. Ex Patribus porro Ecclesiae alii ceu gigantes praeeminent. Neque Doctores Ecclesiae omnes sunt eiusdem splendoris vel eiusdem auctoritatis in omnibus theologiae disciplinis. Omnes autem Ecclesia, mater et magistra, ut suos filios praedicat et honorat, quia, sicuti in vita secuti sunt eius magisterium, ita post mortem scriptis suis praefulgent generationibus sibi succedentibus.

891. NOTAE. — **1** *O. Bardenhewer,* Gesch. der altkirchl. Literatur I² 37 sqq. — **2** *I. B. Franzelin,* De traditione thes. XV, pars II, (1883), p. 178 sq.; *Chr. Pesch* in Theol. Zeitfragen IV 193; *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche 119 sq. — **3** *C. H. Kneller* in Zeitschr. für kath. Theol. XL (1916) 1 sqq.; *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. I⁶/⁷, n. 575. — **4** De traditione thes. XV, pars II (1883), p. 178. — **5** *I. B. Franzelin* l. c. thes. XVI, p. 186 sqq. — **6** *Chr. Pesch* l. c. n. 593 sq.; *I. B. Franzelin* l. c. p. 180; *I. V. Bainvel,* De magisterio vivo n. 66 sqq. (p. 76 sqq.). — **7** *Fr. Ehrle,* Grundsätzliches zur Charakteristik der neueren und neuesten Scholastik (Erg.-Hefte zu den Stimmen der Zeit I, 6 [Freiburg 1918]). — **8** *Idem,* Die Ehrentitel der scholastischen Lehrer des Mittelalters (Sitzungsber. der Akad. der Wissensch. IX), München 1919. — **9** *Consensus populi christiani* est testimonium dumtaxat fidei Ecclesiae. Cum autem Ecclesia discens sit infallibilis in credendo, hinc in fidem fidelium inquiri atque ex ea, quid sentiat Ecclesia docens, erui potest. Cf. *Chr. Pesch* l. c. n. 606; *I. V. Bainvel* l. c. n. 92 sqq. — **10** Cf. de hac encyclica quae scripsit *Fr. Ehrle* in Stimmen aus Maria-Laach XVIII (1880) 13 sqq. 292 sqq. 388 sqq. 485 sqq. — Optime etiam *I. Kleutgen,* Theologie der Vorzeit IV 106 sqq. — **11** *Fr. Ehrle* l. c. 486, nota 2. — **12** Documenta praecipua enumerat *I. V. Bainvel* l. c. n. 91; *Sadoc Szabó* O. P. in Divus Thomas III (1916) 665 sqq.; *Codex Iuris Canonici* in nota ad can. 1366. — **13** De quaestione, num in Concilio Tridentino praeter libros S. Scripturae Summa theologica S. Thomae in altari posita fuerit, scripsit *F. Michel Ange* O. M. Cap. in Revue du clergé français XXIV (1918) 50 sqq. — **14** Cf. *Chr. Pesch* in Stimmen der Zeit LXXXVIII (1915) 11 sqq.; contra quem scripsit *A. Horváth* O. P. in Divus Thomas IV (1917) 189 sqq. — **15** Cf. *Chr. Pesch* l. c.; *Fr. Ehrle,* Grundsätzliches usw. 28; plura infra. — **16** Bulletin de litt. ecclésiastique 1915/16 161 sq. — **17** Divus Thomas VII (1920) 100 sqq.; similiter *Sadoc Szabó* ibid. III–VI (1916 ad 1919). — **18** S. Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici, opera omnia, cura et studio Fr. Praedicatorum, tom. XIII: Summa contra Gentiles (Romae 1918) p. IX. — **19** Divus Thomas VII (1920) 101. — **20** Epistulam *Benedicti XV* et *P. Ledóchowski* vide Zeitschr. für kath. Theol. XLII (1918) 205 sqq. Mirum in modum haec epistula tamquam impugnatio S. Thomae considerata est: Divus Thomas IV (1917) 186 sqq., imprimis 218 sqq. — De *24 thesibus* cf. (praeter epistulam P. Ledóchowski) *Fr. Ehrle,* Grundsätzliches 28; *idem* Emin. Cardinalis in sollemni recordatione centenarii sexti S. Thomae canonizati, quae habebatur in Universitate Pontificia Gregoriana die 9 Martii 1924 haec dixit: „Papa Pio X di santa memoria ha voluto in questa direzione fare un altro passo.... Quando gli furono proposte *24 tesi,* nelle quali era contenuta la sostanza della filosofia tomistica, dopo il doveroso esame, le ha dichiarate tali o, como sotto il suo successore si expresse la Sacra Congregazione, norme tute direttive. Con ciò ha voluto fra le diverse sentenze esistenti o possibili intorno a ciascuna di questi tesi, per ciascuna tesi indicarci una sentenza, come sicuramente conforme alla verità rivelata. Per ciò ci ha dato un grande aiuto per la discussione scientifica, ma non l'ha troncata.... Questa dichiarazione fu un favore singolarissimo, un favore come non fu mai accordato, in un complesso così ampio, alla dottrina di un altro Dottore“ (L'Osservatore Romano 10/11 Marzo 1924). — **21** Ita scripsit *B. Bellarminus* anno 1582; cf. *X. M. Le Bachelet,* Bellarmin avant son Cardinalat (Paris 1911) 505 sqq. — Similem sententiam *Francisci de Victoria* refert *Melchior Canus:* De locis theologicis lib. XII, prooemium. — **22** „De doctrina S. Thomae magis magisque fovenda“ in Katholik XCVIII (1918 II) 1 sqq.; in aliis quidem idem auctor dissentit: cf. p. 9 sqq. — Sobrie de auctoritate S. Thomae *I. V. de Groot* O. P., Summa Apologetica de Ecclesia Catholica (³1906) 813 sqq.; *R. Hedde* O. P., De l'autorité de S. Thomas d'Aquin dans l'enseignement catholique de la philosophie (Revue apolog. XXXVIII [1924] 513—526). — Contra *Schultes* scripsit *Sadoc Szabó* in Divus Thomas VI (1919) 70 sqq. — **23** Zweite Lektorenkonferenz der deutschen Franziskaner für Phil. u. Theol. (7.—10. Aug. 1923), Frauenberg-Fulda 1924, 29. — **24** Apologetica sive Theologia fundamentalis II (1920) 338 sqq.; cf. *F. Pelster,* Gregorianum IV (1923) 72 sq. 85 sq. 96 sqq. 99 sqq.

De qualificationibus et censuris doctrinalibus.

892. Brevis quaedam inquisitio, coronidis instar, adnectatur quaestionibus praecedentibus, valoris potius practici, de *censuris* nimirum et *qualificationibus doctrinalibus,* quae singulis propositionibus theologicis conveniunt. Cum enim ex iis quae supra disputata sunt eruatur alium aliis competere sententiis valorem dogmaticum, prout scilicet pertinent ad depositum fidei aut non, prout porro edicta sunt aut a magisterio universali Ecclesiae aut a magistro authentico quidem at ecclesiae particularis, prout magisterium universale utitur aut non summa sua et definitiva potestate doctrinali, hinc usuvenit singulis veritatibus suum certitudinis gradum assignare seu *qualificationem* addere, erroribus vero oppositis respectivas *censuras.*

Ex quibus qualificationibus et censuris eas contendimus exhibere, de quibus fere est consensus inter theologos; plures vero aliae, quae in usu quidem sunt, sed vel non clare circumscriptae vel alio ab aliis sensu adhibitae, omittuntur.

Magisterium ecclesiasticum *posse authentice* et *definitive* alicuius propositionis sensum et valorem dogmaticum determinare extra dubium est; est enim exercitium doctrinale illius potestatis, quam ipse auctor Ecclesiae ei tradidit, qua possit et debeat custodire et proponere revelationem Christi. Ita definitiones sive Romani Pontificis sive Conciliorum Oecumenicorum decernuntur et promulgantur tamquam certitudine absoluta credendae aut tenendae. In aliis autem decretis doctrinalibus Ecclesiae magisterium non quidem absolutam requirit subiectionem, attamen internum assensum intellectualem eumque religiosum, ut in decretis Congregationum

Romanarum doctrinalium (*Ass. 29,* n. 776 sqq.). Alias denique sententias, in scholis theologicis communiter admissas ut certas, ipsa Ecclesia ut tales tuetur, atque vel diserte et directe, vel indirecte (e. g. approbatione alicuius theologi et Doctoris, cogita S. Thomae,) approbat. Cui magisterio positivo correspondet negativum, quo videlicet damnat vel prohibet placita doctrinae fidei vel theologicae contraria. Inde evoluta est quaedam scala qualificationum et censurarum, quam videre est in multis propositionibus ab Ecclesia censuratis (cf. *D* 1080 1288 1321 1349 1451 etc.).

893. *Qualificatio* igitur (et censura) doctrinalis definiri potest iudicium magisterii ecclesiastici de valore dogmatico alicuius propositionis. Agimus ergo (1) de iudicio *doctrinali,* quod de sola congruentia vel discrepantia alicuius doctrinae cum regula fidei agit; differt igitur a censura, quae in *iure canonico* (ut poena) consideratur (*CIC* 2241). Porro (2) qualificatio theologica et censura doctrinalis proprie dicta est iudicium *magisterii ecclesiastici,* non singulorum theologorum; ratio est, quia solum magisterium authenticum auctoritatem in Ecclesia habet. Moris quidem est, qui ex ipsa natura muneris lectorum theologiae derivatur, ut theologi quoque iudicent de valore suarum thesium; at cavere debent, ne in sententiis liberis et libere in scholis disputatis „audeant alicuius theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam . . . donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum" (*D* 1146, in quaestione nimirum de contritione perfecta et imperfecta). Immo *Innocentius XI* anno 1679, in decreto S. Officii, quod *varios errores de rebus moralibus* damnavit et prohibuit „ut minimum tamquam scandalosas et in praxi perniciosas" sententias, haec in virtute sanctae oboedientiae praecipit, „ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac praedicationibus caveant ab omni censura et nota, necnon a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede, re cognita, super iisdem propositionibus iudicium proferatur" (*D* 1216).

Censurae seu iudicia doctrinalia theologica *privata* ut talia apparere debent, ut quisque videat alicui propositioni certum gradum auctoritatis dogmaticae vindicari ob rationes mere *scientificas,* a magisterio Ecclesiae nondum recognitas.

894. Cui iudicio Ecclesiae correspondeat oportet *assensus* fidelium, alius igitur pro alia alicuius propositionis qualificatione.

Et primum quidem omnes veritates, quae et quatenus ut *revelatae divinitus* agnoscuntur, fide divina credendae sunt. Nos

autem agimus de iis, quae pertinent ad depositum fidei, Ecclesiae a Christo traditum, sive in traditione sive insuper in Sacra Scriptura contentis; quae omnes *de fide divina* credendae sunt. Si vero hae veritates ut tales a magisterio ecclesiastico diserte propositae sint, fides divina, a fidelibus requisita, vocatur *catholica,* conotans scilicet Ecclesiam catholicam eiusque magisterium. Casus specialis huius propositionis est sollemnis definitio, facta vel a Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico; veritas revelata tali modo definita *fide divina definita* creditur (*CIC* 1323). Veritas revelata et ab Ecclesiae iudicio ut talis, fide divina credenda, proposita, vocatur *dogma* fidei. Dogmata porro fidei fundamentalia, quae ut talia plures alias veritates revelatas in se continent, *articuli fidei* nuncupantur. Negatio et dubitatio dogmatis fidei, eaque sola, est *haeresis* (*CIC* 1325, 2). *Assensus* requisitus est fidei divinae seu theologicae, cuius motivum est auctoritas Dei revelantis, natura sua absolutus et omni ex parte certissimus. — Doctrina *proxima fidei* illa est, quae unanimi fere consensu habetur pro revelata; cui opponitur sententia *haeresi proxima. Haeresim sapiens* dicitur assertio aliqua, quae quidem absolute sensum bonum et verum habere potest, attamen consideratis condicionibus auctoris, nexu et contextu, potius sensum pravum prae se fert. — *Assensus* in propositionem fidei proximam ut talem non quidem absolutus esse potest, attamen errorem moraliter loquendo excludit, quia salva infallibilitate Ecclesiae hunc gradum certitudinis acquirere posse non videtur.

895. Analogo modo loquendum est de veritatibus *virtualiter revelatis* et generatim de veritatibus cum deposito fidei *cohaerentibus* (cf. *Ass. 31,* n. 826 sqq.). Quae si a magisterio Ecclesiae sive ordinario sive extraordinario ut absolute tenendae proponantur, vocari possunt *de fide ecclesiastica,* cuius motivum est auctoritas Ecclesiae infallibilis, cui proinde correspondet assensus absolutus. Negatio talis veritatis est *error* in fide ecclesiastica.

Quodsi aliqua veritas revelata — analoge loquendum est de veritatibus conexis cum deposito fidei — ut talis non quidem diserte a magisterio ecclesiastico fuit determinata, attamen communiter in scholis ut certa docetur, vocatur *theologice certa.* Haec qualificatio competit etiam illi propositioni, quae ex deposito fidei certo deducitur. Censura doctrinae oppositae: *error* (theologicus seu in theologia).

Nomine *„doctrinae catholicae"* illa fere comprehenduntur, quae modo exposita sunt, quae igitur certo pertinent ad depositum

fidei vel cum eodem certe cohaerent; sensu quodam latiore intelleguntur omnes veritates, quae *communi* fere et *constanti consensu* in scholis catholicis proferuntur, approbante scilicet vel saltem tacente Ecclesia; temere igitur quis procederet, si sine gravissima ratione ab hoc consensu recederet (propositio *temeraria*) atque ita sese exponeret periculo errandi in fide.

Et hae fere sunt qualificationes proprie theologicae; censurae aliae respiciunt vel valorem *scientificum* alicuius propositionis (falsa) vel *ordinem moralem* (blasphema, seditiosa, schismatica) vel *modum loquendi* (male sonans, captiosa); ordo earum videri potest in Constitutione *„Auctorem fidei“* (contra synodum pistoriensem anno 1794 publicata; *D* 1501 sqq.). *Modus* distinguitur duplex; *„in globo“* seu cumulative plures propositiones pluribus plectuntur censuris, quo in casu „nulla propositio immunis est ab aliqua e notis, nulla nota est, sub qua non cadit aliqua e propositionibus; quae notae quibus propositionibus conveniant determinate, non dicitur“. Ita *Bainvel* [1]. Damnatio *„categorica“* singulas propositiones denotat singulis notis [2].

Conspectus.

Qualificationes propositionis theologicae	**Censurae** propositionis oppositae	**Assensus** praestandus
I. De fide 1. divina 2. catholica (definita) [Dogma, articuli fidei] Proxima fidei	Error in fide Haeresis Haeresi proxima Haeresim sapiens	I. Assensus absolutus 1. fidei divinae
II. De fide ecclesiastica [Concl. theol. et aliae veritates annexae]	Error [in fide ecclesiastica]	2. fidei ecclesiasticae
III. Theologice certa	Error Errori proxima Errorem sapiens	II. Assensus non-absolutus, religiosus: theologicus
[I.-III. Doctrina catholica]*		
IV. Bene fundata et sat communis in theologia	Temeraria	Assensus internus

*) „Doctrinae capita, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur“ (*D* 1684). — Ergo ex conclusionibus theologicis illae, quae ab omnibus admittuntur.

896. NOTAE. — **1** *I. V. Bainvel,* De magisterio vivo et traditione p. 110. — **2** Cf. *I. B. Franzelin,* De div. traditione et Script. thes. 13, schol. 2 (1883), p. 152 sqq.; *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. $I^{6/7}$, n. 554 sqq.; *I. V. Bainvel* l. c. n. 105, p. 108 sqq.; *Hettinger-Weber,* Lehrb. der Fundamentaltheol. 750 sqq.; *H. Quilliet,* Dictionnaire de Théologie II (1905), 2101 sqq.; *M. I. Scheeben* in Kirchenlex. II 2098 sqq.; *I. Muncunill,* Tract. de Christi Ecclesia 444—452; *F. Diekamp,* Kathol. Dogmatik I^3 (1921) 61 sqq.; *Fr. Io. Alberghini* scripsit Manuale qualificatorum Sanctiss. Inquisitionis, in quo omnia, quae ad illud tribunal ac haeresum censuram pertinent, brevi methodo adducuntur. Panormi 1642.

CONSPECTUS DOGMATICUS.

PRAEMITTENDA.

1. De fine huius conspectus.

897. a) Finis tractatus theologiae fundamentalis de Ecclesia est in eo, ut via historica ostendatur Christum, legatum Dei, instituisse Ecclesiam eique suam revelationem tradidisse custodiendam et hominibus exponendam. Ita etenim constat, ubi revelatio christiana asservetur, quaenam Deus hominibus annuntiaverit, quamnam religionem eis praescripserit sequendam et exercendam, quamnam viam eis indicaverit ad salutem aeternam. Hinc agendum erat de Ecclesiae Christi institutione, constitutione, magisterio, et quidem via, methodo, argumentis historicis.

Sed Ecclesia non est solummodo via et dux viae ad vitam, sed ipsam vitam praebet hominibus; neque dumtaxat vestibulum sanctuarii est, sed ipsum templum Dei vivi in terris; neque est tantummodo praeambulum fidei, sed ipsa etiam obiectum fidei, dogma fidei, articulus fidei. Credo *„sanctam Ecclesiam catholicam“* (*D* 6) profitemur in Symbolo Apostolico quod vocatur; *„unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam“* (Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum; *D* 86). Hinc pronum est, ut brevi saltem conspectu ea videamus et ex fontibus fidei exhibeamus, quae de Ecclesia *dogmatice,* de Ecclesia igitur quae est obiectum fidei, dicenda sint.

b) Artissime cum ratione modo exposita cohaeret alia. Tractatus videlicet theologiae fundamentalis considerat Ecclesiae constitutionem et organisationem atque fere unice eius finem doctrinalem respicit. At hic finis doctrinalis, utut est Ecclesiae essentialis, non est unicus neque principalis finis, quem ex voluntate Christi prosequi debet. Christus enim Ecclesiam suam primarie instituit, ut per eam fructus redemptionis omnibus hominibus communicaret atque ita homines omnes sanctificaret. Consentaneum proinde est, ut, peracta inquisitione historica in finem secundarium, etiam *finem* Ecclesiae *primarium* vel potius *utrumque simul* eorumque inter se relationem, itaque *Ecclesiam integram,* omnes eius dignitates, divitias, glorias, gratias totamque eius

indolem supernaturalem explanemus. Sic tandem depingimus Ecclesiae imaginem veram expressamque [1].

c) Insuper in hoc conspectu apte inseruntur quaedam quaestiones, quae in inquisitione historica vel omissae vel obiter tantum motae sunt, ut de membris Ecclesiae et aliae quaedam. Simul praecipuis assertionibus suus valor dogmaticus, qualificatio nimirum theologica, addi poterit.

2. De forma huius conspectus.

898. Quoniam haec consideratio dogmatica se habet ad instar appendicis, licebit forma uti quam *brevissima,* quae scilicet singulas quaestiones indicat potius quam late exponit. Idque valet eo magis, quod plurimae ex quaestionibus proponendis, alia licet sub ratione aliaque methodo, iam solutae sunt in tractatu historico, ad quem frequenter referentur. Asserta nimirum, argumenta, textus et fontes magna ex parte sunt eadem. Alia e contra complenda erunt, sive ex documentis Ecclesiae sive ex effatis Patrum et Doctorum Ecclesiae et theologorum, sicut mos est theologiae dogmaticae demonstrare suas theses; quam methodum, ut patet, stricte servabimus.

Non abs re erit, hoc iam loco ex documentis Ecclesiae recentioribus prae aliis efferre Encyclicam *Leonis XIII „Satis cognitum“* (de die 29 Iunii 1896), quae exhibet totam fere doctrinam de Ecclesia modo praeclaro [2].

3. De ordine procedendi.

899. a) *Ubi inserenda* sit haec consideratio. Et apte quidem hic tractatus dogmaticus inseritur post tractatum *de Verbo incarnato* qui vocatur. Is enim complectitur duas partes; in priore agit de Christo redemptore (Christologia), in altera de opere redemptionis Christi (soteriologia) [3]. Quaeritur iam, ubinam reperiri possint fructus huius redemptionis, qui secundum Christi voluntatem omnibus hominibus prodesse debent, ubinam revelationem Christi secure invenire possimus qua ducimur ad vitam. Respondendum est: *In Ecclesia Christi,* quae est depositorium et gratiae et veritatis Christi simul. Hac porro inquisitione, de Ecclesiae nimirum institutione et natura, absoluta, ulterius procedi potest ad indagandos fructus redemptionis, gratiam nimirum quam Christus nobis promeruit. Ita logice sequi possunt tractatus *de gratia, de mediis gratiae* (sacrificio et sacramentis), de singulis *donis supernaturalibus* hisce mediis animae infundendis, *de effectibus gratiae* eiusque fine, quem habet redemptio Christi atque consequenter etiam Christi Ecclesia, scilicet *de beatitudine caelesti.*

b) Hinc considerabimus Ecclesiam imprimis ut *opus Christi*, quo scilicet Christus dona sua hominibus omnium temporum tradit, quod proinde opus ipsius Christi continuat et perducit usque ad consummationem huius saeculi; Ecclesia rectissime vocatur *Christus perdurans* in hoc mundo, perficiens opus Christi ipsius.

Sed cum Christus post suum discessum ex hoc mundo *Spiritum Sanctum* ut „alium Paracletum" suis apostolis atque suae Ecclesiae miserit, urget quaestio, quaenam sit relatio Ecclesiae ad Spiritum Sanctum. Superest denique, ut indagetur habitudo eiusdem Ecclesiae ad Sanctissimam Trinitatem, in cuius nomen, quotquot sacramento baptismi initiantur membra Ecclesiae, devoventur. Ita demum Ecclesiae indoles propria apparet.

Tria igitur sunt capita huius conspectus:

Caput I. De Ecclesiae habitudine ad Christum;

Caput II. De Ecclesiae habitudine ad ceteras personas divinas atque ad ipsam Sanctissimam Trinitatem.

Caput III. De indole et proprietatibus Ecclesiae.

CAPUT I.

DE ECCLESIAE HABITUDINE AD IESUM CHRISTUM.

Praemittenda. — Quaenam in hoc capite exponenda sint, breviter supra adumbravimus. Christum scilicet Ecclesiam suam fundasse, ut ipsa opus, ad quod consummandum Verbum de caelis descenderat, continuaret. Missio Christi transiit ad Ecclesiam Christi. Ut igitur perspiciamus Ecclesiae habitudinem simul et naturam intimam, opus est perpendamus missionem et opus Christi.

A. De missione et opere Christi.

900. Deus ex benignitate liberrima uberrimaque misericordia voluit homines *elevare* ad statum supernaturalem, quo fierent Filii Dei atque heredes gloriae caelestis, et modo quidem, qui superat omnem hominis non solum exigentiam sed etiam potentiam naturalem. Neque solum in altera, sed iam in hac vita homo a Deo ornatus erat donis supernaturalibus, imprimis gratia sanctificationis et filiationis virtutibusque infusis.

At haec omnia culpa primi hominis *perdita* sunt; nam in Adam „omnes peccaverunt" (Rom. 5, 12); *peccatum* Adae hereditarium ut *originale* transiit ad omnes Adae posteros. Neque vero ideo consilia divini amoris irrita facta sunt; ubi enim „abundavit delictum, superabundavit gratia; ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam, per Iesum Christum Dominum nostrum" (5, 20 sq.).

1. Iesus Christus scilicet est secunda persona Sanctissimae Trinitatis, Verbum Patris, factus homo ex Maria Virgine, „propter nos homines et propter nostram salutem". „Qui cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. . . . Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis" (Phil. 2, 6—8); „in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum . . . (qui nos) reconciliavit in corpore carnis eius per mortem" (Col. 1, 14 22). Morte sua expiatoria, sacrificio crucis nimirum, homines redemit a peccato et amicitiam pristinam restituit.

Non solum Christus igitur peccatum delevit, sed etiam abundantiam gratiae et sanctificationis hominibus tribuit, quos „eripuit (Pater) . . . de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii dilectionis suae" (Col. 1, 13), quos, cum essent „natura filii irae" et „mortui peccatis . . . convivificavit . . . et conresuscitavit et consedere fecit in caelestibus in Christo Iesu" (Eph. 2, 3—6). Dei proinde misericordia per Iesu Christi sanguinem acceperunt „spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater)!" (Rom. 8, 15.)

Christus itaque factus est „unus . . . mediator Dei et hominum . . ., qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus . . ." (1 Tim. 2, 5; cf. Act. 4, 12), atque consequenter *sacerdos* magnus generis humani aeternus, „secundum ordinem Melchisedech", quemadmodum Paulus explicat in epistula ad Hebraeos. Iesus Christus simul est hostia et simul sacerdos, „qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo" (Hebr. 9, 14; cf. 9, 28). „Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos" (10, 14)[4].

901. 2. Munus sacerdotale et sanctificatorium certe est nobilissimum et maxime principale ex muneribus Christi, at non unicum. Deus enim redemit et salvavit et sanctificavit genus humanum non sine eiusdem generis humani cooperatione. Homo scilicet, ut ens rationale, praeditus est intellectu et libera voluntate, qua potest et secundum consilia divina etiam debet libere amplecti salvationem a Deo sibi oblatam. Ita fuit in statu iustitiae originalis in paradiso, ita est in statu iustitiae reparatae per sacrificium Christi crucis. Hinc Deus manifestavit hominibus suam voluntatem, qua scilicet via quibusque mediis cooperarentur et ad salutem pervenire possent, vel immediate vel per

legatos seu prophetas suos. Et in Vetere quidem Testamento misit Deus „servos suos“ (Matth. 21, 34), homines scilicet, quos instruxit sua auctoritate et adhibuit ut organa sua; „novissime (vero) diebus istis locutus est nobis in Filio . . . (qui est) splendor gloriae et figura substantiae eius . . .“ (Hebr. 1, 2 sq.). Jesus igitur non ea revelavit hominibus, quae sibi ipsi a Deo erant revelata, sed „quod scimus loquimur et quod vidimus testamur“ (Io. 3, 11) et „quae audivi ab eo, haec loquor in mundo“ (8, 26; cf. 15, 15), i. e. quae generatione aeterna a Patre accepit cum tota divinitate; est enim ipsum „Verbum“; „et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum“ (1, 1). Qua tale factus est „lux hominum“ (1, 4), „quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum“ (1, 9).

Munus igitur *propheticum* seu *doctrinale* est secundum munus Christi. Ita praedictus erat in libris sacris V^is^ T^i^ (cf. Act. 3, 22; Deut. 18, 15 sqq.; n. 78 sqq.), ita apparuit tamquam ultimus et maximus omnium prophetarum, incomparabiliter maior omnibus, quia Filius Dei unigenitus. Sicut omnes prophetae de eo prophetaverunt venturo, ita omnes legati et magistri religiosi, qui post eum veniunt et venient, non sunt nisi *missi*, „apostoli“ Christi, Christi annuntiantes doctrinam. „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui Filius voluerit revelare“ (Matth. 11, 27; cf. 28, 18 sqq.).

Hinc Christus coepit ut praeco annuntiare *Regnum Dei* (Matth. 4, 17 sqq.), hinc docuit populum, instruxit discipulos suos praeparavitque eos, ut ipsi essent magistri mundi, ipsi quoque *prophetae* (5, 12; 23, 34), missi videlicet ab ipso Filio Dei [5].

902. 3. Muneri sacerdotali et prophetico accedit ut tertium munus *regale* Christi. Ut Messias, i. e. ut Unctus Iahve, rex nimirum oriundus ex stirpe David regia, exspectabatur a plurimis saeculis secundum vaticinia et promissa, Israel iteratim facta. Ipsa dignitas regalis, in populo Dei a Iahve instituta, erat typus maiestatis regiae, quae circumfulgeret regem venturum, umbra potius quam clara circumscriptio dicenda. Rex aeternus, rex salutis plenissimae pro Israel et pro omnibus populis, rex clementiae, pacis omnisque gratiae divinae, rex redemptor et sacerdos, rex humilis et patiens, qui vitam propriam impenderet pro salute et salvatione populi sui, rex denique „venturus cum nubibus caeli“.

Ut regem deinde se ipse clare manifestavit. „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. . . . Venite ad me omnes . . . tollite iugum meum super vos . . .“ (Matth. 11, 27–29); „. . . super hanc

petram aedificabo Ecclesiam meam. . . . Et tibi dabo claves regni caelorum . . .“ (16, 18 sq.). Plenius autem gloriam suam et potentiam suam regalem manifestabit in consummatione saeculi, quando „mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala . . .“ (13, 41). „Tunc sedebit super thronum maiestatis suae, et congregabuntur ante eum omnes gentes . . .“ (25, 31 sq.), et ut rex iudicium feret finale (25, 34 sqq.).

Ita impleta sunt, quae cecinerunt vates V^is^ T^i^, at modo longe excellentiore, quam ut potuissent clare annuntiare. Nam potestas Christi regia fundata est in eius divinitate, sensu plenissimo innata ipsique essentialis; hinc eius maiestas regia atque gloria non est splendor aliquis externus, sed prorumpens ex sua substantia divina (cf. Hebr. 1, 3) et transfigurans eius corpus mortale (Matth. 17, 2 sqq.). Virtus eius regia non est dependens ab hominibus sibi subditis, sed, licet respiciat libertatem humanam, absoluta, qua providere potest operi suo, Ecclesiae, pro omni tempore futuro: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam!“ [6] (Matth. 16, 18; cf. n. 85 sqq. 154 sqq.)

B. De opere et muneribus Ecclesiae.

903. Ultimis verbis iam indicatum est opus Christi esse Ecclesiam, i. e. religionem illam, quam fundavit cuique commisit suas gratias et suam revelationem; esse socialem, similem quadamtenus illi organisationi, quam ipse Deus fundavit in oeconomia Veteris Testamenti.

In *Vetere* scilicet *Testamento*, i. e. in religione, quam Deus positive instituit eo quod pepigit foedus cum uno populo Israel, ut in ipso benedicerentur omnes gentes, praefiguravit et praeparavit simul religionem definitivam et salutiferam: christianam. Israel erat „gens prophetica“, eius organisatio religiosa erat typus Ecclesiae futurae, eius instituta, sive cultus sive hierarchia sacerdotalis sive magisterium, praesignabant illa perfecta et absoluta, quae in plenitudine temporum condenda erant in Ecclesia (cf. *Ass. 1,* n. 34 sqq., et *Ass. 2,* n. 59 sqq.) [7].

Cum autem tempora a Deo statuta impleta essent, umbram secuta est veritas, promissionem impletio, praedictionem praesentia. *Vetus Testamentum abrogatum, Novum Foedus* conditum est (cf. *Ass. 7,* n. 167 sqq.). Et haec quidem assertio est *de fide* ob textus clarissimos Scripturae et persuasionem unanimem et constantem Ecclesiae, quae hoc ipsum potius supponit quam ut illud diserte credendum proponat (cf. *D* 712; totam deinde doctrinam Concilii Tridentini de iustificatione: *D* 787 sqq.). Hoc porro

foedus novum est definitivum et absolutum (*Ass. 8,* n. 205 sqq.; *Ass. 15,* n. 378 sqq.)[8].

Novum autem Foedus, licet in pluribus dissimile Veteri quia perfectum (cf. *Ass. 6,* n. 153 sqq.; *Ass. 7,* n. 185 sqq.), tamen in aliis, implens typum et figuram, promissiones et vaticinia Veteris, ipsi erat simile, imprimis eo quod et ipsum erat *societas sacra* et *religiosa,* scilicet *ecclesia* (cf. n. 336). Sicut igitur in oeconomia V[is] T[i] bona religiosa illis tantummodo plene tribuebantur, qui erant membra organisationis a Deo in Israel constitutae, ita placuit Deo bona etiam salutis christianae hominibus dare modo sociali, nimirum per Ecclesiam et in Ecclesia Christi. Christus enim, sacerdos et magister et rex, suam propriam missionem munusque suum triplex tradidit suae Ecclesiae.

904. 1. Et primum quidem munus sacerdotale secundum voluntatem Christi Ecclesiae est proprium. Hinc Ecclesiae totum thesaurum *redemptionis* suae omnesque *gratias* commisit, quae eas hominibus distribueret eosque *sanctificaret.*

Verum quidem est auctorem iustificationis et omnis sanctificationis esse solum Deum; „efficiens (causa) vero (est) misericors Deus, qui gratuito abluit (in baptismo) et sanctificat . . .“ (*D* 799), docet *Tridentinum;* at idem concilium addit causam *instrumentalem* iustificationis esse *sacramentum* baptismi. Et in genere loquendo dicendus est Christus Ecclesiae suae ut societati religiosae dedisse media gratiae visibilia et externa, quoad signum quidem externum similia ritibus quibusdam Veteris Legis, quoad efficaciam autem, qua „ex opere operato“ conferunt gratiam, ab iisdem quam maxime diversa.

a) Haec media gratiae sunt augustissimum sacrificium missae et sacramenta. Et sacrificium quidem, quippe quod est actus religionis nobilissimus, neque religioni perfectae et absolutae secundum voluntatem auctoris Christi deesse debuit. Hinc Christus Dominus „in coena novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile (sicut hominum natura exigit) relinqueret *sacrificium,* quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quae a nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur . . . corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit . . . et eisdem (apostolis) eorumque in *sacerdotio* successoribus, ut *offerrent,* praecepit . . .“ (*D* 938). Hoc porro sacrificium „bona omnia per illa (sacrificia Veteris Legis) significata velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur“ (*D* 939). Ita *Tridentinum* definitione sollemni docuit.

Sacrificium igitur ipsius Christi — „una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola ratione offerendi diversa“ (*D* 940) — est simul sacrificium *Ecclesiae,* sacrificium valoris infiniti, quo et Deus summopere glorificatur et fructus sacrificii crucis omnibus fidelibus vivis et defunctis nondum ad plenum purgatis (*D* 940), immo aliquatenus toti mundo tribuuntur. In hoc igitur sacrificio apparet nexus quam artissimus inter Christum suamque Ecclesiam, cuius quippe est non solum auctor, sed sacerdos et hostia perpetua.

905. b) Sacrificium quidem missae recte dicitur ex parte Christi quodammodo efficax „ex opere operato“; communiter tamen haec expressio adhibetur de septem sacramentis, quae Christus instituit (*D* 844) suaeque Ecclesiae tradidit tamquam media gratiae efficacia; „praecipua sanctificationis et salutis media“ (*CIC* 731).

Haec sacramenta *conveniunt* in eo quod sint signa gratiae efficacia, i. e. „continent gratiam, quam significant“ (cf. *D* 849) eamque conferunt ex opere operato (cf. *D* 851). Qua talia manifestant finem Ecclesiae principalem, *sanctificationis* nimirum, et indolem *socialem,* quia sunt signa externa et sensibilia varioque modo conducunt ad rationem socialem fundandam, confirmandam, exprimendam.

Et originem quidem naturalem eorum, qui a Deo destinati et vocati sunt in Ecclesiam, Christus sanctificat sacramento *matrimonii* (*D* 969). Sacramento deinde *baptismi* fit regeneratio spiritualis, in qua peccatum originale, et si quae sunt personalia, remittuntur, et gratia atque dona infunduntur, quibus homo de iure fit membrum Ecclesiae. „Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura“ (*CIC* 87). Vitam in baptismo collatam reparant sacramenta *poenitentiae* et *extremae unctionis,* quorum prius, cum praeter potestatem ordinis requirat potestatem *iurisdictionis* (*D* 895 902 919; *CIC* 870 sqq.), quam clarissime effert indolem sacram simul et socialem. Vitam supernaturalem deinde augent sacramenta *confirmationis* et sanctissimae *eucharistiae.* Atque hoc ultimum sacramentum sane singularem condicionem habet inter media sanctificationis, et propter coniunctionem cum augustissimo sacrificio missae et propter ipsam huius sacramenti naturam, qua in eo Christus est „spiritualis animarum cibus“ (cf. *D* 875). „In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus

Dominus continetur, offertur, sumitur" (*CIC* 801), unus panis in signum unitatis (cf. n. 400).

Ordo denique simul cum baptismo et confirmatione constituit propriam classem sacramentorum, ita quidem ut simul ab his duobus sacramentis non parum differat. Conveniunt nimirum haec tria sacramenta in eo quod animae imprimunt *characterem*, quo signo spirituali et indelebili (*D* 852) deputatur ad cultum et servitium Christi et Dei. Et character quidem in baptismo et, maiore gradu, in confirmatione collatus constituit populum Deo speciali modo sanctum, ad instar fere Israel, qui erat electus et consecratus prae omnibus gentibus. Hinc christianis applicat Petrus verba olim Israelitis dicta: „Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum" (1 Petri 2, 9), quatenus scilicet Christi „sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales caracteres, qui nihil aliud sunt, quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae" [9].

906. c) Hoc autem sacerdotium *generale* omnium christianorum non excludit *speciale*, quod confertur *sacramento ordinis*, a Christo instituto (*D* 957 959 963), quo proprius *character sacerdotalis* animae tribuitur (*D* 960) atque proprius *status clericorum*, a laico distinctus (*CIC* 948) et variis gradibus *hierarchice* constitutus (*D* 960; *CIC* 108, 3) conditur. Recte igitur sacramentum ordinis vocatur sacramentum *paternitatis spiritualis*, quo scilicet organa illa iugiter formantur, quibus ut sacerdotibus reservatum est offerre sacrificium missae, et specialiter collata est potestas homines sacramentaliter sanctificandi; sacramenta enim alia quidem administrari possunt etiam ab iis, qui charactere sacerdotali non sunt insigniti (baptismi, matrimonii), alia nonnisi a sacerdotibus (sacramenta paenitentiae, ss. eucharistiae conficiendae, extremae unctionis), alia a solis episcopis ut superiorem gradum hierarchici ordinis obtinentibus (ordinis et confirmationis, cuius sacramenti episcopus est minister ordinarius: *D* 873). Miro itaque modo indoles socialis atque etiam hierarchica (cf. *D* 960) Ecclesiae illustratur et comprobatur sacramentorum et exsistentia et diversitate, qua „aliud sit alio dignius" (*D* 846).

907. 2. M u n u s d o c t r i n a l e Ecclesiae eodem modo se habet ad eius missionem sacerdotalem et sanctificatoriam, ac munus propheticum Christi ad eiusdem sacerdotium.

a) Sicut enim thesaurum suae redemptionis infinitum Ecclesiae fidelibus dispensandum commisit (*D* 550 sq.), sic etiam *revelationem* tamquam depositum numquam alterandum vel comminuendum eidem sponsae suae Ecclesiae tradidit. „Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret" (*CIC* 1322, 1). Ecclesia proinde non solum est mater vitae supernaturalis, sed etiam *magistra* suorum fidelium omniumque gentium. „Ut autem (ait *Vaticanum*) officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam *instituit* . . ." (*D* 1793), sicut testimoniis ipsius Christi suorumque apostolorum atque totius Ecclesiae primaevae consensu constat (cf. *Ass. 24,* n. 641 sqq.). Munus igitur magisterii a Christo ipso Ecclesiae esse traditum est de *fide definita* (cf. *D* 2145 sqq.).

908. b) Ex qua divina institutione sequitur indoles huius magisterii et traditionalis et infallibilis.

Et *traditionalis* quidem, quia Ecclesiae *depositum fidei* commissum est. „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quam semel declaravit sancta mater Ecclesia . . ." (*D* 1800). Idem porro *Vaticanum,* agens de Romani Pontificis infallibilitate sic ait: „Neque enim Petri successoribus (— atque idem valet generatim de magisterio Ecclesiae —) Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent" (*D* 1836; cf. 783). Revelatio igitur christiana fuit cum apostolis completa (cf. *D* 2021) et hinc vere *apostolica* dici potest (cf. *Ass. 30,* n. 799 sqq.). *Progressus* vero *dogmaticus,* sensu scilicet subiectivo, tam parum alienus est ab Ecclesia, ut eum potius omni quo potest modo foveat (*D* 1800; cf. *Ass. 30,* n. 820 sqq.). Neque solam veritatem revelatam magisterium ecclesiasticum respicit, sed etiam *veritates* alias, quae et quatenus cum revelatis cohaerent (*Ass. 31,* n. 826 sqq.).

Charisma autem *infallibilitatis* Christus ipse tam clare Ecclesiae suae promisit, ut omne dubium tollatur (*Ass. 25,* n. 680 sqq.). Ad testimonia Christi Ecclesiaeque primaevae alia addere vix opus esse videtur; sufficiant verba *Vaticani* de primatu doctrinali Petri eiusque successorum: „Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro eiusque in hac cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium

salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut, sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret" (*D* 1837). Hinc postulare potest a suis fidelibus fidem (divinam) in doctrinam a se tamquam divinitus revelatam propositam: „Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur" (*D* 1792; cf. *CIC* 1323, 1).

909. c) Sequitur porro ex eadem divina institutione revelationem Christi eiusque praedicationem ad *solam* Ecclesiam spectare. „Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate, ius est et officium gentes *omnes* evangelicam doctrinam docendi: hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti *omnes* divina lege tenentur (*CIC* 1322, 2; cf. *Ass. 8,* n. 219; *Ass. 15,* n. 378 sqq.; *Ass. 24,* n. 641 sqq.). *Vaticanum* definivit Deum per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituisse suaeque institutionis manifestis notis instruxisse, „ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci" (*D* 1793). „Quo fit ut ipsa veluti ‚signum levatum in nationes' et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur" (*D* 1794).

Ex hac missione Christi sequitur, quod *Codex Iuris Canonici* sic statuit: „Nemini ministerium praedicationis licet exercere, nisi a legitimo Superiore missionem receperit, facultate peculiariter data, vel officio collato, cui ex sacris canonibus praedicandi munus inhaeret" (can. 1328).

Sequitur denique *intolerantia dogmatica* quae vocatur, quam toties Ecclesiae accusationi vertunt. Est autem haec intolerantia nil aliud nisi fidelitas custodis erga depositum sibi commissum, vel fides sponsae — ita enim vocat Paulus Ecclesiam: sponsam Christi: Eph. 5, 25 — erga sponsi divini mandata, erga sponsi arrham et dotem, erga monilia, quibus sponsus Christus suam sponsam, pretio sanguinis sui, abundantissime adornavit, ut eam „exhiberet ipse sibi gloriosam . . . ut sit sancta et immaculata" (Eph. 5, 27). Hinc arcet omne damnum omnemque alterationem a deposito fidei divinitus sibi collato.

910. d) „Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis pro suis dioecesibus" (*CIC* 1327, 1); atque hi soli sunt *magistri* vi muneris divini, vere *authentici*. Et munus quidem „*omnium* Christianorum pastoris et doctoris" (*D* 1839), „*suprema* quoque magisterii potestas" (*D* 1832) competit *Romano Pontifici*, qui, „cum ex cathedra loquitur . . . ea *infallibilitate* pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide et moribus instructam esse voluit", sicut definit *Vaticanum* (*D* 1839; cf. *Ass. 28,* n. 748 sqq.). „*Episcopi* quoque, licet singuli vel etiam in conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate Romani Pontificis, veri doctores seu magistri sunt" (*CIC* 1326; cf. *Ass. 26,* n. 714 sqq.). Congregati vero in *Concilio Oecumenico,* quod „suprema pollet in universam Ecclesiam potestate" (*CIC* 228, 1) etiam doctrinali, sunt iudices et magistri *infallibiles* (cf. *Ass.* 27, n. 725 sqq.).

Hisce igitur omnes Christi fideles tenentur praestare oboedientiam et *submissionem internam,* i. e. intellectualem, neque solum in decisionibus absolutis et infallibilibus, sed etiam in aliis, licet non eodem in omnibus assensu absoluto; hoc valet de episcopis et conciliis particularibus a Romano Pontifice approbatis (*Ass. 26,* n. 715 sqq.) et de decisionibus Romani Pontificis non-infallibilibus eiusque Congregationum Romanarum (*Ass. 29,* n. 776 sqq.).

„Quamobrem, id quod ex iis, quae dicta sunt apparet, instituit Iesus Christus in Ecclesia vivum, authenticum, idemque perenne magisterium, quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit: eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit . . ." (Encyclica „*Satis cognitum*", ed. *Herder* p. 41; cf. n. 984).

911. 3. Potestas quoque regendi, qua Christus est Messias-Rex, transiit ex voluntate eiusdem Christi, fundatoris, ad Ecclesiam. Christus enim homines „quotquot essent, et quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eumdemque servatorem sequerentur, non tantum seorsim singuli, sed etiam consociati atque invicem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus exsisteret iure sociatus; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subiectus potestati. . . . Ergo Ecclesia societas est ortu divina: fine, rebusque fini proxime admoventibus, supernaturalis: quod vero coalescit hominibus, humana communitas est" („*Satis cognitum*" l. c. p. 47/49; *D* 1959; cf. n. 988 sqq.).

912. *Indolem* hanc suae religionis *socialem* Christus indicavit, annuntians *Regnum Dei* (*Ass. 4—8,* n. 104 sqq.), idque ut internum simul et *externum* (*Ass. 5,* n. 143 sqq.). Vocatione deinde aposto-

lorum (*Ass. 9,* n. 249 sqq.; *Ass. 10,* n. 288 sqq.), quibus dedit potestatem socialem, *auctoritatem* nimirum et *iurisdictionem* (*Ass. 11,* n. 313 sqq.), *instituit* sensu proprio, historico et iuridico, Ecclesiam ut religionem positivam, socialem simul et *hierarchicam* (*Ass. 12,* n. 328 sqq.), inducens inaequalitatem iuris socialis inter pastores et gregem, superiores et subditos.

Immo ipsa sacra auctoritas constat *gradu duplici,* quatenus Petro eiusque in munere successoribus *primatus* iurisdictionis promissus et collatus est (*Ass. 14,* n. 362 sqq.; *Ass. 21,* n. 508 sqq.). „Docemus itaque (definit *Vaticanum*) et declaramus, iuxta Evangelii testimonia primatum iurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse . . .“ (*D* 1822), „qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis . . . vivit et praesidet et iudicium exercet. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet“ (*D* 1824), i. e. „plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent . . .“ (*D* 1831).

913. Ex quibus verbis solis est *de fide definita* Christum sensu proprio, immediate et personaliter, Ecclesiam ut societatem religiosam *instituisse* simulque *formas* sociales, organisationem dico, *essentiales determinasse.* Simul enim cum Romano Pontifice, at eidem subiecti, ex eadem Christi voluntate et institutione immediata, *episcopi* regunt Ecclesiam Dei (*CIC* 329). „Tantum autem abest (ait idem *Vaticanum*), ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae et immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur . . .“ (*D* 1828; cf. *Ass. 19,* n. 458 sqq.; Encycl. *„Satis cognitum“* l. c. p. 69 sqq.; cf. n. 999 sqq.).

Altera igitur *hierarchia,* praeter hierarchiam ordinis antea (n. 906) indicatam, quae „constat episcopis, presbyteris et ministris“, in Ecclesia invenitur ex eiusdem Christi voluntate, hierarchia scilicet *„iurisdictionis,* (quae constat) *pontificatu* supremo et *episcopatu* subordinato; (cui) ex Ecclesiae . . . institutione alii quoque gradus accessere“ (*CIC* 108, 3), qua fit, ut Ecclesia Christi sit simul hierarchica et monarchica (n. 362 sqq.).

914. Sacra autem est utraque hierarchia; *sacra* et religiosa est etiam *auctoritas socialis* Ecclesiae, sive in iis gradibus, quos Christus ipse instituit, sive in aliis, quos Ecclesia vi suae auctoritatis divinae et ducta a Spiritu Sancto addidit. Tota enim derivatur a Christo. Unde sequitur: „Qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, non ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur; sed in gradibus potestatis ordinis constituuntur sacra ordinatione; in supremo pontificatu, ipsomet iure divino, adimpleta condicione legitimae electionis eiusdemque acceptationis; in reliquis gradibus iurisdictionis canonica missione“ (*CIC* 109). Democratia igitur exclusa est ab Ecclesia (cf. n. 385 sq.); „propositio, quae statuit, potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: — *haeretica*“ declarata est a *Pio VI* in Constitutione *„Auctorem fidei“* (28 Augusti 1794; *D* 1502). Porro sequitur: Cum auctoritati respondeat oboedientia, omnes Ecclesiae filii debent auctoritati ecclesiasticae submissionem religiosam; omnibus autem „clericis, pro diversis eorum gradibus et muneribus, reverentiam . . .“ (*CIC* 119) praestare.

915. 4. De relatione munerum et potestatum Ecclesiae inter se.

Et primum quidem agendum de dignitate diversa *munerum,* deinde de relatione quae intercedit inter *potestates* muneribus istis correspondentes.

a) Et *munerum* quidem Ecclesiae inter se habitudinem et dignitatem relativam exponit *Leo XIII* hisce verbis: „Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiae, christianam *doctrinam* tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia; immo ne finis quidem, cuius caussâ est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut Iesus Christus pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quae docuisset quaeque praecepisset, omnia retulit, sic iussit Ecclesiam quaerere in veritate doctrinae, quo homines cum sanctos efficeret tum salvos. Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest: adhiberi necesse est cum Dei *cultum* iustum et pium, qui maxime *sacrificio* divino et *sacramentorum* communicatione continetur, tum etiam sanctitatem *legum* ac *disciplinae.* Ista igitur omnia inesse in Ecclesia oportet, quippe quae Servatoris munia in aevum persequitur; religionem, quam in ea velut *incorporari* ille voluit,

mortalium generi omni ex parte absolutam sola praestat; itemque ea, quae ex ordinario providentiae consilio sunt instrumenta salutis, sola suppeditat" (Encycl. „*Satis cognitum*" l. c. p. 45/47; n. 986).

Ordo munerum Ecclesiae est igitur hic: Primum et nobilissimum est munus *sacerdotale* et sanctificatorium, quo Ecclesia hominibus elargitur gratias Christi, fructus mortis eius expiatoriae; vel potius, ut postea exponendum erit, quo Christus in Ecclesia et per Ecclesiam homines sanctificat. Huic muneri sacerdotali subordinatur munus *doctrinale,* quo Ecclesia veritatem a Christo revelatam sibique a Christo traditam custodit et annuntiat tamquam viam ad vitam, qua omnes incedentes inveniant „fontes salvatoris" salutemque animae suae. Cum porro utrumque bonum, gratiam et veritatem, Christus *ut sociale* voluerit hominibus dare, scilicet in religione sociali et per organisationem religiosam, hinc Ecclesiae datum est tertium munus, *regiminis sacri,* quod sub hoc respectu subordinatur utrique fini Ecclesiae, sanctificatorio et doctrinali.

916. b) Triplici muneri correspondet *triplex potestas,* Ecclesiae ab auctore Iesu Christo data, nimirum potestas sanctificandi, docendi, regendi. Quonam modo hae tres potestates se habent inter se?

Quoniam potestates omnes traditae sunt societati religiosae, recte vocantur omnes *sociales,* quippe quae resident penes societatem et inserviunt bono sociali et communi. Attamen hae potestates sociales diversa obiecta habent, ex quibus specificantur; nam distingui possunt actus socialis auctoritatis (iurisdictionis) circa finem et media sanctificationis, circa veritates magisterio proponendas, circa ipsam organisationem (cf. erectio et circumscriptio dioecesium, paroeciarum; cooptatio in ecclesiasticam hierarchiam et similia; exercitium deinde auctoritatis administrativum, iudiciarium, coercitivum).

Et re quidem vera alia est potestas Ecclesiae circa media sanctificationis, alia circa doctrinam, alia circa ipsam organisationem. *Conveniunt* quidem hae tres species in eo quod certis limitibus, ab ipso Christo positis, circumscribuntur; nam potestas ecclesiastica nil mutare potest, quod Christus determinavit tamquam suae Ecclesiae proprium et essentiale. Id quod valet tum de mediis gratiae quae instituit (de sacrificio et de sacramentis), tum de doctrina, quam Ecclesiae ut depositum tradidit, tum de forma organisationis essentiali, scilicet de duplici hierarchia. Conveniunt porro in eo quod salva substantia eorum

quae Christus instituit, alia relinquunt Ecclesiae potestati, e. g. certas quasdam formas cultus et ritus accidentales, qui se subdunt formae a Christo determinatae; vel, quod ad potestatem doctrinalem attinet, veritates a Christo revelatas ulterius enucleare et disertius proponere; vel, quod ad potestatem regendi ipsamque organisationem attinet, sedes novas condere episcopales, quibus nimirum munus a Christo institutum episcopale traditur exercendum.

917. At maxime *differt* ab hac potestate iurisdictionis illa sanctificatoria, quae exercetur in offerendo sacrificio missae et in administrandis sacramentis *(potestas ordinis).* Ritus scilicet illi, quos ipse Christus ut media efficacia gratiae instituit, sunt *actiones vicariae Christi;* hinc actus ab homine, qui unum ex his ritibus exercet, positus non procedit ex potestate propria sed *vicaria.*

Potestas enim propria et vicaria distinguuntur ratione principaliter agentis; si scilicet ille, qui physice aliquem actum ponit, etiam in ordine morali est eiusdem actus auctor principalis, agere dicitur nomine proprio et potestate *propria.* Si vero agit nomine alterius, qui proinde est actus causa principalis, dicitur agere potestate *vicaria;* actus vero in ordine morali tribuitur principaliter agenti, et non vicario. Utraque potestas potest esse *ordinaria* seu muneri annexa, vel *delegata* seu immediate collata (cf. *CIC* 196 197; cf. supra n. 315)[10].

Immo sunt ritus, quos valide ponere non possit, nisi qui sit *ordinatus,* i. e. proprio sacramento deputatus ad hos ritus exercendos; ad quos ritus pertinent praeter oblationem sacrificii sacramenta poenitentiae, (confirmationis,) eucharistiae, extremae unctionis. Ad hos ritus ponendos minister Christi proprio ritu sacramentali et speciali charactere magis etiam configuratur Christo-Sacerdoti, et ita idoneum redditur instrumentum Christi. Ipse deinde *ordo* administrandus (et sacramentum confirmationis) requirit deputationem et characterem *episcopalem.*

Recte igitur haec potestas plane singularis vocatur *potestas ordinis* atque a potestate iurisdictionis contradistinguitur. Notandum tamen est in sacramento *poenitentiae* accedere ad potestatem ordinis potestatem iurisdictionis. „Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem" (*CIC* 872; cf. *D* 895 902 919). — *Duplex* inest igitur in Ecclesia *iurisdictio:* „alia est *fori externi,* alia *fori interni* seu conscientiae, sive sacramentalis, sive extra-sacramentalis" (*CIC* 196). Prior, fori nimirum *externi,* inest Ecclesiae ut potestas propria et intendit directe bonum sociale et commune, indirecte bonum singulorum et privatorum. Altera vero, iurisdictio scilicet fori *interni,* est Ecclesiae vicaria; respicit directe et primarie singulorum fidelium utilitatem eorumque relationes individuales ad Deum, secundarie et consequenter redundat

in utilitatem publicam et socialem. Prior exercetur in facie Ecclesiae („in foro externo"), altera in conscientia („in foro interno"). Prout deinde haec ultima iurisdictio exercetur in sacramento poenitentiae vel extra illud (cf. dispensatio a voto et alia), distinguitur forum internum *sacramentale* et *extra-sacramentale*.

918. Hinc potestates Ecclesiae a Christo datae apte ita dividuntur, ut haec statuantur:

1. Potestas Ecclesiae, ratione principaliter agentis, est

a) potestas *vicaria:* ordinis (accedit iurisdictio fori interni);
b) potestas *propria:* iurisdictionis (fori externi).

2. Iurisdictio, ratione finis et obiecti, est

a) potestas magisterii, cuius finis est illustratio intellectus, cuius obiectum est doctrina a Christo revelata et veritates cum ea cohaerentes;

b) potestas regiminis, quae complectitur omnes actus sociales auctoritatis, qui respiciunt vel *finem* (sanctificatorium et doctrinalem) Ecclesiae, ut e. g. ritus determinandos accidentales, festa celebranda, praescribere professionem fidei explicitam circa veritates ab Ecclesia definitas; ieiunium observandum certis diebus et alia; vel ipsam *organisationem* Ecclesiae; omnes denique actus administrativos, iudiciales, coercitivos [11].

C. De triplici relatione inter Christum et Ecclesiam.

919. Perpensis iam operibus et muneribus necnon potestate Christi et Ecclesiae, indicato porro modo, quo Ecclesia cum Christo cohaeret, iam ulterius haec Ecclesiae ad Christum auctorem relatio explicanda, evolvenda, dilucidanda est.

Haec autem *relatio Christi ad Ecclesiam triplex* recte dici potest, quatenus videlicet Christus est Ecclesiae suae (1) *auctor;* ipse eam instituit eique formam essentialem dedit voluntate positive manifestata; (2) Christus est Ecclesiae suae *praesidium* et munimentum, ratio igitur indefectibilitatis Ecclesiae, et quoad exsistentiam et quoad munera Ecclesiae concredita; (3) Christus est Ecclesiae suae *caput vivum et vivificans,* ex quo vita iugiter dimanat in totum corpus, quod sic constituitur „corpus Christi".

1. Christus est auctor suae Ecclesiae.

920. Auctor Ecclesiae est Iesus Christus *sensu* maxime *proprio.* Ipse enim, hisce in terris degens, hanc societatem religiosam condidit eique nomen *Ecclesiae suae* imposuit (*Ass. 12,* n. 328 sqq.). „Firma pariter fide credo Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, *per* ipsum *verum atque historicum Christum,* cum

apud nos degeret, *proxime ac directo institutam* eandemque super Petrum, apostolicae hierarchiae principem, eiusque in aevum successores aedificatam" (*D* 2145). Neque quicquam novi hisce verbis *Iurisiurandi contra errores modernismi* doceri patet vel ex sola comparatione cum definitione *Vaticana* (*D* 1793 sq.). Et quoad potestatem *sanctificatoriam* et sacerdotalem, maxime quoad sacrificium missae (*D* 938 949) et sacerdotium (*D* 949 957 961) necnon sacramenta (*D* 844), et quoad potestatem *magisterii* (*D* 1794 1798 1800), et quoad potestatem *regiminis* formasque organisationis essentialis (*D* 960 967 1821 sqq.), est *de fide definita* ipsum Christum esse auctorem sensu historico et iuridico Ecclesiae suae.

Immo, cum sit Ecclesiae „iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum" (*D* 1788), sicut denuo definivit *Vaticanum,* non semel Ecclesia authentice et absolute indicat textus, *effata* nimirum *Christi,* quibus Ecclesiam suam eiusque instituta condiderit.

Concilium Tridentinum non solum definivit Christum septem sacramenta instituisse (*D* 844), sed insuper quoad singula sacramenta addit haec: Sacramentum *poenitentiae* „tunc praecipue *instituit,* cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (Io. 20, 22 sq.; *D* 894; cf. 902 920). Sacramentum deinde *ss. eucharistiae* Christum instituisse in ultima coena, verbis ab evangelistis (Matth. 26, 26 sqq. Marc. 14, 22 sqq. Luc. 22, 19 sqq.) et a Paulo relatis (1 Cor. 11, 23 sqq.; *D* 874 930). *Sacrificium* porro et *sacerdotium* eisdem verbis eadem occasione (*D* 938 949), et sacerdotium quidem ut sacramentum (*ordinis: D* 957 961), quod est hierarchice constitutum (*D* 960 966).

Magisterium idque infallibile Petro traditum esse supremum in universam Ecclesiam simul cum primatu (*D* 1832 sqq.); *primatum* autem Petro esse promissum verbis Christi Matth. 16, 16 sqq., collatum ab eodem verbis a Ioanne relatis 21, 15 sqq. definivit *Vaticanum* (*D* 1822).

921. Omnis igitur *evolutio naturalis,* qualem fingunt modernistae, penitus excluditur Ecclesiae definitionibus sollemnibus. Quae scilicet docet *modernismus* de origine et natura sacramentorum (*D* 2039 sqq. 2088), de evolutione doctrinae atque dogmatis (*D* 2020 2058 sqq. 2079 sqq. 2089) et de indole magisterii ecclesiastici (*D* 2007 2093 sq.), de Ecclesiae denique constitutione (*D* 2052 sqq. 2091), iam pridem exclusa erant doctrina Ecclesiae

minime dubia eaque absoluta. Simile quid valet de interpretatione organisationis et hierarchiae Ecclesiae tamquam *assimilationis* religionis christianae ad organisationes profanas vel tamquam *adaptationis* formae socialis religiosae, quae aliunde, naturali quadam evolutione, neque vero ex Christi mente et intentione, ortum duxerit.

Talis auctor tali modo cum sit Christus Ecclesiae suae, sane fatendum erit *nullam societatem religiosam* nullamque religionem *cum Ecclesia comparari posse.* Est etenim auctor divinus, qui potestate sua divina instituit suam Ecclesiam; Ecclesia igitur est originis supernaturalis et divinae. Una autem religio, quae origine divina gloriari atque sub hoc respectu in comparationem adduci possit, religio et organisatio *Veteris Testamenti,* iam non exsistit ut talis (*Ass. 7,* n. 167 sqq.), quia non erat nisi typus et praeparatio et promissio Regni Dei futuri: Ecclesiae Christi [12].

2. Christus est praesidium suae Ecclesiae.

922. Relatio *auctoris divini,* Iesu Christi, ad suam fundationem, Ecclesiam dico, alia sane est ac relatio auctoris et fundatoris humani ad societatem quam instituit. *Auctor* enim *humanus,* secedens ex hoc mundo, ipsum suum opus relinquit; atque vinculum iuridicum personale cum societate ab eo fundata intercíditur. Indole forte, quam societati indidit, perseverat quodammodo in suis; at interitu ipsius fundationis omnis relatio iam disparet. Et quaenam organisatio, *mere* humana, effugiet hanc sortem?

Aliter res se habet in fundatione religiosa Iesu Christi. Nam ipse *Ecclesiam* suam voluit esse *universalem* (*Ass. 8,* n. 205 sqq.) et perennem (*Ass. 15,* n. 378 sqq.); qua voluntate *absoluta* et *efficaci* eam exemit interitu. Haec autem voluntas Christi efficax includit *assistentiam* perennem et praesidium perpetuum, quibus Ecclesia, non obstantibus maximis periculis, impugnationibus, inimicis, non solum *permaneat* usque ad finem saeculi, sed etiam *munera* sua omni qua par est fidelitate *adimpleat.*

„Cum *divinum munus eius* (Iesu Christi) *perenne* ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes: cumque Spiritum veritatis in eos devocasset e caelo, praecepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent: hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam (Encycl. „*Satis cognitum*“, ed. *Herder* p. 9/11; n. 969).

Hisce verbis *Leo XIII* ultimam indicat rationem universalitatis et perennitatis Ecclesiae, atque inde consequentem necessitatem praesidii quoque divini perennis. Idem deinde ipse Christus suae Ecclesiae diserte promisit assistentiam suam usque ad consummationem saeculi (Matth. 28, 20) per Spiritum Sanctum (Io. 14, 16).

923. Inde *indefectibilitas Ecclesiae,* quam Paulus extollit (cf. n. 227 sqq. 382) atque omnes Ecclesiae aetates praedicant. „Ob id (ait *Ignatius Antiochenus* Ephesiis [17, 1]) Dominus in capite suo accepit unguentum, ut Ecclesiae spiret incorruptionem.“ *Irenaeus* comparat fidem veram deposito Ecclesiae tradito, „quasi in vase bono eximium quoddam depositum iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas in quo est . . .“ (Adv. haer. 3, 24, 1; *R* 226). Verba *Ioannis Chrysostomi* et *Augustini* affert Encyclica „*Satis cognitum*“: „Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia. Caelo excelsior et terra latior est illa. Numquam senescit, sed semper viget“ (Hom. de capto Eutrop. n. 6). „Nutabit Ecclesia (ita *Augustinus* in Enarr. in psalm. 103, sermo 2, n. 5), si nutaverit fundamentum; sed unde nutabit Christus? . . . Non nutante Christo, non inclinabitur in saeculum saeculi. Ubi sunt qui dicunt periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?“

924. Haec porro est doctrina Ecclesiae. „Quemadmodum igitur (ait *Vaticanum*) Apostolos, quos (Christus) sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita *in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit.* Ut vero *episcopatus* ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso *instituit perpetuum* utriusque unitatis *principium* ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem *aeternum* exstrueretur *templum,* et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret“ (*D* 1821). Ecclesia proinde atque eius munera potestatesque permanebunt usque ad finem mundi, vivent, vigebunt, agent usque ad consummationem saeculi, neque disparebunt neque succumbent portis inferi (Matth. 16, 18) neque umquam ullo modo diminuentur.

a) Thesauri Ecclesiae numquam exhaurientur; fontes *gratiae,* „aquae salientis in vitam aeternam“ (Io. 4, 14), neque exarescent neque benedictiones suas convertent in maledictionem aut in animarum ruinam.

b) „Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis“ (1 Tim. 3, 15), assistentia Spiritus Sancti ab omni semper errore illibata

permanet (cf. *D* 1836), cum eius *magisterio* atque etiam seorsim soli „Petro eiusque in hac cathedra (romana) successoribus divinitus collatum sit . . . veritatis et fidei numquam deficientis charisma“ (*D* 1837).

c) Tertium denique munus Ecclesiae, *regiminis* intellege, eadem perpetuitate simul cum Ecclesia frui necesse est; sufficit recolere verba, quibus *Vaticanum* perpetuitatem *primatus* definivit: „Si quis ergo dixerit non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores . . . anathema sit“ (*D* 1825).

Hac ergo ratione Ecclesia facta est „*perpetuum . . . motivum credibilitatis* et divinae suae legationis testimonium irrefragabile“, vere, sicut idem *Vaticanum* docet, „signum levatum in nationes (Is. 11, 12)“ (*D* 1794), *miraculum perenne,* sigillum divinum suae originis supernaturalis et divinae, adiutorii quoque numquam intermittentis, quo Christus comitatur suam Ecclesiam usque ad finem temporum (cf. n. 599 sqq.).

3. Christus est caput vivum et vivificans suae Ecclesiae.

925. Iesus Christus non solum est auctor et fundator suae Ecclesiae, et qua talis vinculo iuridico cum ipsa coniunctus tempore vitae; sed, quemadmodum ex iugi protectione apparet qua adiuvat eandem, etiam post mortem et ascensionem suam mansit *caput vivum* Ecclesiae, cui ipsa subiecta est. Et re quidem vera Petrus eiusque successores in primatu non sunt nisi „vicarii“ Christi, non eo sane sensu, ut non utantur potestate propria, sed eo sensu, ut his in terris vices gerant Christi, proprii regis sui Regni et capitis suae Ecclesiae, eiusque nomine et auctoritate regant fideles christianos. Christus enim, secedens ex hoc mundo et revertens ad Patrem, non iam visibiliter ut caput apparet et agit; hinc societati religiosae a se conditae, humanae et visibili, visibile praeposuit caput in Petro, primate totius Ecclesiae.

At haec *relatio moralis* et *iuridica* nequaquam est unica, quae inter Christum suamque Ecclesiam intercedit; accedit alia, intimior magisque correspondens et consiliis divinis, quibus Ecclesiam condidit et indoli ipsius Ecclesiae tamquam societatis religiosae salutiferae. Sanctus Paulus has relationes explicat atque comprendit in epistula ad Ephesios: „. . . sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo (vitae), ut exhiberet ipse sibi (sponsam) gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. . . . Nemo enim umquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet

eam, sicut et Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius“ (5, 25—27 29 sq.). Ratio est, quia „Christus caput est Ecclesiae, ipse, salvator corporis eius“ (5, 23).

Caritate igitur singulari Christus dilexit et diligit Ecclesiam suam sicut *sponsam* suam, immo ut *corpus* suum, cuius ipse est caput, unione quadam vitali cum corpore-Ecclesia coniunctum. Utraque comparatio paulo latius explicanda manet.

a) Ecclesia est sponsa Christi.

926. Iam in libris V^is^ T^i^ *Iahve* describitur ut sponsus atque se ipse nominat sponsum populi sui electi Israel (Os. 1—3. Is. 1; 54; 57; 61; 62. Ier. 2—3. Ez. 16. Ps. 44. Cant.)[13]. Magna dederat monilia populo suo; at haec omnia non erant nisi typi illarum dotum, quas promisit et praedixit se daturum in nova et aeterna desponsatione illa, qua in plenitudine temporis hominibus sese devinciret in iustitia et misericordia, foedere novo immutabili salutari, in Ecclesia nimirum.

Hinc *Christus* ipse sese vocavit sponsum generis humani a se redempti. Ioannes Baptista, „amicus sponsi“ (Io. 3, 28 sq.) et paranymphus, gaudens audivit vocem sponsi eique sponsam adduxit; „hoc ergo gaudium meum impletum est“ (3, 29). Propter idem gaudium „filii sponsi“ non possunt lugere, „quamdiu cum illis est sponsus“ (Matth. 9, 15). Lugebunt et ieiunabunt, quando sponsus ablatus fuerit ab iis (l. c.); at iterum veniet, invitans ad nuptias suas regales omnes qui parati fuerint (25, 1 sqq.). *Ioannes* in Apocalypsi loquitur de nuptiis Agni (19, 7 sqq.), de Ierusalem nova, quae ornata sit velut sponsa (21, 2 9). „Et Spiritus et sponsa dicunt: „Veni!“ (22, 17.) Eundem usum loquendi, ab ipso Christo consecratum, adhibet *Paulus,* et in epistula ad Ephesios et antea in secunda ad Corinthios, describens zelum quo ardet, ut christianos dignos reddat, qui efforment sponsam Christi: „Aemulor enim vos Dei aemulatione; despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo!“ (11, 2.)

Magisterium Ecclesiae, in damnando errore *Petri Ioannis Olivi* (*D* 480) haec dicit: „Et quod in hac assumpta natura ipsum Dei Verbum . . . emisso iam spiritu perforari lancea sustinuit latus suum, ut exinde profluentibus undis aquae et sanguinis formaretur unica et immaculata ac virgo sancta mater Ecclesia, coniux Christi, sicut de latere primi hominis soporati Eva sibi in coniugium est formata. . . .“

927. Eandem comparationem exposuerunt deinde *Patres* Ecclesiae, ut *Augustinus*[14], enucleaverunt *scholastici,* sicut *Doctor An-*

gelicus[15], interpretati sunt auctores etiam *recentiores*, e quibus verba *C. Passaglia*[16] afferamus: „Praeclara est igitur similitudo, qua hinc Adam et Eva, inde autem Christus et ecclesia sibi mutuo respondent. Quemadmodum enim (I) Eva ex Adami dormientis latere sumpta fuit, atque eiusdem idcirco filia censeri laxius potuit; ita ex latere Christi dormientis ecclesia prodiit, cuius idcirco filia nuncupatur. — Quemadmodum (II) de Adamo et Eva scriptum legimus: ‚Et erunt duo in carne una'; ita Paulo interprete, ‚sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo et in ecclesia'. — Quemadmodum (III) ex Adam Evaeque consortio omnes propagantur filii hominis; ita ex Christi ecclesiaeque connubio omnes nascuntur filii Dei, qui propterea non minus germen sunt secundae Evae, quae est ecclesia, mater omnium vitam spiritus viventium, quam sint caro de carne Christi et os de ossibus eius. — Quemadmodum (IV) adhaerebat Adam uxori suae, illamque fovens ac regens praesidio suo tuebatur; ita Christus ecclesiam diligit, illamque veluti propriam carnem pascit ac nutrit. — Quemadmodum postremo (V) Adami et Evae copulatio fuit inseparabilis; ita individuum est Christi cum Ecclesia coniugium, neque ab ecclesia magis dividi Christus potest, quam possit a semetipso suaque carne separari. Quam unitatem ex habitu sponsi ac sponsae, individuoque connubio profectam obsignavit Christus, mirumque in modum provexit, ecclesiam sponsam sua carne alens, corpusque suum suo sanguine potans" (814 sq.). Paulo post ita complectitur idem auctor fructus huius, Ecclesiae cum Christo, coniunctionis: „ecquidnam . . . est, quod sua cum Christo copulatione ecclesia non nanciscatur? Nanciscitur interiorem unitatem, motum, vitam: nanciscitur supernam tutelam praesidiumque caeleste: et omnino nanciscitur, ut ex aequo dici credique debeat, tum humana, propter homines quibus componitur, tum divina, propter caput quocum cohaeret, propter sponsum cuius est caro, et propter cibum quo nutrita redditur christifera, et concorporea et consanguis Christi evadit" (817).

Omnia sane Ecclesia, ut Christi dilecta sponsa, participat: statum et dignitates et divitias et ipsas vitae condiciones, totam „plenitudinem Christi" (Eph. 1, 23).

b) Ecclesia est corpus Christi.

928. „Huic schemati sponsi et sponsae affine est, et ab ipso apostolo Eph. 5 connexum alterum, sed adhuc expressius ad declarandam ineffabilem sublimitatem Ecclesiae, quo haec exhibetur velut corpus Christi. Secundum hanc rationem S. Paulus data opera Ecclesiam describit 1 Cor., Eph., Coloss.; unde hic modus

considerandi Ecclesiam non solum apud SS. Patres et Doctores communis est, sed etiam populo christiano familiaris, eoque manifestior eius praestantia, ut fere dici possit *christiana definitio Ecclesiae*"; ita *Franzelin*[17]. Haec iam definitio Ecclesiae explicanda est secundum doctrinam Pauli, Patrum, scholae theologicae et mediae et recentioris aetatis, ut inde manifestum fiat praeclara sane de hac comparatione scripta esse, at omnia reduci ad *Pauli* doctrinam, quam neque ipse primus finxit, sed tamquam sibi *traditam* fidelibus suis exponit.

929. α) *Apostolus,* loquens de Ecclesia tamquam de corpore Christi, sane non intellegit corpus Christi *physicum,* formatum per Spiritum Sanctum ex Maria Virgine, oblatum pro nobis in sacrificio crucis, praesens etiam nunc in terris in ss. eucharistia; neque intellegit corpus sensu illo latiore *morali* quo quamlibet societatem corpus dicere solemus, sed sensu aliquo *peculiari,* qui in nulla alia organisatione verificatur. *Christus* enim est Ecclesiae, corporis sui, *caput vivificans.* Vita, quam Ecclesiae communicat, est vita supernaturalis, gratiae, filiationis divinae (Rom. 6, 1 sqq.; 8, 1 sqq. Tit. 3, 5), vita his in terris quidem abscondita sub velamine mysterii, manifestanda autem in altera vita (1 Cor. 13, 10 sqq. 2 Cor. 4, 16 sqq.). Quae vita singulis hominibus secundum voluntatem Christi communicatur ut membris *corporis Christi,* i. e. Ecclesiae. A capite igitur, Christo, descendit haec vita in organismum, per cuius venas transfunditur in omnes partes singulaque membra. „. . . Christus caput est Ecclesiae, ipse, salvator corporis eius" (Eph. 5, 23); hisce verbis Paulus indicat fontem huius vitae, redemptionem (Col. 1, 18 sqq. Tit. 2, 14). Christus enim „dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . ." (Eph. 5, 26). Finis igitur Ecclesiae est in eo ut homines participes faciat fructuum redemptionis Christi simulque ex iis efformet organismum supernaturalem, familiam quodammodo Dei (Eph. 2, 19; cf. 2, 6; 3, 6), immo unum *corpus vivum,* coniunctum cum capite vivo, „ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei" (Col. 2, 19; cf. Eph. 2, 21; 4, 15 sq.). Huic corpori eiusque vitae inserviunt omnia charismata et ministeria, quae Christus suae Ecclesiae dedit (1 Cor. 12, 1 sqq. Rom. 12, 3 sqq. Eph. 4, 11), scilicet „ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi . . . in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus" (Eph. 4, 12 13 15).

Ita Paulus describit Ecclesiam, mysterium Ecclesiae, pervium non cognitioni naturali, sed fidei dumtaxat: „Credo sanctam Ecclesiam." Quae igitur non solum est societas religiosa, quae sibi Deum colendum proposuit; neque est societas inde solummodo ab aliis distincta, quod ab ipso Deo fundata sit; neque ideo tantum est mysterium fidei, quod est depositorium gratiae et veritatis revelatae; sed *Ecclesia ipsa,* in sua natura et essentia, est *supernaturalis,* utpote *corpus Christi vivum* vita ipsius Christi, vitaque supernaturali. Ex „plenitudine Christi" (cf. Col. 2, 9 sq.) replentur omnia eius membra, ita ut Ecclesia ipsa sit „plenitudo eius, qui omnia (in) omnibus adimpletur (replet)" (Eph. 1, 23). Hinc mysterium Ecclesiae est ipsum mysterium Christi (Col. 2, 2. Eph. 3, 3 sqq.)[18].

Eundem apostolum hac eadem comparatione corporis uti, ut inde ostendat indolem *externam, socialem, organisatam, hierarchicam* Ecclesiae, supra vidimus, agentes de relatione inter Ecclesiam universalem et ecclesias particulares (n. 392), de unitate Ecclesiae universalis (n. 404 sqq.) deque indole hierarchica ecclesiarum particularium (n. 410 sqq.)[19]. Ex hac proinde imagine corporis tota natura et essentia Ecclesiae apprime ostenditur atque, curnam *Franzelin* eam vocaverit „christianam definitionem" Ecclesiae, explicatur.

Similis est comparatio, quam legimus in evangelio Ioannis, qua Christus sese comparat cum *viti,* suos vero fideles cum *palmitibus,* viti insertis et ab ea sucum vitalem recipientibus (15, 1 sqq.)[20]. „. . . ubi se dicit Dominus vitem et discipulos suos palmites, secundum hoc dicit (ait *Augustinus*), quod est caput Ecclesiae nosque membra eius, mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Unius quippe naturae sunt vitis et palmites. Propter quod, cum esset Deus, cuius natura non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis, humana natura, cuius et nos homines palmites esse possemus" (Tract. in Io. 80, 1; *MSL* XXXV, 1839)[21].

930. β) „*Patres* vero toties fere vivificum hunc Christi capitis in membra influxum asserunt, quoties docent, quidquid gratiae nobis inest, ex Christo in nos redundare. Quod cum compertissimum ex illis sit, testimoniis non est comprobandum. Tantum quaedam verba magis singularia *Origenis* adducemus, qui ita scribit adversus Celsum (6, 48): ‚Discimus ex divinis scripturis, totam Dei Ecclesiam esse Christi corpus a Dei Filio animatum, membra autem illius corporis ut totius eos esse omnes, qui credunt; quoniam sicut anima vitam et motum impertit corpori, quod a seipso natura sua moveri vitaliter non potest, ita Verbum, corpus totum seu Ecclesiam ad ea, quae opus sunt, movens et agens, etiam singula membra eorum, qui ad Ecclesiam pertinent, movet, ita

ut nil sine Verbo faciant.'"[22] *Augustinus* saepe hanc comparationem excolit. „Quomodo ergo anima totum corpus nostrum animat et vivificat, sed in capite et vivendo sentit et audiendo et odorando et gustando et tangendo, in ceteris autem membris tangendo tantum: et ideo capiti cuncta subiecta sunt ad operandum, illud autem supra collocatum est ad consulendum; quia ipsius animae, quae consulit corpori, quodammodo personam sustinet caput — ibi enim omnes sensus apparent —, sic universo populo sanctorum tamquam uni corpori caput est mediator Dei et hominum homo Christus Iesus" (De agone christ. 20; *MSL* XL, 304; cf. *R* 1479).

931. γ) Vestigiis inhaerentes Patrum magni *theologi* mediae aetatis et temporis posterioris corpus Christi explanaverunt, inter quos eminet *S. Thomas Aquinas,* qui in operibus suis vel exegeticis vel systematicis pluries de hoc Ecclesiae mysterio eruditissime et profundissime disserit, imprimis in Summa Theologica (3, q. 8) et in quaestione De veritate (q. 29, a. 4)[23]. Ex qua pauca excerpta doceant, quonam modo Angelicus concipiat relationem Christi capitis ad Ecclesiam. „. . . in spiritualibus caput dicitur per transsumptionem a capite corporis naturalis; et ideo consideranda est habitudo capitis ad membra, ut appareat, qualiter Christus sit Ecclesiae caput. Invenitur autem caput ad alia membra esse in duplici habitudine; scilicet (1) distinctionis et (2) conformitatis. Distinctionis autem quidem primo (a) quantum ad dignitatem . . .; secundo (b) ratione gubernationis . . .; tertio (c) ratione causalitatis (influxus) . . . Invenitur etiam triplex conformitas capitis ad membra; prima (a) quidem secundum naturam . . .; secunda (b) ratione ordinis . . .; tertia (c) . . . ratione continuitatis; caput ceteris membris in corpore naturali continuatur. Secundum has ergo conformitates et distinctiones nomen capitis diversimode secundum metaphoram diversis attribuitur. . . .

„(Christus vero secundum humanam naturam dicitur secundum modos praedictos caput Ecclesiae.) Est enim eiusdem naturae secundum speciem cum ceteris hominibus; et sic competit ei caput ratione *dignitatis,* secundum quod gratia in eo abundantior invenitur. Est etiam invenire in Ecclesia ordinis unitatem, secundum quod membra Ecclesiae sibi invicem deserviunt et ordinantur in Deum; et sic Christus dicitur Ecclesiae caput ut *gubernator.* Est etiam in Ecclesia continuitas quaedam ratione Spiritus Sancti, qui unus et idem numero totam Ecclesiam replet et unit; unde etiam et Christus secundum humanam naturam dicitur caput ratione *influentiae.* Sed ad spiritualem sensum et motum potest

aliquis intellegi influere dupliciter: uno modo sicut *principale agens;* et sic solius Dei est influere gratiam in membra Ecclesiae; alio modo *instrumentaliter;* et sic etiam humanitas Christi causa est influentiae praedictae . . . sicut ferrum urit propter ignem sibi coniunctum, ita actiones humanitatis Christi erant propter Divinitatem unitam, cuius quasi organum erat ipsa humanitas. . . .

„Ut ergo proprie loquamur, *Christus totus secundum utramque naturam* simul est *caput totius Ecclesiae* secundum tres condiciones praedictas. Et per has tres condiciones apostolus probat ad Col. 1, 18 Christum Ecclesiae caput, sic dicens: ‚Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens': quoad *gubernationem;* ‚quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare': quoad *dignitatem;* ‚et per eum reconciliare omnia': quoad *influentiam*" (De verit. q. 29, a. 4).

Longum est seriem enumerare aliorum *theologorum*, Thomae aequalium vel eidem subsequentium, qui egregie de Ecclesia, corpore Christi mystico, scripserunt, usque ad nostra tempora [24]. „Christus autem Deus-homo est caput Ecclesiae (ait *Ch. Pesch*), a) ratione dignitatis, quatenus est nobilissima pars istius corporis moralis, quod vocatur Ecclesia; b) ratione dominationis, quia est auctor et supremus rector Ecclesiae, a quo omnis ecclesiastica potestas derivatur; c) ratione sanctificationis, quia omnem gratiam meruit et media sanctificationis instituit et tamquam supremus sacerdos applicat." [25]

Recte igitur corpus istud supernaturale, sola fide percipiendum, vocatur *„mysticum"*, i. e. non physicum neque solum morale neque omnino naturale, sed *supernaturale, mysterium* scilicet Ecclesiae, eius vitae eiusque coniunctionis vitalis cum Christo capite vivo [26].

932. δ) Optime sane *ex hac comparatione* corporis mystici Christi ipsius Ecclesiae *munera* et *organisatio* explicantur.

Et primum quidem *munera* Ecclesiae perstringamus. Munus *doctrinale,* praedicatio evangelica, est ministerium corporis Christi, actus eius vitalis. Numquam haec praedicatio intermittetur; numquam deerunt magistri authentici, numquam praecones, qui caritate Christi urgente verbum Dei seminabunt in agros mundi (cf. n. 285). At praeter hanc vitalem *perennitatem* alia etiam ratione vita corporis mystici in magisterio sese manifestabit, scilicet *progressu dogmatico* subiectivo (*Ass. 30,* n. 820 sqq.), qui intime cohaeret cum Ecclesiae sanctitate et munere sanctificatorio (cf. n. 870 sq.). Nam ipse hic progressus fit gratia Spiritus Sancti,

illustrantis mentes fidelium ac primarie magisterii authentici, quod insuper charismate infallibilitatis (*Ass. 25*, n. 680 sqq.) praeservatur ab errore. Ita Ecclesia, sicut apostolus, potest et debet redigere „in captivitatem . . . omnem intellectum in obsequium Christi" (2 Cor. 10, 5), ut „omnes occurramus in unitatem fidei et agnitionis filii Dei" (Eph. 4, 13), ut omnes possint „comprehendere . . . quae sit latitudo et longitudo et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi", ut impleantur „in omnem plenitudinem Dei" (3, 18 sq.).

Clarius etiam alterum munus Ecclesiae, *sacerdotale* et *sanctificatorium,* intellegitur ex hac comparatione. Quia Ecclesia est corpus vivum Christi, hinc valet sanctificare homines, seu potius: hinc valet Christus per Ecclesiam tamquam instrumentum vivum sibi coniunctum homines participes reddere fructuum redemptionis suae. Christus nimirum est et manet unus et unicus sacerdos; ipse in missa offert idem sacrificium, quod in cruce obtulit, „sola offerendi ratione diversa"; at „sacerdotum ministerio" (*D* 940). Per sacerdotem profert ipse Christus verba consecrationis atque offert sacrificium incruentum missae. Eodem modo per homines ipse Christus sacramenta conficit et administrat; haec enim signa efficacia sunt gratiae, quia ponuntur suo mandato et in suo nomine. Sunt etenim, ut antea (n. 917) dictum est, *actiones vicariae Christi.* Posita actione, quam Christus instituit et cui ipse efficaciam tribuit, eo modo quo voluit, sequitur effectus salutaris vi voluntatis Christi, independenter a ministro humano, qui est Christi instrumentum. Tam arcta est conexio inter Christum eiusque corpus, Ecclesiam, ut actus potestatis ordinis sint actiones ipsius Christi. Tam sublimis est vita huius corporis mystici, ut vero sensu dici debeat vita Christi.

Centrum vero, sicut cultus Ecclesiae, ita etiam vitae, quae iugiter dimanat a capite in organismum eiusque membra, est augustissimum mysterium *ss. eucharistiae.* Hoc enim in se continet et *sacrificium,* quod Christus „dilectae sponsae suae Ecclesiae" (*D* 938) reliquit, oblationem mundam in omni loco offerendam usque ad finem saeculi, „sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel" (Hebr. 12, 24), diffundentem fructus sacrificii crucis infinitos Ecclesiae, mundo toti, purgatorio, caelo, et *sacramentum,* „in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit" (*D* 875) ut „ipse sanctitatis auctor" (*D* 876), in quo sub mysterio fidei habitat inter homines, comitatur viatores ad patriam, immo carne sua vivificante et sanctificante „tamquam spirituali animarum cibo" (*D* 875) nutrit et fovet membra sui corporis, „pignus praeterea . . . esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae

felicitatis adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput exsistit . . ." (*D* 875)[27].

933. Ipsa quoque *organisatio* Ecclesiae imagine corporis Christi praeclare illustratur, duplex nimirum elementum, quod in Ecclesia apparet, externum et internum. „Propter eam rem (ait *Leo XIII*), quod *corpus* est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est *Christi*, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Iesus Christus, in eum fere modum, quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet. . . . *Complexio* copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi, vita supernaturali praeditum. Sicut *Christus, caput* et exemplar, non omnis est, si in eo vel *humana* dumtaxat spectetur natura visibilis . . . vel *divina* tantummodo natura invisibilis . . .; sed *unus* est ex utraque natura cum visibili tum invisibili; sic *corpus* eius *mysticum* non vera Ecclesia est, nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit" (Encycl. „*Satis cognitum*", ed. *Herder* p. 11/13; cf. n. 967 sq.).

Indoles proinde Ecclesiae *externa, socialis, organisata* clare apparet. Ecclesia est unus organismus, unum corpus, cum uno capite, Christo videlicet et Christi vicario Petro (cf. *D* 468). Hic igitur organismus *ut societas* instructus est sacra *auctoritate, hierarchia iurisdictionis; ut religio sacerdotio,* quod ipsum hierarchice constitutum est *hierarchia ordinis*. Utraque haec hierarchia prae se fert duplicem indolem supra indicatam Ecclesiae, visibilem intellege et invisibilem, humanam et divinam. Potestas *iurisdictionis* est divina ratione originis et finis, humana ratione subiecti et suae naturae, quatenus est propria. Potestas *ordinis* est divina ratione originis, finis et insuper naturae, quia est potestas vicaria, exercita ab ipso Christo per homines tamquam instrumenta sua; attamen simul est humana ratione horum ministrorum humanorum, per quos Christus eam exercet. Ita hae duae hierarchiae, quae secundum indolem tantopere inter se distant, nihilominus sapientia divina coordinantur in eundem finem communem, bonum sociale Ecclesiae eiusque membrorum. Immo

utraque potestas in eodem homine-subiecto coniungi potest et generatim coniungitur; sacerdotes nimirum simul exercent potestatem iurisdictionis (qua episcopi); caput autem visibile totius Ecclesiae, Romanus scilicet Pontifex, simul summum gradum utriusque potestatis obtinet, et iurisdictionis universalis in universam Ecclesiam et ordinis, scilicet episcopalis.

934. Ita *unitas vere perfecta* habetur in Ecclesia, unitas illa, cuius imago quam maxime propria est corpus, organismus vivus. Sicut enim in organismo eadem organa inservire possunt et stabilitati et nutritioni, utraque autem functio cedit in bonum commune totius organismi, ita in Ecclesia potestates iurisdictionis et ordinis, stabilitatis et sanctificationis, in eodem subiecto coniunctae, promovent bonum religiosum totius Ecclesiae omniumque fidelium. Immo, sicut in organismo singulae partes non vivunt aliae a vita aliarum, sed omnes pariter per principium vitale, ita in organismo supernaturali Ecclesiae possunt esse organa, praedita potestate sive iurisdictionis sive ordinis, quae munere suo rite funguntur, nomine Christi praesident et actiones Christi vicarias valide exercent, licet ipsi vitae supernaturalis gratiae participes non sint. Ratio est caritas et dilectio Christi erga membra sui corporis, quae cavet, ne propter fragilitatem organi humani intercidatur nexus vitalis inter membra et caput vivum et vivificans, Christum[28].

Scholion 1. De communione sanctorum.

935. Haec expressio continet duplex elementum explicandum, scilicet qualis sit communio in quibusnam rebus (de *obiecto* quaeritur), et inter quos haec communio intercedat (de *subiecto* quaeritur). Responsum ad alteram quaestionem sponte fluit ex priore.

1. De *obiecto* huius communionis. — *Catechismus Romanus*[29] docet, haec verba explicare quodammodo articulum fidei de Ecclesia. „Unitas enim Spiritus, a quo illa (Ecclesia) regitur, efficit, ut, quidquid in eam collatum est, commune sit; omnium enim sacramentorum fructus ad universos fideles pertinent; quibus *sacramentis,* veluti sacris vinculis, Christo conectuntur et copulantur. . . . Sed alia etiam communio in Ecclesia cogitanda est. Quaecumque enim pie sancteque ab uno suscipiuntur, ea ad omnes pertinent, et, ut illis prosint, caritate, quae non quaerit quae sua sunt, efficitur. . . . At vero haec *bonorum communicatio* membrorum humani corporis aptissima similitudine in sacris Litteris saepe demonstratur; nam in corpore multa sunt membra; sed etsi multa sunt, unum tamen corpus constituunt, in quo *singula proprio,* non autem omnia eodem *munere* funguntur. . . . At vero *tot tantis-*

que muneribus ac *bonis* divinitus collatis illi *fruuntur,* qui in caritate vitam christianam degunt, *iustique* et cari Deo sunt. *Membra* vero *mortua*, nimirum homines . . . a Dei gratia alienati, hoc quidem bono non privantur, ut huius *corporis membra* esse desinant; sed cum sint mortua, *fructum spiritualem,* qui ad iustos et pios homines pervenit, *non percipiunt;* tametsi, cum in Ecclesia sint, ad amissam gratiam vitamque recuperandam ab iis *adiuvantur*, qui spiritu vivunt et eos fructus capiunt, quorum expertes esse dubitari non potest, qui *omnino ab Ecclesia* sunt *praecisi.*" *Gratiae* denique etiam *gratis datae* pertinent ad dona communia.

Obiectum igitur communionis est *gratia,* donum supernaturale, quod Christus proxime Ecclesiae suae commisit, et quidem hoc donum *ut commune* pluribus. *Communio* proinde *sanctorum* respicit proxime *relationem membrorum inter se,* quae utique procedit ex relatione ad Christum; et secundum hunc respectum iam distinguitur communio sanctorum a *corpore mystico* Christi. Accedit autem altera quaedam differentia; *communio* etenim *sanctorum latius patet* quam *corpus Christi* seu Ecclesia. Sicut enim participatio doni supernaturalis varios gradus admittit, ita etiam communio sanctorum. Hinc iam de subiecto.

936. 2. De *subiecto* huius communionis. — Quoniam dona supernaturalia constituunt vinculum uniens et causam formalem huius communionis, ad eam pertinent certissime *sancti, comprehensores* in caelis et *animae* detentae *in purgatorio;* deinde omnes *viatores* in terris, qui per *gratiam habitualem* sancti sunt; porro illi, quibus saltem *fides,* ut radix et fundamentum omnis sanctitatis, inest; remote et improprie omnes, quotquot his *in terris* peregrinantur, licet destituti fide et gratia, quatenus participant hanc communionem, i. e. quatenus et ipsis bona supernaturalia destinata sunt et quaedam tribuuntur, et sacrificio missae, et suffragiis Ecclesiae eiusque membrorum, et amore, quo Ecclesia, Christi sponsa, exsequitur eius voluntatem et evangelium praedicat omni creaturae. Omnes enim redempti sunt sanguine Christi atque vocati ad gloriam [30].

Ratio autem *differentiae* inter corpus Christi et communionem sanctorum petenda est *ex natura* utriusque communitatis. *Corpus* enim *Christi* est unitas organisata, societas visibilis, humana simul et divina, cuius *causa formalis est duplex, externa* nimirum (socialis) et *interna* (vitae supernaturalis in membris). Causa vero formalis *communionis sanctorum* est *una, interna,* gratia (fides) nimirum. Hinc plurimi, qui ad organisationem Ecclesiae, Regni Dei his in terris exsistentis, non pertinent, membra sunt communionis sanctorum.

3. *Sequelae* denique et *effectus* huius communionis sanctorum sunt omnibus membris magna consolatione et „quadam felicitate", ut ait *Catechismus Romanus,* iam his in terris: indulgentiae [31], suffragia, invocatio et intercessio sanctorum, participatio fidelium in omnibus bonis Ecclesiae eiusque membrorum [32].

Scholion 2. De relatione Beatae Virginis Mariae ad Ecclesiam.

937. Singularis condicio in hac sanctorum communione est *Beatae Virginis Mariae, Matris Dei et Domini Nostri Iesu Christi.* Verba *S. Thomae* [33], quibus differentiam exponit inter cultum divinum et sanctorum invocationem („nam a sancta Trinitate petimus, ut nostri misereatur, ab aliis autem sanctis quibuscumque petimus, ut orent pro nobis"), ita complet *Leo XIII:* „implorandae vero Virginis ritus aliquid habet cum Dei cultu commune, adeo ut Ecclesia his vocibus ipsam compellat, quibus exoratur Deus: *Peccatorum miserere. . . .* Tanta enim Mariae est magnitudo, tanta, qua apud Deum pollet, gratia, ut qui opis egens non ad illam confugiat, is optet nullo alarum remigio volare". Quibus verbis iam indicata est habitudo peculiaris B. V. Mariae ad Ecclesiam, quam liceat paulo explicare.

Maria etenim est Ecclesiae typus et exemplar virtutum omnibus filiis Ecclesiae; eadem est mater Christi, auctoris Ecclesiae, atque hinc etiam mater omnium fidelium, membrorum corporis Christi mystici.

1. Et primum quidem Maria est *typus Ecclesiae;* nam utraque est virgo-mater, fecundata a Spiritu Sancto; Maria genuit Christum, caput Ecclesiae; Ecclesia parit membra illius capitis. Ita Patres et theologi [34]. — *Exemplar* autem omnium virtutum praedicatur Maria ab omnibus, qui vera fide scripserunt de matre Dei, quam Deus instruxit plenitudine gratiarum.

2. Maria porro est *mater Christi,* salvatoris nostri, qui ipsum munus suum Ecclesiae commisit, neque eo solum sensu, ut genuerit eum, *qui* esset redempturus morte sua genus humanum, sed sensu pleno, quatenus verba, quibus consiliis divinis humilis ancilla se submisit, simul continent *consensum in mortem filii* sui dilectissimi, expiatoriam pro mundi salute [35].

Hinc illa habitudo ad homines omnes, praecipue autem ad Ecclesiae membra, quam legimus apud Patres et theologos, quam evexit *Leo XIII* in suis encyclicis de Rosario Mariali atque *Pius X* in recordatione festiva definitionis Immaculatae B. V. Mariae Conceptionis (cf. *D* 3033 sq.), quam nostra aetate desiderant tot tanti-

que filii definiri ab Ecclesia: Mariam nimirum vocant *mediatricem gratiarum*.

Typice quodammodo „administra charismatum divinorum“ [36] apparet in domo Elisabeth; vel infantem praebens pastoribus, regibus, Simeoni; vel primum miraculum a filio impetrans in Cana (Io. 2, 1 sqq.).

Postquam autem in Ioanne apostolo genus humanum ipsius curis maternis est traditum, „christianae gentis primitias tum sanctimonia exempli, auctoritate consilii, solatii suavitate, efficacitate sanctarum precum admirabiliter fovit; verissime quidem *mater Ecclesiae* atque magistra et regina apostolorum, quibus largita etiam est de divinis oraculis, quae *conservabat in corde suo*“ [37].

Proprium autem *munus mediatricis* accepit in morte sua sanctissima. Est sane Iesus Christus „unus mediator Dei et hominum“ (1 Tim. 2, 5); „at vero si ‚nihil prohibet (ut docet *Angelicus*) aliquos alios secundum quid dici mediatores inter Deum et homines, prout scilicet cooperantur ad unionem hominis cum Deo dispositive et ministerialiter‘ . . . profecto eiusdem gloriae decus Virgini excelsae cumulatim convenit. Nemo etenim unus cogitari quidem potest, qui reconciliandis Deo hominibus parem atque illa operam vel umquam contulerit vel aliquando sit collaturus . . . ipsa est, de qua natus est Iesus, vera scilicet eius mater, ob eamque causam digna et peraccepta *ad mediatorem Mediatrix*“ (*D* 3033). Verba sunt *Leonis XIII*.

Ita profecto *matris* erga homines atque imprimis Ecclesiae membra dilectio quam clarissime apparet. „Talem nobis praestitit (ait idem *Leo XIII* [38]), cui, hoc ipso quod Unigenae sui matrem elegit Deus, maternos plane indidit sensus, aliud nihil spirantes nisi amorem et veniam; talem facto suo Iesus Christus ostendit, quum Mariae subesse et obtemperare ut matri filius sponte voluit; talem de cruce praedicavit, quum universitatem humani generis, in Ioanne discipulo curandam ei fovendamque commisit; talem denique se dedit ipsa, quae eam immensi laboris haereditatem, a moriente filio relictam, magno complexa animo, materna in omnes officia confestim coepit impendere.“ [39]

938. NOTAE. — **1** Cf. quae scripsi in Zeitschr. für kath. Theol. XLVI (1922) 628 sqq. — **2** Encyclica agit de unitate et unicitate Ecclesiae; textus huic tomo adnexus est (n. 965 sqq.); cf. *D* 1954 sqq.; *F. Cavallera*, Thesaurus doctrinae catholicae (1920) n. 273 sqq. Encyclica et verba Scripturae exponit, et dicta Patrum et Doctorum Ecclesiae optima quaeque collegit. — Praeterea amplam materiam praebent — praeter documenta Ecclesiae a *Denzinger* et *Cavallera* collecta — Controversiae *beati Roberti Bellarmini*, aliaque opera initio huius libri citata, inter quae praecipue *C. Passaglia*, De Ecclesia Christi (Ratisbonae 1853); *I. B. Franzelin*, Theses de Ecclesia Christi (Romae 1887); *M. I.*

Scheeben, Die Mysterien des Christentums (Freiburg 1865); *Th. Specht*, Die Lehre von der Kirche nach dem h. Augustin (Paderborn 1892); *M. Grabmann*, Die Lehre des heiligen Thomas von Aquin von der Kirche als Gotteswerk (Regensburg 1903); *E. Commer*, Die Kirche in ihrem Wesen und Wirken dargestellt. I. Vom Wesen der Kirche (Wien 1904); *idem*, Das Leben der Kirche (Divus Thomas VI [1919] 61 sqq.); *idem*, Das Gnadenleben der Kirche (ibid. VII [1920] 173 sqq. 288 sqq.); *E. Lingens*, Die innere Schönheit des Christentums (^{2}Freiburg 1902); *F. Hürth*, Schuld, Erbschuld, Erlöser, Erlöser-Kirche (Stimmen der Zeit CV [1922/23] 123 sqq. 203 sqq. 265 sqq. 332 sqq.); *H. Dieckmann*, Die Verfassung der Urkirche (Berlin 1923) 106 sqq.; *I. B. Walz*, Die Sichtbarkeit der Kirche. Ein Beitrag zur Grundfrage des Katholizismus (Würzburg 1924); *E. Krebs*, Die Kirche und das neue Europa. Sechs Vorträge für gläubige und suchende Menschen (Freiburg 1924); *S. Weber*, Die katholische Kirche die wahre Kirche Christi (^{2}Freiburg 1925). — **3** *Chr. Pesch*, Praelect. dogm. IV$^{4/5}$ (1922), n. 4. — **4** Ibid. n. 528 sqq. — **5** Ibid.; deinde in tractatibus De Legato divino, e. g. *H. Felder*, Apologetica I: Demonstratio christiana; *G. Esser*, Jesus Christus, der göttliche Lehrer der Menschheit (*Esser-Mausbach*, Religion, Christentum, Kirche II (^{5}1923) 327 sqq. — **6** *Chr. Pesch* l. c. n. 559; cf. tractatus de Christo Messia; de vaticiniis messianicis in Christo impletis. — **7** *I. B. Franzelin* l. c. thes. 2—4; *Chr. Pesch* l. c. I$^{6/7}$, n. 212 sqq. 311; *Th. Specht* l. c. 9 sqq. 26 sq. — **8** *I. B. Franzelin* l. c. thes. 4; *Chr. Pesch* l. c. V^{4}, n. 506 sqq. — **9** *S. Thomas*, S. theol. 3, q. 63, a. 3. — **10** *Ph. Maroto*, Institutiones Iuris Canonici I 823 sqq. — **11** Ibid.; *G. Huarte* in recensendo opere *M. d'Herbigny:* Theologica de Ecclesia; Gregorianum III (1922) 479 sqq. — **12** Effata Patrum decursu assertionum inserta sunt (cf. *Ass. 19*, n. 463 sqq.; *Ass. 21*, n. 514 sqq.; *Ass. 24*, n. 659 sqq.; *Ass. 30*, n. 807 sqq.). Ipsam institutionem Ecclesiae a Christo factam esse supponunt potius ut fundamentum inconcussum quam ut eandem diserte probent. — **13** *F. I. Selbst*, Die Kirche Jesu Christi nach den Aussagen der Propheten (Mainz 1883) 44 sqq. 151 sqq.; De psalmo 44: *A. Allgeier* in Katholik XCVII (1917 I) 145—173. — **14** *Th. Specht* l. c. 50 sqq. — **15** *M. Grabmann* l. c. 251; *E. Commer* l. c. 49. — **16** *C. Passaglia* l. c. II (1856) 814 sqq.; *I. B. Franzelin* l. c. thes. 18, p. 301 sqq.; *A. Straub*, De Ecclesia Christi n. 336 (I 271 sq.). — **17** Theses de Ecclesia p. 308. — **18** *H. Dieckmann*, Die Verfassung der Urkirche 117. — **19** *F. Prat*, La théologie de S. Paul I^{10} (1924) 359 sqq.; II^{7} (1923) 343 sqq., optime collegit et exposuit verba S. Pauli. *Idem* disserit de formula „In Christo Iesu“ I 369 sq.; *Tr. Schmidt**, Der Leib Christi (1919), materiam collegit. — **20** *F. Prat* (l. c. II 347) agnoscit similitudinem inter utramque comparationem; at simul effert discrimen, quod scilicet palmites, viti inserti, ab ipso immediate sucum vitalem recipiant, et hinc nexus inter Christum et *singulos* fideles explicetur; in similitudine vero corporis potius nexus inter Christum et *societatem* fidelium, scilicet Ecclesiam. — **21** *H. Hurter*, SS. Patrum opuscula selecta XXVII 16; hic tomus complura *S. Augustini* opuscula de Ecclesia continet, quibus ipse editor praemisit „De Ecclesia corpore Christi mystico dissertationem“, brevem quidem, sed erudite confectam atque testimoniis Patrum ornatam. — **22** *H. Hurter* l. c. 16 sq.; *MSL* XI, 1374; *CB* (ed. *Koetschau*) Origenes II 119 sq.; *Th. Specht* l. c. 37 sqq.; *M. Grabmann* l. c. 196 sqq.; *I. P. Kirsch*, Die Lehre von der Gemeinschaft der Heiligen im christlichen Altertum (Forschungen zur christl. Literatur- u. Dogmengesch. I, 1 [Mainz 1900]) . . . 132 sqq.; de S. Augustino 145 sqq. — **23** *M. Grabmann* l. c. 207 sqq.; *H. Hurter* l. c. 9 sqq.; *E. Commer* l. c. 43 sqq. — **24** *C. Passaglia* l. c. II 804 sqq.; *I. B. Franzelin* l. c. 308 sqq.; *M. I. Scheeben* l. c. 348 sqq. 517 sqq.; *Chr. Pesch* l. c. I$^{6/7}$, n. 396; IV$^{4/5}$, n. 294;

G. Wilmers, De Ecclesia 80 sqq.; *A. Straub* l. c. n. 334 sqq.; *M. d'Herbigny* l. c. I 96 sqq.; II 234 sqq.; *H. Felder,* Apologetica II 33 sqq.; praeclare *E. Lingens* l. c. 109 sqq. — **25** Praelect. dogm. $IV^{4/5}$, n. 294. — **26** *I. B. Franzelin* l. c. 309; *E. Lingens* l. c. 113. — **27** Optime *M. I. Scheeben* l. c. 451 sqq. 545 sqq.; *E. Lingens* l. c. 142 sqq.; cf. *M. Grabmann* l. c. 267 sqq.; *K. Adam,* Das Wesen des Katholizismus (Augsburg 1924) 20—26 120—135. — **28** *H. Dieckmann* l. c. 119—126. — **29** Catechismus Romanus I, c. 10, q. 20. — **30** *I. B. Franzelin* l. c. 17; *Chr. Pesch* l. c. $I^{6/7}$, n. 311. — **31** *Chr. Pesch* l. c. $VII^{4/5}$, n. 478. — **32** Doctrina S. Pauli cf. *F. Prat* l. c. II^{7} 355 sqq.; *I. P. Kirsch* l. c. 227; *I. B. Franzelin* l. c. thes. 2, p. 8; Dict. de théol. cath. III (1908), s. v. „Communion des saints", ubi *P. Bernard* de parte dogmatica et historica (p. 429—454), *R. S. Bour* de archaeologica (q. 454—480) disserit. — **33** S. theol. 2, 2, q. 83, a. 4; *Leo XIII* in Encyclica „*Augustissimae Virgini*" (de die 8 Sept. 1897), ed. *Herder* p. 15; cf. Encyclica „*Magnae Dei Matris*" (de die 8 Sept. 1892), ed. *Herder* p. 9. — **34** De S. Augustino cf. *Th. Specht* l. c. 22 sqq.; de S. Thoma aliisque theologis *M. Grabmann* l. c. 297 sqq. Breviter *C. Passaglia* l. c. II 742. — **35** *S. Thomas,* S. theol. 3, q. 30, a. 1; cf. *M. Grabmann* l. c. 301. — **36** Encyclica „*Fidentem piumque*" (de die 20 Sept. 1896), ed. *Herder* p. 11. — **37** Encyclica „*Adiutricem populi*" (de die 5 Sept. 1895), ed. *Herder* p. 7. Similia *Pius X* in Encyclica „*Ad diem*" (de die 2 Febr. 1904), ed. *Herder* p. 13 sqq. — **38** Encyclica „*Octobri mense*" (de die 22 Sept. 1891), ed. *Herder* p. 17; cf. eiusdem *Leonis XIII* Encyclica „*Magnae Dei Matris*" (de die 8 Sept. 1892), ed. *Herder* p. 11 21. -- **39** *E. Lingens* l. c. 100—108. — Doctrinam de B. V. Maria, mediatrice gratiarum, lucide exponit *Chr. Pesch,* Die sel. Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden (Freiburg 1923); ibidem larga bibliographia.

CAPUT II.

DE ECCLESIAE HABITUDINE AD DEUM PATREM, SPIRITUM SANCTUM, SANCTISSIMAM TRINITATEM.

939. Quamvis specialis relatio eaque intima intercedat inter Ecclesiam atque Christum ut eius auctorem, protectorem, vitam, nihilominus Ecclesia suas relationes etiam ad alias personas divinas habet, singulis appropriatas. Sicut enim Deus Pater est „fons totius Deitatis", ita eidem origo prima Ecclesiae appropriatur. Spiritus autem Sanctus, tamquam Spiritus sanctitatis et veritatis, missus a Patre et Filio, vivificat Ecclesiam atque inde dicitur „anima" vel „cor" Ecclesiae. Sanctissima vero Trinitas est et causa prima et finis Ecclesiae ultimus. Quae singula pensanda sunt.

1. De Ecclesiae habitudine ad Deum Patrem.

940. *Ecclesiae habitudo ad Patrem* ab ipso Christo enuntiata est. „Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.... Venite ad me omnes.... Tollite iugum meum super vos . . ." (Matth. 11, 27—29). *Christus* igitur missus est a Patre (cf. Matth. 10, 40; 15, 24; 21, 27; Luc. 4, 43;

9, 48; Io. 3, 16 sq.; 4, 34; 20, 21; passim), vi huius missionis [1] et potestatis ipsi communicatae (sive in generatione aeterna sive in incarnatione in tempore) fundat *Ecclesiam,* scilicet Regnum suum, „iugum suum" imponens hominibus suave et leve. Hinc eadem auctoritate illimitata et absoluta, qua „data est ei omnis potestas in caelo et in terra" (Matth. 28, 18; cf. Io. 3, 35; 5, 26 sq.; 6, 37) mittit undecim apostolos suos: „Euntes docete (facite discipulos) omnes gentes; baptizantes ... docentes ..." (Matth. 28, 19 sq.). In missione igitur Filii includitur missio Ecclesiae tamquam operis Christi perennis; „quoniam ex ipso (Patre) et per ipsum et in ipso sunt omnia" (Rom. 11, 36). Utraque missio, et Christi (Io. 3, 16. 1 Io. 4, 9 sqq. Eph. 2, 4 sqq.) et Ecclesiae (Eph. 2, 11 sqq.) provenit ex caritate Dei, qua dilexit mundum.

Hinc missio *apostolorum* procedit et a Christo et a Patre, sicut Paulus effert; „Paulus apostolus non ab hominibus, sed per Iesum Christum et Deum Patrem. Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris . . . secundum voluntatem Dei et Patris nostri . . ." (Gal. 1, 1—4; cf. 1 Cor. 1, 1; 2 Cor. 1, 1; Col. 1, 1; Eph. 1, 1; 1 Tim. 1, 1; 2 Tim. 1, 1).

Spiritus quoque *Sanctus,* „alius paraclitus", mittitur a Patre et a Iesu Christo (Io. 14, 16 26; 16, 13 sqq.) apostolis et Ecclesiae, ut compleat, perficiat, vivificet, inhabitet eam atque in ea maneat „in aeternum" (14, 16).

Hinc intellegitur hymnus S. Pauli apostoli initio epistulae ad Ephesios (1, 3 sqq.; cf. Col. 1, 3 sqq.): „Benedictus Deus et *Pater* Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in caelestibus in Christo . . .; qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per *Iesum Christum* in ipsum . . .; in quo habemus redemptionem per sanguinem eius . . . ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae . . ., instaurare omnia in Christo (sub unum caput omnia redigere, nimirum sub Christum), quae in caelis et quae in terra sunt . . ." (Eph. 1, 3—10). „Et omnia subiecit sub pedibus eius; et ipsum dedit caput supra omnem *Ecclesiam,* quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur (qui omnia omnibus implet)" (1, 22 sqq.)[2].

2. De Ecclesiae habitudine ad Spiritum Sanctum.

941. „Divinum illud munus, quod humani generis causâ a *Patre* acceptum Iesus Christus sanctissime obiit, sicut eo tamquam ad ultimum finem spectat, ut homines vitae compotes fiant in sempiterna gloria beatae, ita huc proxime attinet per saeculi cursum, ut divinae gratiae habeant colantque vitam, quae tandem in vitam

floreat caelestem. . . . Hic *(Iesus Christus)* tamen, secundum altissima quaedam consilia, eiusmodi munus noluit quidem per se in terris usquequaque conficere et explere; verum quod ipse traditum a Patre habuerat, idem Spiritui Sancto tradidit *perficiendum*. . . . Multiplici nempe virtuti huiusce Spiritus, qui in procreatione mundi ‚ornavit caelos' et ‚replevit orbem terrarum', in huiusmodi eiusdem redemptione perfectio operis erat providentissime reservata." Ita *Leo XIII* in exordio Encyclicae *„Divinum illud munus"* (de die 9 Maii 1897) habitudinem Ecclesiae ad Spiritum Sanctum adumbrat. In explicatione adnexa ita, si placet, procedimus, ut, breviter perpensa relatione inter Verbum Incarnatum et Spiritum Sanctum, videamus (a) habitudinem inter Spiritum Sanctum et Ecclesiam et (b) habitudinem inter Christum, „caput" Ecclesiae, et Spiritum Sanctum, „animam" Ecclesiae.

„Ac principio respici oportet ad Christum, conditorem Ecclesiae et nostri generis Redemptorem. Sane in operibus Dei externis illud eximie praestat Incarnati Verbi mysterium. . . . Hoc igitur tantum opus, etsi totius Trinitatis fuit, attamen Spiritui Sancto tamquam proprium adscribitur: ita ut de Virgine sic Evangelia commemorent: ‚Inventa est in utero habens de Spiritu Sancto', et: ‚Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.' . . . Divini autem Spiritus operâ non solum *conceptio* Christi effecta est, sed eius quoque *sanctificatio animae,* quae *unctio* in sacris libris nominatur: atque adeo omnis eius *actio* praesente Spiritu peragebatur, praecipueque sacrificium sui: ‚Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo' (Hebr. 9, 14)" (Encycl. *„Divinum illud munus",* ed. *Herder* p. 13/15).

Qua duplici activitate Spiritus Sancti quod ad Christum attinet, duplex quoque missio Spiritus Sancti quoad Ecclesiam praesignatur, „ea nimirum, quae in *Ecclesia* manifesto patet, et ea, quae in *animis* iustorum secreto illapsu exercetur" (ibid. p. 17).

a) De habitudine inter *Spiritum Sanctum* et *Ecclesiam.*

942. „Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes. Ipsâque die beneficia sua Spiritus Sanctus in mystico Christi corpore prodere coepit, ea nimirum effusione quam Ioel propheta iampridem viderat. . . ." [3] *Donum messianicum,* a prophetis annuntiatum pro tempore novissimo, a Christo promissum ante discessum ex hoc mundo (Act. 1, 5; cf. Io. 14, 16 26; 15, 26; 17, 7), datur in die Pentecostes, Spiritus sanctitatis, veritatis omniumque munerum et ordinum et ministeriorum in Ecclesia.

α) Spiritus *sanctitatis* et *sanctificationis* est Spiritus Sanctus, quatenus est principium regenerationis (Io. 3, 3 sqq.) et remissionis peccatorum (Io. 20, 22 sq.) omnisque vitae supernaturalis, in quo fideles „signati (sunt) in diem redemptionis" (Eph. 4, 30) et adunati omnes in unum corpus: „Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus" (1 Cor. 12, 13), corpus scilicet Christi visibile simul et mysticum sanctumque [4].

Spiritus deinde *veritatis* (Io. 14, 17; 15, 26; 16, 13) vivificat potestatem Ecclesiae doctrinalem. Nam ipsum magisterium praeservat ab errore ducitque ad ulteriorem semper et profundiorem cognitionem veritatis revelatae. Eidem porrigit libros „inspiratos" (2 Tim. 3, 16), qui „Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem", ut ait *Vaticanum* (*D* 1787; cf. 1809 783), verbum Dei scriptum digito Spiritus Sancti, fontem revelationis eximiae dignitatis (cf. n. 856 sqq.). Idem denique Spiritus infundit habitum fidei et gratia sua illustrat mentes hominum, ut salutari cognitione et admittant et percipiant veritatem fidei [5].

Spiritus Sanctus denique est principium *unitatis* Ecclesiae eiusque *organisationis,* omnium scilicet donorum et ministeriorum. „Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. . . . Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult" (1 Cor. 12, 4 11). „Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores . . ." (12, 28; cf. Eph. 4, 11). Ita unitas illa mirabilis statuitur, quam considerans Paulus exclamat: „Unum corpus et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis" (Eph. 4, 4–6). Sicut igitur totum corpus, ita eius organa sunt a Spiritu Sancto instituta. „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo" (Act. 20, 28) [6].

943. β) „Itaque (ait *Leo XIII*) divinus Spiritus in aeterno sanctitatis lumine a Patre et a Verbo procedens, amor idem et donum, postquam se per velamen imaginum in testamento veteri exhibuit, plenam sui copiam effudit in Christum in eiusque corpus mysticum, quae est Ecclesia" [7], atque iugiter effundit; est etenim secundum doctrinam Patrum *„anima* Ecclesiae". „Quod autem est anima corpori hominis, hoc est Spiritus Sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia"; ita *Augustinus* [8]. *Angelicus* vero vocat eundem Spiritum *„cor"* Ecclesiae: „Cor habet quamdam influentiam occultam, et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam

vivificat et unit" [9], quibus verbis sententiam Patrum, quam suam utique ipse fecit, ulterius determinat. *Leo XIII* autem hanc eandem doctrinam profert: „Atque hoc affirmare sufficiat, quod quum Christus caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima." [10]

944. Quodsi quaeramus, *quonam sensu* Spiritus Sanctus dicatur anima vel cor Ecclesiae, remittimur ad analogiam quandam inter animam physicam alicuius organismi et Spiritum Sanctum relate ad Ecclesiam, quae est organismus. Spiritus enim Sanctus est secundum *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum* „vivificans" (*D* 86); qua talis vivificat, animat, informat corpus Christi mysticum, Ecclesiam. Attamen est, ut *S. Thomas* dicit, „*quasi* anima", quam expressionem *Dionysius Cartusianus* ita exponit: „Nec Spiritus Sanctus est ultima et principalis perfectio totius corporis mystici, nisi effectiva et finalis, exemplaris et obiectiva. Anima vero est ultima perfectio sui corporis, loquendo de perfectione formali intrinseca, informante et quidditativa." [11]

Sunt qui contendant [12], animam Ecclesiae esse *gratiam sanctificantem,* sensu latiore etiam alia dona supernaturalia animae. Qui modus considerandi Ecclesiam certe ansam quandam arripere potest ex eo, quod theologi, loquentes de membris Ecclesiae, asserant *ad corpus* quidem Ecclesiae pertinere, qui baptizati vinculum etiam externum eiusdem fidei et eiusdem auctoritatis hierarchicae retineant; *ad animam* vero Ecclesiae pertinere omnes iustos seu gratia sanctificante praeditos, immo certo quodam sensu omnes, qui aliqua gratia gratum faciente potiuntur. Patet autem in hac divisione vocem animae *alio sensu* sumi ac in nostra quaestione de animá Ecclesiae. *Ratio* autem principalis, qua ista sententia innititur, est haec: „Quod vitae principium est singulorum, id etiam totius Ecclesiae, quippe quae constat e singulis sibi iunctis, vitae principium dicendum est." [13] — *At* haec ratio non videtur constare; nam Ecclesia *ut societas* non est summa dumtaxat singulorum membrorum, neque habet vincula solummodo, quibus *singuli* fideles cum Deo coniungantur. *Anima* autem Ecclesiae eam vivificat, *ut* est societas, organismus, corpus; agit praecipue per munera ipsi ut societati data: sacerdotium, magisterium, auctoritatem sacram. Quae actio non explicatur per solam gratiam sanctificantem ut principium vitale supernaturale singulorum membrorum corporis Christi mystici. — Consensus porro, ut vidimus, Patrum et scholae et ipsius magisterii Ecclesiae, favet doctrinae supra expositae [14].

b) De habitudine inter *Christum,* caput Ecclesiae, et *Spiritum Sanctum,* animam Ecclesiae.

945. Quibus expositis non restat nisi una quaestio solvenda, scilicet, quomodo *Christus, caput* Ecclesiae, se habeat ad *Spiritum Sanctum, animam* Ecclesiae. Potest enim *Christus* ut *caput* vivificans, a quo omnis vita descendat in membra, simul videri esse *anima* sui corporis mystici.

Nihilominus consiliis divinis ita institutum est, ut *Christus* quidem ut *caput* et auctor Ecclesiam conderet eique omnes gratias promereret atque ita eam plene constitueret, totam eius nimirum organisationem externam omniaque eius media salutis (sacrificium et sacramenta), *Spiritus* autem *Sanctus* hoc corpus, quodammodo adhuc ligatum et sopitum, die demum Pentecostes ad vitam evocaret omnesque eius vires solveret. Inde dimanant „fontes Salvatoris" in totum organismum, et in sacrificio quidem missae pro Ecclesia universa, in sacramentis autem immediate pro animabus singulorum fidelium. Inde porro Christus assistit magisterio Ecclesiae suae per Spiritum Sanctum, impertiens eidem charisma infallibilitatis et progressum vitalem in intellegenda veritate salutis. Inde pastores Ecclesiae vi et virtute Spiritus Sancti regunt Ecclesiam Dei loco Christi, ipsius summi pastoris. Immo ipse *Christus,* caput Ecclesiae, per eundem Spiritum informatur et agit.

„Quae ita quum sint, nequaquam comminisci et exspectare licet aliam ullam ampliorem uberioremque divini Spiritus manifestationem et ostensionem: quae enim nunc in Ecclesia habetur, maxima sane est, eaque tamdiu manebit, quoad Ecclesiae contingat ut, militiae emensa stadium, ad triumphantium in caelesti societate laetitiam educatur." [15]

3. De Ecclesiae habitudine ad Sanctissimam Trinitatem.

946. „Docere praeterea oportebit (dicit *Catechismus Romanus* [16]) quosdam esse Spiritus Sancti admirabiles effectus, et amplissima quaedam munera, quae ab ipso, tamquam a perenni bonitatis fonte, oriri et manare dicuntur. Quamvis enim *Sanctissimae Trinitatis* opera, quae extrinsecus fiunt, *tribus personis communia* sint: ex iis tamen multa *Spiritui Sancto propria tribuuntur,* ut intellegamus illa in nos a Dei immensa caritate proficisci; nam cum Spiritus Sanctus a divina voluntate, veluti amore inflammata, procedat, perspici potest, eos effectus, qui proprie ad Spiritum Sanctum referuntur, a summo erga nos Dei amore oriri." Hoc idem autem, quod de Spiritu Sancto dicitur, de aliis personis divinis valet: „ex comparatione quadam et propemodum affinitate, quae inter opera ipsa et Personarum proprietates intercedit, ea alteri potius quam alteris addicuntur, sive ut aiunt *appropriantur.*" [17] Ita demum nostra consideratio Ecclesiae sponte revertitur a singulis personis ad ipsam Sanctissimam Trinitatem.

947. Ipsa namque *Sanctissima Trinitas* est causa et prima *efficiens* et altissima *exemplaris* et ultima *finalis* Ecclesiae. Videlicet „Pater, qui est principium totius Deitatis, idem causa est *effectrix* universitatis rerum et Incarnationis Verbi et sanctificationis animarum: *ex ipso sunt omnia;* ex ipso, propter Patrem. Filius autem, Verbum, Imago Dei, idem est causa *exemplaris,* unde res omnes formam . . . imitantur; qui extitit nobis via, veritas, vita, hominis cum Deo reconciliator: *per ipsum sunt omnia;* per ipsum, propter Filium. Spiritus vero Sanctus idem est omnium rerum causa *ultima,* eo quia sicut in fine suo voluntas lateque omnia conquiescunt, non aliter ille, qui divina bonitas est ac Patris ipsa Filiique inter se caritas, arcana ea opera de salute hominum sempiterna, impulsione quadam valida suavique complet et perficit: *in ipso sunt omnia;* in ipso, propter Spiritum Sanctum." [18] Sed totum opus salutis nostrae ipsamque Ecclesiae institutionem, perfectionem, activitatem omnem operatur unus Deus trinus, cui quicumque religionem christianam Ecclesiamque ingrediuntur, sollemniter devoventur, baptizati nimirum *in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti* (Matth. 28, 19). Hoc autem eodem baptismo omnes non solum sanctificantur Deo, sed simul in „*unum corpus*" baptizantur in uno Spiritu (1 Cor. 12, 13), ita ut sit „unum corpus et unus Spiritus . . . unus Dominus . . . unus Deus et Pater omnium . . ." (Eph. 4, 4—6), „qui operatur omnia in omnibus" (Ecclesiae membris et organis: 1 Cor. 12, 6). „Ipsi gloria in Ecclesia et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen!" (Eph. 3, 21), donec, postquam Iesus Christus, Messias-Rex, omnes inimicos suos, atque ultimam mortem, devicit et sub pedibus suis posuit, tradat regnum „Deo et Patri" (1 Cor. 15, 24). „Cum autem subiecta fuerint illi (Christo) omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui sibi subiecit omnia, ut sit *Deus omnia in omnibus*" (15, 28).

948. NOTAE. — **1** De missionibus personarum divinarum cf. e. g. *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. II $^{5/6}$, n. 649 sqq. — **2** Bene de hac re *C. Passaglia,* De Ecclesia II 3—10. — **3** De Spiritu Sancto tamquam dono messianico cf. *I. B. Umberg* in Zeitschr. für kath. Theol. XXXIX (1915) 675 sqq.; *idem,* Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung (Freiburg 1920) 78—88. — **4** Alii textus apud *C. Passaglia* l. c. II 817 sqq.; de doctrina Augustini *Th. Specht,* Die Lehre von der Kirche nach dem h. Augustin 201 sqq.; de doctrina S. Thomae cf. *M. Grabmann,* Die Lehre des hl. Thomas von der Kirche als Gotteswerk 175 sqq.; *E. Commer,* Die Kirche 90 sqq.; effata *Patrum, Rouët,* Enchiridion, e. g. Irenaei (*R* 226); Hippolyti (*R* 389); Gregorii Thaumat. (*R* 611); Cyrilli Hierosol. (*R* 850); Basilii (*R* 915 960); Ambrosii (*R* 1282); Cyrilli Alex. (*R* 2080), aliorum. — **5** De S. Augustino *Specht* l. c. 197; de S. Thoma *Grabmann* l. c. 169 sqq. — **6** Cf. *Specht* l. c. 199 sqq.; *Grabmann* l. c. 176. — **7** Encyclica „*Divinum illud*", ed. *Herder* p. 29/31. — **8** Sermo 267, 4, 4 (*R* 1523); *Specht* l. c. 53; *M. I. Scheeben,* Die Mysterien des Christentums 165 sqq.; Encycl. „*Divinum illud*" l. c. p. 19. — **9** S. theol. 3, q. 8, a. 1 ad 3; cf. *Grabmann* l. c. 160, ubi dicta aliorum quoque scholasticorum mediae aetatis; *Chr. Pesch* l. c. I $^{6/7}$, n. 396. — **10** „*Divinum illud*" l. c. p. 19. — **11** III Sent., dist. 13, q. 2, a. 2 in expositione S. Thomae III Sent. dist. 13, q. 2, a. 2; cf. *Grabmann* l. c. 163 sq. — **12** *G. Wilmers,* De Ecclesia prop. 16 et 17 (p. 86 sqq.). — **13** Ibid. p. 87. — **14** Cf. *F. Prat,* La théol. de S. Paul II ^{7} (1923) 347 sqq. — Huc spectat comparatio Ecclesiae cum templo, in quo Spiritus Sanctus inhabitat, similiter ac in animis singulorum: *F. Prat* l. c. 347 sqq. — **15** „*Divinum illud*", ed. *Herder* p. 19; *Grabmann* l. c. 150 sqq.; *Prat* l. c. 347 sqq.; *M. Meschler,* Die Gabe des heiligen Pfingstfestes (1922, 17.—20. Tausend) Kap. 11—20, p. 83 sqq.; *E. Lingens,* Die innere Schönheit des Christentums 96 sqq. — **16** I, c. 9, q. 6. — **17** „*Divinum illud*" l. c. p. 11. — **18** Ibid. p. 11 sqq.; *C. Passaglia* l. c. II 352 sqq. 826.

CAPUT III.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS ECCLESIAE.

949. Postquam relationes expositae sunt, quibus Ecclesia conectitur cum Iesu Christo, capite, cum Deo Patre, cum Spiritu Sancto, cum Sanctissima Trinitate, ipsa natura et essentia Ecclesiae iam clare apparet; sufficit unam „definitionem christianam" (*Franzelin;* cf. n. 928) in memoriam revocare, Ecclesiam scilicet esse „*corpus Christi*". Latius et disertius Ecclesia ita definitur a *B. Roberto Bellarmino* [1]: „Coetus hominum eiusdem christianae fidei professione et eorundem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis." Authentice *Concilium Vaticanum* declarat: „Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua velut in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et caritatis vinculo continerentur" (*D* 1821). Quibus verbis indicatur origo Ecclesiae divina, finis eius religiosus et supernaturalis, triplex denique vinculum, quo eius membra ligantur: eiusdem auctoritatis, fidei, caritatis.

Haec iam, quae hisce in descriptionibus Ecclesiae continentur, liceat paulo enucleatius proponere, ita quidem ut ex indole Ecclesiae supra adumbrata atque ex eiusdem multiplici habitudine ad Deum personasque divinas deriventur *proprietates* Ecclesiae *principales,* quo plenior evadat et exactior Ecclesiae cognitio. In qua inquisitione eandem sequemur viam, qua statuimus Ecclesiae *notas* (*Ass. 22,* n. 581 sqq.), indagantes nimirum varia genera causarum, quibus Ecclesia subest. Et *isto* quidem loco attendimus ad illas dumtaxat proprietates, quae induere valent rationem *notae;* in hac autem nostra disquisitione generalius *ipsas proprietates* Ecclesiae ut tales considerabimus.

A. De causa Ecclesiae efficiente.

950. 1. Causa efficiens Ecclesiae est ipse *Deus* (cf. n. 947), unus et trinus; quapropter Ecclesia vocatur *„Ecclesia Dei"* (1 Thess. 2, 14. 2 Thess. 1, 4; et passim apud Paulum); Ecclesia igitur est *originis divinae* et ipsa *divina, sancta, indefectibilis* quantum ad omnes vires creatas, adversativas. Indoles porro eius, dona, gratiae, doctrina, institutiones sunt divina iurisque divini.

2. Causa fundans et instituens Ecclesiae est *Iesus Christus,* Deus-homo, qui ut „unus mediator Dei et hominum" (1 Tim. 5, 2) est „salvator corporis eius", nempe Ecclesiae suae (Eph. 5, 23), quam „acquisivit sanguine suo" (Act. 20, 28), ut *suam* Ecclesiam super Petrum fundavit et aedificavit (Matth. 16, 18) atque hierarchice constituit, tamquam regnum messianicum, antea promissum, nunc impletum. Christus est auctor, praesidium, caput vivificans Ecclesiae (n. 919 sqq.); hinc Ecclesia est *„Ecclesia Christi"* (cf. Rom. 16, 16; Eph. 5, 22 sqq.); eius gratiae et media gratiae, eius revelatio et doctrina, eius munera et membra sunt *christiana.* Porro Ecclesia est religio *unica, absoluta, salutaris, perennis.* De facto haec religio et haec Christi Ecclesia perdurabit usque ad consummationem saeculi (*Ass. 15,* n. 378 sqq.; cf. n. 922 sqq.).

3. Christus consilia sua exsequenda commisit *apostolis* suis, qui essent, et re vera fuerunt, fundamentum aedificandae Ecclesiae (cf. *Ass. 9 sqq.,* n. 249 sqq.). Hinc Ecclesia est *apostolica,* ita quidem, ut apostolicitas constituat unam ex quattuor *notis* Ecclesiae (cf. *Ass. 22,* n. 581 sqq.; *Ass. 24,* n. 657 sqq.; *Ass. 30,* n. 799 sqq.).

B. De causa Ecclesiae exemplari.

951. Ecclesiae *causa exemplaris*[2] est Iesus Christus, Deus-homo, qui ut talis in una persona unit naturam divinam et humanam, redemptor generis humani, Messias-rex, legatus divinus et magister religiosus. Secundum hoc *exemplar theandricum* Ecclesia constituta est, organismus scilicet vivus, uniens in se duo elementa, divinum et humanum, internum et externum. Est etenim magnum „sacramentum" salutis nostrae et qua tale elargiens et distribuens gratias Christi, fructus redemptionis, et regnum messianicum, depositorium doctrinae Christi et magistra gentium.

Immo Ecclesia est ipse Christus perdurans in tempore et operans salutem hominum in hoc mundo. Est *corpus Christi,* vivens ex vita capitis sui, Christi. Est corpus Christi mysticum, simul supernaturale, mysterium fidei, et simul visibile in suis mediis, muneribus, organis, membris. Atque haec ipsa tam intima coniunctio inter elementum internum et externum, invisibile et visibile, non solum est testimonium admirabilis sapientiae divinae, sed etiam imago fidelis illius perfectissimae unionis, quam adoramus in Christo, videlicet „Incarnati Verbi mysterium, in quo divinarum perfectionum sic enitet lux, ut quidquam supra ne cogitari quidem possit, et quo aliud nullum humanae naturae esse poterat salutarius"[3]. — Et haec quidem relatio inter Christum suamque Ecclesiam supra (n. 900 sqq., praesertim n. 928 sqq.) satis descripta videtur esse.

C. De causa Ecclesiae formali.

952. Cum Ecclesia Christi tamquam eius corpus mysticum in se contineat elementum internum et externum, *duplex* etiam quodammodo habet *principium formale* proximum, alterum internum, alterum externum. Haec autem duo principia non solum unita sunt in uno capite Ecclesiae, in Christo nimirum, sed etiam alterum alteri est subordinatum, externum scilicet principio interno.

Idem enim Christus ut caput Ecclesiae eam tamquam corpus supernaturaliter vivum *vivificat* invisibiliter *per Spiritum Sanctum* (cf. n. 945), qui est *anima* Ecclesiae (n. 941 sqq.), et eandem ut societatem externam regit atque administrat *per homines,* qui vice sua funguntur in triplice *munere* sanctificatorio, doctrinali, regali (cf. n. 904 sqq.). Homines autem, quibus haec munera commissa sunt, et ipsi ea exercent vi et virtute *Spiritus Sancti,* qui *vivificat totum organismum* Ecclesiae, corpus cum membris et organis[4].

Ecclesia autem, *qua animata* et quasi informata a Spiritu Sancto, est *divina, viva* et *vegeta* et *fecunda* omni opere salutari et bono (cf. 624 sqq.), praedita *sanctitate, infallibilitate* omnique *auctoritate* religiosa, *indefectibilis* et *perennis.*

Ut *societas* vero, quae a Christo certam formam constitutionis accepit, instructa est sacra *hierarchia* eaque duplici: nam fini suo sanctificatorio correspondet *sacerdotium* cum ministris, quod duobus gradibus hierarchice constat (cf. n. 904 sqq. 932 sqq.); fini autem sociali hierarchia *iurisdictionis,* cuius gradus sunt *episcopatus* (cf. *Ass. 19,* n. 458 sqq.) et *primatus* (cf. *Ass. 21,* n. 508 sqq.).

Ecclesia igitur est societas religiosa et sacerdotalis, est societas hierarchice et monarchice constituta.

D. De causa Ecclesiae materiali.

953. De causa quasi-materiali eatenus sermo esse potest, quatenus Ecclesia est societas humana, cuius proinde membra sunt

homines, qui ad instar fere materiae se habent relate ad formam seu unionem (constitutionem, auctoritatem, vincula unitiva), qua ex multis unitas socialis formatur. *De membris* igitur est agendum Ecclesiae, videlicet et de illis, qui ex voluntate Christi *destinata* sunt membra, et de illis, quae *actu ut talia pertinent* ad corpus sociale Ecclesiae. Priores apte vocari possunt materia *quasi-remota,* posteriora vero materia *proxima,* quippe quae sensu proprio sunt membra. De utraque classe breviter disserendum erit.

954. 1. *De causa materiali remota,* seu de iis, qui ex voluntate Christi Ecclesiam ingredi eiusque membra esse debent.

a) Secundum voluntatem Christi *Regnum Dei* est *universale,* i. e. destinatum pro omnibus hominibus omnium temporum, ita quidem, ut omnes homines non solum invitentur, qui intrare atque participes bonorum Regni Dei fieri *possint,* sed eo sensu, ut omnes *obligati* sint ad ingrediendum Regnum Dei ex positiva voluntate Christi (*Ass. 8,* n. 205 sqq.). Quoniam autem Regnum Dei a Christo praedicatum, prout exsistit in condicionibus huius terrae, est Christi *Ecclesia,* hinc ipsa quoque Ecclesia est universalis et perennis (*Ass. 15,* n. 378 sqq.); estque haec universalitas seu, ut vocari solet, *catholicitas* Ecclesiae tam essentialis, ut unam ex eius notis specificis constituat (*Ass. 22,* n. 583; cf. *Ass. 23,* n. 611 sqq.)[5].

955. b) Ex hac universalitate sponte fluit, atque ex iisdem rationibus probatur *unitas* et *unicitas* Ecclesiae. Unitas quidem non omni ex parte coincidit cum unicitate Ecclesiae, siquidem *unitas* respicit internam eius naturam socialem, quae ut talis postulat unionem membrorum et vincula huius unionis; *unicitas* vero excludit alias societates eiusdem generis ac respondet ad quaestionem, num plures Ecclesiae Christi, vel coordinatae vel subordinatae, exsistant veluti filiae eiusdem matris vel rami eiusdem arboris. Ex altera tamen parte unitas cum unicitate arcte cohaeret, quia unitas (interna), si formaliter et plene (i. e. simul cum catholicitate) sumitur, realiter coincidit cum unicitate seu unitate externa.

Utraque unitas sequitur ex universalitate Ecclesiae. Praeterea autem aliae *rationes* plurimae et efficacissimae afferri solent. Et *unitas* quidem *interna* constat ex Ecclesiae causa efficiente una (n. 950), causa exemplari una (n. 951), causa formali una (n. 952); omnia quae dicta sunt de institutione Ecclesiae tamquam societatis religiosae (*Ass. 12,* n. 328 sqq.; *Ass. 14,* n. 362 sqq.; *Ass. 16 ad 21,* n. 395 sqq.) ostendunt hanc unitatem quam clarissime, utpote quae sponte fluit ex natura societatis ut talis.

Unitas autem *externa* seu *unicitas* Ecclesiae sequitur ex eius relatione ad oeconomiam V^is^ T^i^, quod praefiguravit et praeparavit tempus salutis definitivae (*Ass. 7,* n. 167 sqq.), ex institutione Ecclesiae super unam petram, Simonem scilicet apostolum: „... super hanc petram aedificabo Ecclesiam *meam* ..." (Matth. 16, 18; cf. *Ass. 14,* n. 362 sqq.; *Ass. 16,* n. 395 sqq.; *Ass. 21,* n. 507 sqq.); ex una causa exemplari Ecclesiae, qua Ecclesia est „corpus Christi" unum, „sponsa Christi" unica (n. 926 sqq.); ex unica causa formali Ecclesiae, quatenus Spiritus Sanctus animat unum „corpus Christi" (n. 952).

Hanc unitatem duplicem praedicat et fovet Ecclesia primaeva (cf. n. 513 sqq. 661 sqq.), efferunt Patres Ecclesiae[6], profitetur ipsa Ecclesia in symbolis suis (cf. *D* 86). Hinc *reicit* omnem sententiam, quae velit *plures* christianas communiones, quamvis „invicem separatas ac divisas", aequo iure catholicas vocare (*D* 1685; cf. 1718). Ita *Pius IX,* ita *Leo XIII* in praeclara Encyclica pluries allata „*Satis cognitum*". „Ecclesiam (ait) Iesus Christus non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Ecclesiam individuam atque unicam efficerent. . . . Est igitur Ecclesia Christi *unica* et perpetua. . . . At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam* . . ." (n. 971 sqq.; *D* 1955 sq.).

Haec demum unitas tam perspicua est sicut universalitas et cum ea constituit *notam,* qua vera Christi Ecclesia necessario praedita sit et per quam ut vera cognoscatur (cf. *Ass. 22,* n. 582), cum ipsa haec unitas sit *miraculum* perenne (*Ass. 23,* n. 618 sqq.).

956. c) Ex universalitate et unitate Ecclesiae simul considerata ulterius sequitur Ecclesiae *necessitas* ad salutem.

Necessitas alia est praecepti, alia medii. Prior profluit ex voluntate legitima superioris; ab ea excusant ignorantia vel impossibilitas physica. Altera, necessitas nimirum medii, profluit ex nexu interno et necessario inter medium et finem, qui per hoc medium obtineri debet. Quodsi scilicet nexus est talis, ut absque hoc medio finis nullatenus obtineri possit, habetur necessitas medii.

Ecclesia iam habet rationem medii ad salutem, ita quidem, ut secundum voluntatem Christi omnes sese ei adiungere debeant, ut salventur. Quae necessitas certe est necessitas *praecepti;* nam Christus diserte omnes homines obligat, ut intrent in Ecclesiam (cf. n. 219 sqq.). Ergo quicumque sciens et volens hanc Christi voluntatem neglexerit vel reiecerit, salvari nequit; aliis verbis: omnes homines adulti, sufficienter instructi de Christi doctrina

et voluntate, debent *actu* et *re,* ut membra corporis visibilis, ad Ecclesiam pertinere.

Insuper autem Ecclesia habet rationem *medii* necessarii. Ex capite enim, Christo, omnes gratiae promanant in membra per iuncturas *corporis* Christi, i. e. Ecclesiae; Ecclesiae suae, dilectae *sponsae,* dedit omnes thesauros suos, sive fructus redemptionis sive doctrinae et revelationis suae; *sacramentum initiationis* et insertionis in corpus Christi et aggregationis ad societatem fidelium, i. e. ad Ecclesiam, esse „necessarium ad salutem" definit *Tridentinum* (*D* 861). Ergo praeter necessitatem praecepti Ecclesiae exsistit necessitas medii, ut quicumque salutem adipisci velint, sese adiungant Ecclesiae. Quidnam igitur de illis, qui hanc necessitatem non perspexerint ipsamque Ecclesiam non cognoverint?

Certo latet secretum aliquod quoad *parvulos* non baptizatos; ab *adultis* autem requiritur, ut pertineant ad Ecclesiam *„voto"*, ut aiunt, i. e. desiderio et voluntate. Quod votum est vel *explicitum* et disertum, ut in *catechumenis* [7], qui scilicet sese praeparant ad suscipiendum baptismum; vel est *implicitum,* in omnibus videlicet iis, qui bona voluntate omnia implere volunt, quaecumque Deus ab iis postulat atque sincero animo salutem animae suae operari. Quod votum, si in actu perfectae caritatis includitur, iustificat hominem, etiamsi sine culpa voventis non impletur (*D* 796 847). *Necessitas* igitur *Ecclesiae* est quidem *medii,* at *hypothetica* neque vero absoluta.

957. Ex iis quae hisce exposita sunt, patet, quonam modo intellegenda sit sententia: *„Extra Ecclesiam nulla salus."*

Quoad rem hoc effatum iam inveniri potest apud *Ignatium Antiochenum* cum dicit: „Quotquot enim Dei sunt et Iesu Christi, hi sunt cum episcopo" (*R* 56), et apud *Irenaeum* dicentem: „Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia; Spiritus autem veritas" (*R* 226); secundum autem tenorem primo occurrere videtur in controversia de rebaptizandis haereticis. Et *Cyprianus* quidem arctius illud intellexit (epist. 73, 21; *CV* ed. *Hartel* II 795), negans validitatem baptismi ab haereticis administrati; ipsum autem principium, quod ita defectuose adhibet, perpulchre in libro *De catholicae Ecclesiae unitate* exponit. „Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. . . . Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem" (c. 6; *R* 557). *Augustinus* deinde, licet hunc Cypriani errorem minime teneat (De bapt. 2, 7 12; *R* 1623), tamen idem principium diserte laudat (l. c. 4, 17 24; *MSL* XLIII, 169 sqq.; *CV* Aug. opera VII, 1, ed. *Petschenig* 250 sq.) et fuse explicat [8].

Idem deinde principium occurrit in *decisionibus Ecclesiae,* e. g. in Concilio *Lateranensi IV* (*D* 430), in Bulla *„Unam sanctam"* (*D* 468),

in Concilio *Florentino* (*D* 714); cf. verba Pii IX (*D* 1647 1677); *CIC* 1322, 2.

De *sensu* iam, si quaeramus huius effati, dici debet Christus revera Ecclesiae suae omnia tradidisse: totum thesaurum salutis et doctrinae, media quoque gratiae, sacrificium et sacramenta, magisterium vivum ut depositorium doctrinae, cui insuper commisit libros a Spiritu Sancto conscriptos. Quae *omnia de iure pertinent Ecclesiae.* Ulterius autem omnes etiam gratiae *actuales,* animis a Spiritu Sancto inditae, non dantur nisi *respectu Ecclesiae,* aut quia homines *sunt* membra Ecclesiae, aut in eum finem, ut *fiant* membra Ecclesiae atque viam inveniant in Ecclesiam. Nullus igitur homo salvatur nisi in Ecclesia aut propter Ecclesiam.

Quibus verbis iam *exclusa* est interpretatio illa, quae contendit neminem salvari posse, nisi *actu* sit membrum Ecclesiae; vel extra *corpus* Ecclesiae nullam dari gratiam nullamque sanctitatem et salutem. Nam non solum doctrina Christi etiam per alios quam per magistros authenticos propagari potest, sed etiam exsistunt media gratiae, quae suum effectum retinent vel extendunt extra limites Ecclesiae. Sacramentum nimirum baptismi ab omnibus valide datur, qui debita materia, forma, intentione utuntur. Sacramenta eucharistiae, confirmationis, unctionis, ordinis valide administrantur etiam ab iis sacerdotibus vel episcopis, qui ab Ecclesia defecerint. Sacrificium deinde missae est tantae ubertatis, ut benedictiones suas diffundat ultra muros sanctae civitatis Dei, Ecclesiae nempe. Est etenim voluntas Dei, ut nemo pereat, sed ut omnes salventur; haec *voluntas Dei salvifica universalis* est ultima radix omnium gratiarum et omnis sanctitatis, quae extra Ecclesiae corpus inveniantur; at simul est ratio, cur nemo salvetur, nisi per Ecclesiam et propter Ecclesiam, quae est *corpus Christi,* „salutiferum redemptionis opus perenne" (*D* 1821). Attamen, ut ait *Vaticanum,* „minime par est conditio eorum, qui per caeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam umquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi" (*D* 1794) [9].

Voto saltem omnes adulti salvandi debent pertinere ad *Ecclesiam.*

958. 2. De causa materiali *proxima,* seu de iis, qui *actu* et *re* sunt membra Ecclesiae.

Sacramento initiationis, *baptismo* scilicet, homo inseritur corpori Christi, Ecclesiae. Sacramentum autem est signum sensibile gratiae internae, simul externum et internum. Hinc fit ut homo per baptismum inseratur et societati visibili religiosae, Ecclesiae quodammodo *corpori,* et eiusdem *animae,* quatenus animatur per Spiritum Sanctum ut animam Ecclesiae (cf. n. 942 sqq.) tamquam per principium increatum non inhaerens, proxime autem per gratiam sanctificantem tamquam per principium creatum animae inhaerens [10]. Insuper autem animae signum imprimitur indelebile

(*D* 852), quod testatur eam „Christum induisse" (Gal. 3, 27) atque de iure pertinere ad eius corpus mysticum, ita quidem ut particeps sit bonorum omnium, quae membris eius ex capite Christo profluunt, et simul obligata, ut sese submittat omnibus eius legibus et praeceptis Ecclesiae (*D* 864). Clare et lucide *Codex Iuris Canonici:* „Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et officiis, nisi, ad iura quod attinet, obstet obex ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura" (can. 87). Quibus verbis indicatur vinculum inter hominem baptizatum et ipsam Ecclesiam posse impediri et partim saltem solvi. Quaeritur iam quanam ratione.

959. a) Quod ad *animam* Ecclesiae attinet et proxime vitam illam supernaturalem, quae per hanc animam, Spiritum Sanctum, in fidelibus diffunditur (*D* 800), certum quidem est hominem baptizatum *gratiam* iterum *amittere* (*D* 833 862) itaque *membrum mortuum* fieri posse; at minime per peccatum ut tale idem ab ipso corpore Ecclesiae abscinditur, sicut Ecclesia identidem contra haereticos edixit (cf. *D* 1515), maxime illos, qui contendebant Ecclesiam esse coetum sanctorum et perfectorum (cf. n. 544 sqq.), neque vero *peccatores* in se continere posse. Tanta igitur erat misericordia Christi Iesu erga peccatores, ut ipsos, qui propria culpa ex gratia exciderunt, tamen per iuncturas corporis Christi externe saltem cum ipso capite coniunctos esse voluerit, quo facilius gratiam recuperarent.

960. b) Quod ad *corpus* Ecclesiae attinet, externam scilicet organisationem, solutio vinculi, utpote socialis et externi, partim saltem fieri potest, et quidem tum ex parte membri, tum ex parte societatis seu Ecclesiae.

α) Et primum quidem *ex parte Ecclesiae.* Quoniam homo ut ens rationale est membrum Ecclesiae atque non sine propria cooperatione salvatur, debet, quamprimum ad annos discretionis pervenerit, libere eam societatem amplecti et sequi, cui per baptismum insertus est; in concreto igitur sese submittere debet legibus et praeceptis Ecclesiae eiusque auctoritati, ab ipso Christo institutae. Ex eiusdem auctoris voluntate et institutione competit Ecclesiae *ius coercitivum* in delinquentes. „Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus" (*CIC* 2214, 1). Ex quibus poenis huc spectat *excommunicatio,* scilicet „censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus . . . enumerantur" (*CIC* 2257, 1); censura autem „est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur" (*CIC* 2241).

Ex quibus sequitur *excommunicatos non simpliciter separari a corpore Ecclesiae, ne vitandos* (*CIC* 2258 sqq.) quidem. Nam licet excommunicatio sit „poena spiritualis, ligans in caelo, animas obligans" (*D* 1546), manet tamen poena, et qua talis supponit nexum iuridicum inter Ecclesiae auctoritatem et delinquentem; est porro censura seu poena medicinalis, et qua talis intendit correctionem et sanationem delinquentis. Diserte denique infligitur ad tempus, donec scilicet „a contumacia recedens, absolvatur" delinquens (*CIC* 2241, 1). Remoto obice vinculum ecclesiasticae communionis restituitur (*CIC* 87).

961. β) Non eadem ac excommunicati est condicio *haeretici* et *schismatici,* illius scilicet, qui, postquam per baptismum Ecclesiae aggregatus est, *libere sese ab ea separat.* „Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus, fide divina et catholica credendis (cf. *CIC* 1323), denegat aut de ea dubitat, *haereticus;* si a fide christiana totaliter recedit, *apostata;* si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, *schismaticus* est" (*CIC* 1325, 2). Hi omnes, cum vinculum externum cum Ecclesia interciderint, non pertinent ad Ecclesiam ut societatem essentialiter visibilem. Verum quidem manet etiam in istis permanere characterem baptismi indelebilem, vi cuius Ecclesia potest iura sua in eos exercere (*CIC* 87) eosque revocare atque ad regressum adigere; attamen interim gregem Domini deseruerunt, atque manent extra ovile donec redeant.

Quae modo dicta sunt, valent de haereticis *notoriis,* qui vocantur; haeretici autem *interni,* qui nimirum peccatum haeresis mere in mente perpetrarunt, vel *occulti,* quorum haeresis minime nota est, cum vinculum externum non ruperint, non censendi sunt ab Ecclesia separati [11]. Haeretici autem *materiales,* in oppositione ad *formales* ii, qui bona fide errant, possunt quidem, si scilicet sunt in statu gratiae, ad eius animam pertinere, ad corpus autem eius non pertinent. Nihilominus facienti quod in se est Deus gratias non denegat, atque huic bonae voluntati baptizati magis etiam quam non-baptizato viam sternet ad Ecclesiam. Universim enim, de omnibus scilicet qui extra communionem Ecclesiae versantur absque culpa, valent quae *Augustinus* dicit: „Nec ego dubito, catechumenum catholicum divina caritate fla-

grantem haeretico baptizato anteponere. Sed etiam in ipsa intus Catholica bonum catechumenum malo baptizato anteponimus" (De bapt. 4, 21, 28; *R* 1629)[12].

962. ***Scholion.*** Hoc tandem loco inter se comparari possunt variae societates, ad quos christiani vi vocationis atque baptismi pertinent.

Regnum Dei (cf. n. 27 sqq.) non simpliciter coincidit cum Ecclesia Christi; sed Ecclesia est Regnum Dei exsistens in condicionibus huius mundi, perenne quidem, sed non aeternum, cum, fine suo impleto, in consummatione saeculi cessaturum sit (n. 238).

Neque *communio sanctorum* simpliciter converti potest cum Ecclesia, cum haec communio praeter membra Ecclesiae stricte dictae complectatur etiam comprehensores, immo vario gradu, proxime vel remote, ipsos viatores in terris omnes (n. 935 sqq.).

Corpus Christi mysticum coincidit cum ipsa Ecclesia, ita ut qui ad Ecclesiam pertinent, etiam inserti sint huic Christi corpori.

Ecclesia deinde distinguitur sensu proprio et stricto et sensu quodam latiore sumpta. Sensu latiore intellegitur nomen Ecclesiae prout et *militantem* et (patientem et) *triumphantem* comprehendit. „Ecclesiae autem duae potissimum sunt partes", ait *Catechismus Romanus,* „quarum altera *triumphans,* altera *militans* vocatur. Triumphans est coetus ille clarissimus et felicissimus beatorum spirituum, et eorum, qui de mundo, de carne, de iniquissimo daemone triumpharunt et ab huius vitae molestiis liberi ac tuti, aeterna beatitudine fruuntur."[13]

Ecclesiae denique distinguitur *corpus* seu organisatio ut externa et visibilis, et *anima,* scilicet Spiritus Sanctus, qui potissimum per gratiam habitualem, attamen etiam per alia dona atque imprimis per habitum fidei, qui in baptizatis etiam peccatoribus, excepto casu infidelitatis, remanet (*D* 808 838), informat Ecclesiam.

E. De causa Ecclesiae finali.

963. Quae de causa Ecclesiae finali dici debent, brevissime iam absolvi possunt, cum identidem commemorata sint.

1. Finis Ecclesiae distingui potest *proximus,* nimirum his in terris obtinendus, et remotus vel transcendentalis, in altera vita attingendus. Et his quidem *in terris* Ecclesia est „mater et magistra" (cf. *D* 433). *Magistra* est, quia ipsi concredita est revelatio et doctrina Christi (*Ass. 24 sqq.,* n. 641 sqq.); *mater* autem est omnis vitae supernaturalis, omnis sanctitatis et virtutis. Est etenim opus redemptionis Iesu Christi perenne; est ipsius Iesu Christi corpus, ab ipso tamquam a capite vivificatum; est animatum a

Spiritu Sancto, principio et auctore omnis sanctitatis. Hinc nil mirum, quod fructus insignes produxerit sanctitatis, ita ut eius *fecunditas* et *sanctitas* constituat et *notam* (*Ass. 22,* n. 485) et *miraculum* perenne (*Ass. 23,* n. 624 sqq.), quod vi quadam irresistibili animos ad se attrahit atque amorem filialem in omnium cordibus, maxime fidelium incendit. Hinc filii amantissimi ab initio dederunt Ecclesiae carum illud nomen matris, inde a *S. Paulo* (Gal. 4, 26) et a scriptoribus saeculi secundi, *Pastore Hermae, Irenaeo, Clemente Alexandrino, Tertulliano*[14]. *Cypriani* verba supra (n. 957) allegavimus. Praeclare *Augustinus* comparationem inter Deum patrem et Ecclesiam matrem nostram exsequitur: „Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam eius; illum sicut patrem, istam sicut matrem; illum sicut dominum, hanc sicut ancillam eius; quia filii ancillae ipsius sumus.... Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem, et matrem Ecclesiam!" (Enarr. in Ps. 88, 2, 14; *R* 1478)[15].

2. Finis deinde *transcendentalis* Ecclesiae est beatitudo caelestis filiorum eius in gloriam Dei in ea „quae sursum est Ierusalem" (Gal. 4, 26), quam describit vates N^{i} T^{i}, Ioannes, in *Apocalypsi:* „Caelum novum et terram novam", „sanctam civitatem, Ierusalem novam, descendentem de caelo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo . . . tabernaculum Dei cum hominibus . . ." (21, 1—3), „habentem claritatem Dei" (21, 11); „et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni" (21, 14).

Tunc implentur quae dicit Paulus: „Oportet autem illum (Iesum Christum) regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors. . . . Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit *Deus omnia in omnibus*" (1 Cor. 15, 25—28)[16].

Atque sic ultimus et altissimus finis Ecclesiae et redemptionis et totius creationis obtinetur: *gloria Dei.*

964. NOTAE. — **1** *B. Rob. Bellarmini* De controversiis t. II, controv. generalis I, lib. 3 (De Ecclesia militante toto orbe diffusa; c. 2 „De definitione Ecclesiae"). In hoc libro agit de membris Ecclesiae, respective de iis, qui non pertinent ad Ecclesiam. Cf. de hac definitione *S. Weber,* Christl. Apologetik 238, nota 2. — **2** De causa exemplari fuse *C. Passaglia,* De Ecclesia II 350 sqq.; *I. B. Franzelin,* Theses de Ecclesia thes. 19, p. 320 sqq. — **3** Encycl. „*Divinum illud*", ed. *Herder* p. 13. — **4** De unitate inter duo elementa et principia Ecclesiae cf. *G. Wilmers,* De Christi Ecclesia 91 sqq. — **5** Ergo falsum est solos praedestinatos ad Ecclesiam pertinere; cf. *G. Wilmers* l. c. 626 sqq. — **6** Cf. *J. Rouët,* Enchiridion Patristicum, Index theologicus 50; *I. B. Franzelin* l. c. thes. 18, p. 301 sqq.; *Chr. Pesch,* Praelect. dogm. I$^{6/7}$, n. 389 sqq.;

Encyclica *„Satis cognitum“* (n. 965 sqq.). — **7** Fuse de notione catechumeni *C. Passaglia* l. c. II 691 sqq.; cf. *I. B. Franzelin* l. c. 414 sqq. — **8** *Th. Specht*, Die Lehre von der Kirche nach dem hl. Augustinus 294 sqq. — **9** De sensu horum verborum controverso cf. *W. Strasser* in Theol. u. Glaube XV (1923) 230—246; *M. Pribilla* in Stimmen der Zeit CIX (1925) 173—187. — De necessitate Ecclesiae: *Chr. Pesch* l. c. n. 393 sqq.; *E. Lingens,* Die innere Schönheit des Christentums 20 sqq.; *I. V. Bainvel,* Hors de l'église pas de salut. 1913; *H. Dieckmann,* Die Verfassung der Urkirche 122; *K. Adam,* Das Wesen des Katholizismus 104—119. — **10** *Chr. Pesch* l. c. I 6/7, 394; II 5/6, n. 667 sqq. — **11** De papa haeretico, num scilicet esse possit, agit e. g. *B. R. Bellarminus* l. c. I, Controv. generalis III, lib. 4, c. 2 sqq. — **12** Variae de membris Ecclesiae sententiae cf. *Specht* l. c. 57 sqq. (de Augustini sententia); *Bellarminus* l. c. II, Controv. generalis I, lib. 3; *F. Suarez,* De fide disp. 9, sect. 1, n. 23; *Passaglia* l. c. II 401 sqq.; *Franzelin* l. c. 377 sqq.; *Wilmers* l. c. 619 sqq.; *Pesch* l. c. I 6/7, n. 328 sqq.; *I. V. de Groot,* Summa apologetica de Ecclesia catholica (³1906) 74 sqq.; *I. Muncunill,* De Christi Ecclesia 519 sqq. — **13** I, c. 10, q. 5; quibus duabus ecclesiis additur saepe tertia, *patiens* nimirum, quae constat ex animabus in purgatorio detentis. — **14** Cf. *J. Lebreton,* Recherches de science religieuse II (1911) 572 sq. — **15** Quoniam Ecclesia est societas visibilis et religiosa a Deo instituta et perfecta (cf. n. 315), multiplices habet relationes ad alias societates, imprimis ad civitatem, de quibus in Iure canonico agendum est. — **16** *I. B. Franzelin* l. c. p. 339 sqq. prosequitur finem Ecclesiae, qui sit gloria Christi. „Immo omnium, quae ad nostram doctrinam scripta sunt . . . ultima recapitulatio et verba postrema sunt clamor spiritus et sponsae: ‚Veni, Domine Iesu!‘ (Apoc. 22, 17 20)“ (346).

EPISTULA ENCYCLICA LEONIS XIII „SATIS COGNITUM“

(de die 29 Iunii 1896)

DE UNITATE ECCLESIAE[1].

[Introductio: Ut omnes redeant ad unitatem]

965. Satis cognitum vobis est, cogitationum et curarum Nostrarum partem non exiguam illuc esse conversam, ut ad ovile in potestate positum summi pastoris animarum Iesu Christi revocare devios conemur. Intento hac in re animo, non parum conducere salutari consilio propositoque arbitrati sumus, Ecclesiae effigiem ac velut lineamenta describi: in quibus praecipua consideratione dignissima *unitas* est, quam in ea, velut insigne veritatis invictaeque virtutis, divinus auctor ad perpetuitatem impressit. Multum in intuentium animis nativa Ecclesiae pulchritudo speciesque posse debet: neque abest a veri similitudine, tolli eius contemplatione posse inscientiam; sanari opiniones falsas praeiudicatasque, maxime apud eos qui non sua ipsorum culpa in errore versentur: quin imo excitari etiam in hominibus posse Ecclesiae amorem utique similem caritati, qua Iesus Christus eam sibi sponsam, divino cruore redemptam, optavit: *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea*[2]. Reversuris ad amantissimam parentem, aut non probe cognitam adhuc, aut iniuriâ desertam, si reditum stare oporteat non sanguine quidem, quo tamen pretio est Iesu Christo quaesita, sed labore aliquo molestiaque multo ad perpetiendum leviore, saltem perspicuum erit non voluntate humana id onus homini, sed iussu nutuque divino impositum, ob eamque rem opitulante gratia caelesti,* facile in se ipsi experientur ut veritatem intelligant* divinae eius sententiae: *Iugum enim meum suave est, et onus meum leve*[3]. Quamobrem spe maxima in *Patre luminum* reposita, unde *omne datum optimum et omne donum perfectum*[4] descendit, ab eo scilicet, *qui incrementum dat*[5] unus, enixe petimus, ut Nobis vim persuadendi impertire benigne velit.

* *ASS:* facile veritatem experiendo intelligent.

[1] Acta Sanctae Sedis XXVIII (1895—1896) 708 sqq.; ed. *Herder* IV 228 sqq.; ed. *Desclée* VI 156 sqq.

[2] Eph. 5, 25. [3] Matth. 11, 30. [4] Iac. 1, 17. [5] 1 Cor. 3, 6.

[De unicitate et unitate Ecclesiae.]

966. *[De origine Ecclesiae divina]* — Etsi Deus, quaecumque a naturis creatis efficiuntur, omnia ipse efficere sua solius virtute potest, nihilominus tamen ad iuvandos homines ipsis uti hominibus, ex benigno providentiae consilio, maluit: et quemadmodum in rerum genere naturalium perfectionem debitam, ita in iis, quae modum naturae transiliunt, sanctitatem homini ac salutem non nisi hominum opera ministerioque impertire consuevit. Sed perspicuum est, nihil inter homines communicari, nisi per externas res quae sensibus percipiantur, posse. Hac de causa humanam naturam assumpsit Dei Filius, *qui cum in forma Dei esset . . . semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*[1]*:* atque ita, in terris agens, doctrinam suam suarumque praecepta legum hominibus, colloquendo, tradidit.

Cum divinum munus eius perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes: cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, praecepit, peragrarent orbem terrarum, quodque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent: hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam.

967. *[De eius natura interna simul et externa]* — Hac ratione atque hoc principio Ecclesia genita: quae quidem, si extremum illud quod vult, caussaeque proximae sanctitatem efficientes spectentur, profecto est *spiritualis:* si vero eos consideres, quibus cohaeret, resque ipsas quae ad spiritualia dona perducunt, *externa* est necessarioque conspicua. Docendi munus accepere Apostoli per cognoscenda visu audituque signa: idque illi munus non aliter executi quam dictis factisque, quae utique sensus permoverent. Ita quidem illorum vox extrinsecus illapsa per aures, fidem ingeneravit in animis: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*[2]. Ac fides ipsa, scilicet assensio primae supremaeque veritati, mente quidem per se comprehenditur, sed tamen eminere foras evidenti professione debet: *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*[3]. Simili modo nihil est homini gratiâ caelesti, quae gignit sanctitudinem, interius: sed externa sunt ordinaria ac praecipua participandae instrumenta gratiae: sacramenta dicimus, quae ab hominibus ad id nominatim lectis, certorum ope rituum, administrantur. Iussit Iesus Christus

[1] Phil. 2 6 7. [2] Rom. 10, 17. [3] Rom. 10, 10.

Apostolis perpetuisque Apostolorum successoribus, gentes ut edocerent ac regerent: iussit gentibus, ut illorum et doctrinam acciperent et potestati obedienter subessent. Verum isthaec in christiana republica iurium atque officiorum vicissitudo non modo permanere, sed ne incohari quidem potuisset nisi per interpretes ac nuntios rerum sensus. — Quibus de caussis Ecclesiam cum *corpus,* tum etiam *corpus Christi* tam crebro sacrae litterae nominant: *Vos autem estis corpus Christi*[1]. Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia: propterea quod est Christi, vivum corpus est actuosum et vegetum, quia eam tuetur ac sustentat, immissa virtute sua, Iesus Christus, in eum fere modum quo cohaerentes sibi palmites alit ac fructuosos facit vitis. Quemadmodum autem in animantibus principium vitae in occulto est ac penitus abditum, indicatur tamen atque ostenditur motu actuque membrorum, sic in Ecclesia supernaturalis principium vitae perspicue ex iis, quae ab ipsa aguntur, apparet.

968. *[De partium duarum complexione]* — Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio. Non est Ecclesia intermortuum quiddam, sed corpus Christi vita supernaturali praeditum. Sicut Christus, caput et exemplar, non omnis est, si in eo vel humana dumtaxat spectetur natura visibilis, quod Photiniani ac Nestoriani faciunt; vel divina tantummodo natura invisibilis, quod solent Monophysitae: sed unus est ex utraque et in utraque natura cum visibili tum invisibili; sic corpus eius mysticum non vera Ecclesia est nisi propter eam rem, quod eius partes conspicuae vim vitamque ducunt ex donis supernaturalibus rebusque ceteris, unde propria ipsarum ratio ac natura efflorescit.

969. *[Secundum voluntatem Christi perenni]* — Cum autem Ecclesia sit *eiusmodi* voluntate et constitutione divina, permanere sine ulla intermissione debet *eiusmodi* in aeternitate temporum:

[1] 1 Cor. 12, 27.

ni permaneret, profecto nec esset condita ad perennitatem, et finis ipse, quo illa contendit, locorum esset temporumque certo spatio definitus: quod cum veritate utrumque pugnat. Istam igitur et visibilium et invisibilium coniunctionem rerum, quia naturalis atque insita in Ecclesia nutu divino inest, tamdiu permanere necesse est, quamdiu ipsa permansura Ecclesia. Quare Chrysostomus: *Ab Ecclesia ne abstineas: nihil enim fortius Ecclesia. Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia. Caelo excelsior et terra latior est illa. Numquam senescit, sed semper viget. Quamobrem eius firmitatem stabilitatemque demonstrans, Scriptura montem illam vocat*[1]. Augustinus vero: *Putant* (gentiles) *religionem nominis christiani ad certum tempus in hoc saeculo victuram, et postea non futuram. Permanebit ergo cum sole, quamdiu sol oritur et occidit; hoc est quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est Christi corpus in terris*[2]. Idemque alibi: *Nutabit Ecclesia, si nutaverit fundamentum: sed unde nutabit Christus? . . . Non nutante Christo, non inclinabitur in saeculum saeculi. Ubi sunt qui dicunt, periisse de mundo Ecclesiam, quando nec inclinari potest?*[3]

[Norma in inquisitione sequenda] — His velut fundamentis utendum veritatem quaerenti. Scilicet Ecclesiam instituit formavitque Christus Dominus: propterea natura illius cum quaeritur cuiusmodi sit, caput est nosse quid Christus voluerit quidque reapse effecerit. Ad hanc regulam exigenda maxime Ecclesiae unitas est, de qua visum est, communis utilitatis caussâ, nonnihil his litteris attingere.

[1. Ecclesia Christi est unica]

970. *[Factum agnoscitur]* — Profecto unam esse Iesu Christi germanam Ecclesiam, ex luculento ac multiplici sararum litterarum testimonio, sic constat inter omnes, ut contradicere christianus nemo ausit. Verum in diiudicanda statuendaque natura unitatis, multos varius error de via deflectit. Ecclesiae quidem non solum ortus sed tota constitutio ad rerum voluntate libera effectarum pertinet genus: quocirca ad id quod revera gestum est, iudicatio est omnis revocanda, exquirendumque non sane quo pacto una esse Ecclesia queat, sed quo unam esse is voluit, qui condidit.

971. *[Modus unitatis ex Christi voluntate disci debet]* — Iamvero, si ad id respicitur quod gestum est, Ecclesiam Iesus Christus

[1] Hom. de capto Eutropio n. 6. [2] In Ps. 71, n. 8.
[3] Enarratio in Ps. 103, sermo 2, n. 5.

non talem finxit formavitque, quae communitates plures complecteretur genere similes, sed distinctas, neque iis vinculis alligatas, quae Ecclesiam individuam atque unicam efficerent, eo plane modo, quo *Credo unam . . . Ecclesiam* in symbolo fidei profitemur. *In unius naturae sortem cooptatur Ecclesia quae est una, quam conantur haereses in multas discindere. Et essentia ergo et opinione, et principio et excellentia unicam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam. . . . Ceterum Ecclesiae quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile vel aequale*[1]. Sane Iesus Christus de aedificio eiusmodi mystico cum loqueretur, Ecclesiam non commemorat nisi unam, quam appellat *suam: aedificabo Ecclesiam meam.* Quaecumque, praeter hanc, cogitetur alia, cum non sit per Iesum Christum condita, Ecclesia Christi vera esse non potest.

972. *[Qua condidit unicam Ecclesiam, ut per eam salutem funderet in omnes homines]* — Quod eminet etiam magis, si divini auctoris propositum consideretur. Quid enim in condita condendave Ecclesia petiit, quid voluit Christus Dominus? Hoc scilicet: munus idem, idemque mandatum in eam continuandum transmittere, quod ipse acceperat a Patre. Id plane statuerat faciendum, idque re effecit. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*[2]. *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum*[3]. Iamvero Christi muneris est vindicare ab interitu ad salutem *quod perierat,* hoc est non aliquot gentes aut civitates, sed omnino hominum, nullo locorum temporumve discrimine, universum genus: venit *Filius hominis . . . ut salvetur mundus per ipsum*[4]. *Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*[5]. Itaque partam per Iesum Christum salutem, simulque beneficia omnia quae inde proficiscuntur, late fundere in omnes homines atque ad omnes propagare aetates debet Ecclesia. Quocirca ex voluntate auctoris sui unicam in omnibus terris, in perpetuitate temporum, esse necesse est. Plane plus una ut esse posset, excedere terris, et genus hominum fingere novum atque inauditum oporteret.

973. *[Hinc praedicta est Ecclesia ut unus mons Domini]* — Hoc ipsum de Ecclesia una, quatquot essent ubique et quovis tempore mortales complexura, vidit ac praesignificavit Isaias, cum, futura prospicienti, obiecta species montis est, celsitudinis exsuperantia

[1] *Clemens Alex.,* Strom. l. 7, c. 17. [2] Io. 20, 21. [3] Io. 17, 18.
[4] Io. 3, 17. [5] Act. 4, 12.

conspicui, qui imaginem *Domus Domini*, videlicet Ecclesiae, expressam gerebat: *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium*[1]. Atqui *unus* iste mons est, in vertice montium locatus: *una* domus Domini, ad quam *omnes gentes* vivendi normam petiturae aliquando confluerent: *Et fluent ad eam omnes gentes . . . et dicent: venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius*[2]. Quem locum cum Optatus Milevitanus attingeret, *Scriptum est*, inquit, *in Isaia propheta: ex Sion prodiet lex, et verbum Domini de Hierusalem. Non ergo in illo monte Sion Isaias aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia, qui per omnem orbem romanum caput tulit sub toto caelo. . . . Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus, quae est in toto orbe terrarum, in quo est una Ecclesia catholica*[3]. Augustinus vero: *Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt. . . . Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terrae: et de illo dicitur: paratus in cacumine montium*[4].

974. *[Praedicata ut unum corpus Christi]* — Illud accedit, quod Ecclesiam Filius Dei mysticum corpus suum decrevit fore, quocum ipse velut caput coniungeretur, ad similitudinem corporis humani quod suscepit: cui quidem naturali conglutinatione inhaeret naturale caput. Sicut igitur mortale corpus sibi sumpsit unicum, quod obtulit ad cruciatus et necem, ut liberationis humanae pretium exsolveret, sic pariter unum habet corpus mysticum, in quo et cuius ipsius opera facit sanctitatis salutisque aeternae homines compotes: *Ipsum* (Christum) *dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius*[5]. Dispersa membra atque seiuncta non possunt eodem cum capite, unum simul effectura corpus, cohaerere. Atqui Paulus, *Omnia autem*, inquit, *membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus*[6]. Propterea corpus istud mysticum *compactum* ait esse *et connexum. Caput Christus: ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri*[7]. Quamobrem dispersa a membris ceteris siqua membra vagantur, cum eodem atque unico capite conglutinata esse nequeunt: *Unus Deus est, et Christus unus, et una Ecclesia eius et fides una et plebs una in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata. Scindi*

[1] Is. 2, 2. [2] Is. 2, 2 3.
[3] De schism. Donatist. l. 3, n. 2. [4] In Epist. Ioan. tract. 1, n. 13.
[5] Eph. 1, 22 23. [6] 1 Cor. 12, 12. [7] Eph. 4, 15 16.

unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari[1]. Quo melius Ecclesiam effingat unicam, similitudinem animati corporis informat, cuius non aliter victura membra sunt, nisi colligata cum capite, vim ad se vitalem ex capite ipso traducant: seiuncta, necesse est emori: *Non potest* (Ecclesia) . . . *divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit*[2]. Mortuum vero corpus quid habet cum vivo similitudinis? *Nemo enim umquam carnem suam odio habuit: sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius*[3]. Aliud igitur simile Christo incohetur caput, alius Christus, si praeter eam, quae corpus eius est, fingi Ecclesiam alteram libeat. *Videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit, ut in corpore humano, imo de corpore aliquod praecidatur membrum, manus, digitus, pes: numquid praecisum sequitur anima? Cum in corpore esset, vivebat: praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit: praecisus, haereticus factus est: membrum amputatum non sequitur spiritus*[4]. Est igitur Ecclesia Christi unica et perpetua: quicumque seorsum eant, aberrant a voluntate et praescriptione Christi Domini, relictoque salutis itinere, ad interitum digrediuntur. *Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae iungitur, a promissis Ecclesiae separatur, nec perveniet ad Christi praemia qui reliquit Ecclesiam Christi. . . . Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem*[5].

[2. Ecclesia est una.]

975. *[Factum constat ex verbis Christi]* — At vero qui unicam condidit, is idem condidit *unam:* videlicet eiusmodi, ut quotquot in ipsa futuri essent, arctissimis vinculis sociati tenerentur, ita prorsus ut unam gentem, unum regnum, corpus unum efficerent: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae*[6]. Voluntatem hac de re suam Iesus Christus sanxit, propinqua iam morte, augusteque consecravit, ita Patrem adprecatus: *Non pro eis rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me . . . ut et ipsi in nobis unum sint . . . ut sint consummati in unum*[7]. Imo tam intime nexam iussit esse in sectatoribus suis unitatem tamque perfectam, ut coniunctionem cum Patre suam ratione aliqua imitaretur: *Rogo . . . ut omnes*

[1] *S. Cypr.*, De cath. Eccl. unitate n. 23. [2] Ibid. [3] Eph. 5, 29 30.
[4] *S. Aug.*, Sermo 267, n. 4. [5] *S. Cypr.* l. c. n. 6. [6] Eph. 4, 4.
[7] Io. 17, 20 21 23.

unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te[1]. Tantae autem inter homines ac tam absolutae concordiae necessarium fundamentum est convenientia coniunctioque mentium: ex quo conspiratio voluntatum atque agendorum similitudo naturâ gignitur. Quamobrem, pro sui divinitate consilii, *unitatem fidei* in Ecclesia sua iussit esse: quae quidem virtus primum est in vinculis iis quae hominem iungunt Deo, et inde nomen *fideles* accepimus. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma*[2]: videlicet sicut unus Dominus, et baptisma unum, ita omnium christianorum, qui ubique sunt, unam esse fidem oportet.

976. *[Et ex consensu christiano]* — Itaque Paulus Apostolus christianos, ut idem sentiant omnes, effugiantque opinionum dissidia non rogat tantum, sed flagitat ac plane obsecrat: *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia*[3]. Quae loca sane non indigent interprete: satis enim per se loquuntur ipsa. Ceteroqui unam esse fidem debere, qui se profitentur christianos, vulgo assentiuntur. Illud potius maximi momenti ac prorsus necessarium, in quo multi errore falluntur, internoscere quae sit istius species et forma unitatis. Quod ipsum, ut supra fecimus in caussa simili, non opinatione aut coniectura est, sed scientia rei gestae iudicandum: quaerendo scilicet statuendoque qualem in fide unitatem Iesus Christus esse praeceperit.

977. *[De forma unitatis interroganda est mens Christi. — a) Unitas doctrinae et magisterii]* — Iesu Christi doctrina caelestis, tametsi magnam partem consignata litteris afflatu divino, colligare tamen mentes, permissa hominum ingenio, ipsa non poterat. Erat enim proclive factu ut in varias incideret atque inter se differentes interpretationes: idque non modo propter ipsius vim ac mysteria doctrinae, sed etiam propter humani ingenii varietatem, et perturbationem in studia contraria abeuntium cupiditatum. Ex differentia interpretandi dissimilitudines sentiendi necessitate nascuntur: hinc controversiae, dissidia, contentiones, qualia incumbere in Ecclesiam ipsa vidit proxima originibus aetas. De haereticis illud scribit Irenaeus: *Scripturas quidem confitentur, interpretationes vero convertunt*[4]. Atque Augustinus: *Neque enim natae sunt haereses et quaedam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum praecipitantia, nisi dum scripturae bonae intelliguntur non bene*[5]. Ad coniugandas igitur mentes,

[1] Io. 17, 21. [2] Eph. 4, 5. [3] 1 Cor. 1, 10.
[4] Lib. 3, c. 12, n. 12. [5] In Evang. Ioan. tract. 18, c. 5, n. 1.

ad efficiendam tuendamque concordiam sententiarum, ut ut extarent divinae litterae, omnino erat alio quodam *principio* opus. Id exigit divina sapientia: neque enim Deus unam esse fidem velle potuit, nisi conservandae unitatis rationem quamdam idoneam providisset: quod et sacrae litterae perspicue, ut mox dicturi sumus, significant. Certe infinita Dei potentia nulli est vincta vel adstricta rei, omniaque sibi habet obnoxie, velut instrumenta, parentia. De isto igitur principio externo, dispiciendum, quodnam ex omnibus, quae essent in potestate sua, Christus optarit. Quam ob rem oportet christiani nominis revocare cogitatione primordia.

978. *[Christus est legatus Divinus]* — Divinis testata litteris, eademque vulgo cognita commemoramus. Iesus Christus divinitatem divinamque legationem suam miraculorum virtute comprobat: erudire verbo multitudinem ad caelestia insistit, omninoque iubet ut sibi fides docenti adiungatur, hinc praemiis illinc poenis propositis sempiternis: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi*[1]. *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent*[2]. *Si autem facio* (opera), *et si mihi non vultis credere, operibus credite*[3]. Quaecumque praecipit, eâdem omnia auctoritate praecipit: in exigendo mentis assensu nihil secernit. Eorum igitur qui Iesum audissent, si adipisci salutem vellent, officium fuit non modo doctrinam eius accipere universe, sed tota mente assentiri singulis rebus, quas ipse tradidisset: illud enim repugnat, fidem vel una in re non adhiberi Deo.

979. *[Ut talis munus suum doctrinale tradidit apostolis]* — Maturo in caelum reditu, qua ipse potestate missus a Patre fuerat, eâdem mittit Apostolos, quos spargere ac disseminare iubet doctrinam suam: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. . . . Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis*[4]. Salvos fore, qui Apostolis paruissent, qui non paruissent, interituros: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*[5]. Cumque illud sit providentiae Dei maxime congruens, ut muneri praesertim magno atque excellenti praeficiat neminem, quin pariter suppeditet unde liceat rite defungi, idcirco Iesus Christus missurum se ad discipulos suos Spiritum veritatis pollicitus est, eumque in ipsis perpetuo mansurum: *Si autem abiero, mittam eum* (Paraclitum) *ad vos. . . . Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*[6]. *Et ego rogabo Patrem, et*

[1] Io. 10, 37. [2] Io. 15, 24. [3] Io. 10, 38. [4] Matth. 28, 18 19 20.
[5] Marc. 16, 16. [6] Io. 16, 7—13.

alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis. . . .[1] *Ille testimonium perhibebit de me: et vos testimonium perhibebitis*[2]. Hinc doctrinam Apostolorum religiose accipi sancteque servari perinde imperat ac suam: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit*[3]. Quamobrem legati Apostoli a Iesu Christo sunt non secus ac ipse legatus a Patre: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*[4]*:* propterea quemadmodum dicto audientes Christo esse Apostolos ac discipulos oportuit, ita pariter fidem adhibere Apostolis debuerant, quoscumque ipsi ex mandato divino docuissent. Ergo Apostolorum vel unum repudiare doctrinae praeceptum plane non plus licuit, quam de ipsius Christi doctrina reiecisse quicquam. — Sane Apostolorum vox, illapso in eos Spiritu sancto, quam latissime insonuit. Quacumque vestigium posuissent, perhibent se ab ipso Iesu legatos. *Per quem* (Iesum Christum) *accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius*[5]*:* divinamque eorum legationem passim Deus per prodigia in aperto ponit: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis*[6]. Quem vero sermonem? eum utique, qui id omne comprehenderet, quod ipsi ex magistro didicissent: palam enim aperteque testantur, nihil se eorum posse, quae viderant quaeque audierant, non loqui.

980. *[Quorum successores sunt episcopi]* — Sed, quod alio loco diximus, non erat eiusmodi munus apostolicum, ut aut cum personis Apostolorum interire posset, aut cum tempore labi, quippe quod et publicum esset et saluti generis humani institutum. Apostolis enim mandavit Iesus Christus ut praedicarent *evangelium omni creaturae,* et *portarent nomen ipsius coram gentibus et regibus,* et *ut sibi testes essent usque ad ultimum terrae.* Atque in tanti perfunctione muneris adfore se pollicitus eis est, idque non ad aliquot vel annos vel aetates, sed in omne tempus, *usque ad consummationem saeculi.* Quam ad rem Hieronymus: *Qui usque ad consummationem saeculi cum discipulis se futurum esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros et se numquam a credentibus recessurum*[7]. Quae quidem omnia in solis Apostolis, supremae necessitati ex humana conditione obnoxiis, qui vera esse potuissent? Erat igitur provisum divinitus ut magisterium a Iesu Christo institutum non iisdem finibus, quibus vita Apostolorum, terminaretur, sed esset perpetuo mansurum. Propagatum revera ac velut in manus de manu traditum videmus. Nam consecravere

[1] Io. 14, 16 17. [2] Io. 15, 26 27. [3] Luc. 10, 16. [4] Io. 20, 21.
[5] Rom. 1, 5. [6] Marc. 16, 20. [7] In Matth. l. 4, c. 28, v. 20.

episcopos Apostoli, quique sibi proxime succederent in *ministerio verbi,* singillatim designavere.

981. Neque hoc tantum: illud quoque sanxere in successoribus suis, ut et ipsi viros idoneos adlegerent, quos, eadem auctoritate auctos, eidem praeficerent docendi officio et muneri: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Iesu: et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere*[1]. Qua de caussa sicut Christus a Deo, et Apostoli a Christo, sic episcopi et quotquot Apostolis successere, missi ab Apostolis sunt: *Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo, et Apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. . . . Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant. . . . Constituerunt praedictos, et deinceps ordinationem dederunt, ut quum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent*[2]. Permanere igitur necesse est ex una parte constans atque immutabile munus docendi omnia, quae Christus docuerat: ex altera constans atque immutabile officium accipiendi profitendique omnem illorum doctrinam. Quod praeclare Cyprianus iis verbis illustrat: *Neque enim Dominus noster Iesus Christus, cum in Evangelio suo testaretur inimicos suos esse eos, qui secum non essent, aliquam speciem haereseos designavit: sed omnes omnino qui secum non essent et secum non colligentes, gregem suum spargerent, adversarios esse ostendit, dicens: Qui non est mecum, adversus me est; et qui non mecum colligit, spargit*[3].

982. *[Ecclesia omnem semper respuit errorem]* — His Ecclesia praeceptis instituta, sui memor officii, nihil egit studio et contentione maiore, quam ut integritatem fidei omni ex parte tueretur. Hinc perduellium habere loco et procul amandare a se, qui de quolibet doctrinae suae capite non secum una sentirent. Ariani, Montanistae, Novatiani, Quartadecumani, Eutychiani certe doctrinam catholicam non penitus omnem, sed partem aliquam deseruerant: haereticos tamen declaratos, eiectosque ex Ecclesiae sinu quis ignorat fuisse? Similique iudicio damnati, quotquot pravorum dogmatum auctores variis temporibus postea consecuti sunt. *Nihil periculosius his haereticis esse potest, qui cum integre per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram*

[1] 2 Tim. 2, 1 2. [2] *S. Clemens Rom.,* Epist. 1 ad Cor. c. 42 44.
[3] Ep. 69 ad Magn. n. 1.

illam ac simplicem fidem Dominicae et exinde apostolicae traditionis inficiunt[1]. Idem semper Ecclesiae mos, idque sanctorum Patrum consentiente iudicio: qui scilicet communionis catholicae expertem et ab Ecclesia extorrem habere consueverunt, quicumque a doctrina, authentico magisterio proposita, vel minimum discessisset. Epiphanius, Augustinus, Theodoretus haereseon sui quisque temporis magnum recensuere numerum. Alia Augustinus animadvertit posse genera invalescere, quorum vel uni si quis assentiatur, hoc ipso ab unitate catholica seiungitur: *Non omnis, qui ista* (numeratas videlicet haereses) *non credit, consequenter debet se christianum catholicum iam putare vel dicere. Possunt enim et haereses aliae, quae in hoc opere nostro commemoratae non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholicus non erit*[2].

983. *[Paulum secuta et Patres Ecclesiae]* — Istam tutandae unitati, de qua dicimus, institutam divinitus rationem urget beatus Paulus in epistola ad Ephesios; ubi primum monet, animorum concordiam magno studio conservandam: *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*[3]*:* cumque concordes animi caritate esse omni ex parte non possint, nisi mentes de fide consentiant, unam apud omnes vult esse fidem: *Unus Dominus, una fides:* ac tam perfecte quidem unam, ut errandi discrimen omne prohibeat: *Ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Idque non ad tempus servari docet oportere, sed *donec occurramus omnes in unitatem fidei . . . in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Sed eiusmodi unitatis ubinam Iesus Christus posuit principium inchoandae, praesidium custodiendae? In eo videlicet, quod *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos . . . alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Quare vel inde ab ultima vetustate hanc ipsam regulam doctores Patresque et sequi consueverunt et uno ore defendere. Origenes: *Quoties autem* (haeretici) *canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis credere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem Ecclesiae Dei tradiderunt nobis*[4]. Irenaeus: *Agnitio vera est Apostolorum doctrina . . . secundum successiones episcoporum . . . quae pervenit usque ad nos custoditione sine fictione scripturarum tractatio plenissima*[1]. Tertullianus vero: *Constat proinde, omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit. . . . Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa: hoc est testimonium veritatis*[2]. Atque Hilarius: *Significat* (Christus e navi docens) *eos, qui extra Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum et praedicatum hi qui extra sunt et arenae modo steriles atque inutiles adiacent, intelligere non possunt*[3]. Rufinus Gregorium Nazianzenum laudat et Basilium, quod *solis divinae scripturae voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propria praesumptione, sed ex maiorum scriptis et auctoritate sequebantur, quos et ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat*[4].

984. *[Ecclesiae magisterio vivo, authentico, perenni, a Christo instituto, in omnibus obtemperandum]* — Quamobrem, id quod ex iis, quae dicta sunt, apparet, instituit Iesus Christus in Ecclesia *vivum, authenticum,* idemque *perenne magisterium,* quod suapte potestate auxit, spiritu veritatis instruxit, miraculis confirmavit: eiusque praecepta doctrinae aeque accipi ac sua voluit gravissimeque imperavit. — Quoties igitur huius verbo magisterii edicitur, traditae divinitus doctrinae complexu hoc contineri vel illud, id quisque debet certo credere, verum esse: si falsum esse ullo modo posset, illud consequatur, quod aperte repugnat, erroris in homine ipsum esse auctorem Deum: *Domine, si error est, a te decepti sumus*[5]. Ita omni amota dubitandi caussâ, ullamne ex iis veritatibus potest cuiquam fas esse respuere, quin se det hoc ipso praecipitem in apertam haeresim? quin, seiunctus ab Ecclesia, doctrinam christianam una complexione repudiet universam? Ea quippe est natura fidei, ut nihil tam repugnet quam ista credere, illa reiicere. Fidem enim Ecclesia profitetur esse *virtutem supernaturalem, qua, Dei adiuvante et aspirante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest*[6]. Si quid igitur traditum a Deo liqueat fuisse, nec tamen creditur,

[1] Auctor Tractatus de fide orthodoxa contra Arianos.
[2] *S. Aug., De* haeres. n. 88. [3] Eph. 4, 3 sqq.
[4] Vetus interpretatio commentariorum in Matth. n. 46.

[1] Contra haeres. l. 4, c. 33, n. 8. [2] De praescript. c. 21.
[3] Comment. in Matth. 31, n. 1. [4] Hist. eccl. l. 2, c. 9.
[5] *Rich. de S. Victore,* De Trin. l. 1, c. 2. [6] Conc. Vatic. sess. III, cap. 3

nihil omnino fide divina creditur. Quod enim Iacobus Apostolus de delicto iudicat in genere morum, idem de opinionis errore in genere fidei iudicandum: *Quicumque . . . offendat . . . in uno, factus est omnium reus*[1]: imo de opinionis errore, multo magis. Omnis enim violata lex minus proprie de eo dicitur qui unum peccavit, propterea quod maiestatem Dei legum latoris sprevisse, non nisi interpretanda voluntate, videri potest. Contra is, qui veritatibus divinitus acceptis vel uno in capite dissentiat, verissime fidem exuit funditus, quippe qui Deum, quatenus summa veritas est et *proprium motivum fidei,* recusat vereri: *In multis mecum, in paucis non mecum: sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum*[2]. Ac sane merito: qui enim sumunt de doctrina christiana, quod malunt, ii iudicio suo nituntur, non fide: iidemque minime *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*[3], sibimetipsis verius obtemperant, quam Deo: *Qui in evangelio quod vultis, creditis; quod vultis, non creditis: vobis potius quam Evangelio creditis*[4].

985. Quocirca nihil Patres in Concilio Vaticano condidere novi, sed institutum divinum, veterem atque constantem Ecclesiae doctrinam, ipsamque fidei naturam sequuti sunt, cum illud decrevere: *Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata proponuntur*[5]. Itaque cum appareat, omnino in Ecclesia sua velle Deum unitatem fidei, compertumque sit cuiusmodi eam esse, et quo principio tuendam ipse iusserit, liceat Nobis, quotquot sunt qui non animum induxerint aures veritati claudere, iis Augustini verbis affari: *Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. . . . Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit: quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare?*[6]

---

[1] Iac. 2, 10. [2] *S. Aug.,* In Ps. 54, n. 19. [3] 2 Cor. 10, 5.
[4] *S. Aug.,* Contra Faustum Manichaeum l. 17, c. 3.
[5] Sess. III, cap. 3. [6] *S. Aug.,* De utilitate credendi c. 17, n. 35.

986. *[b) Unitas in munere sanctificandi et regendi. — Munus nobilius est sanctificationis]* — Hoc igitur sine ulla dubitatione est officium Ecclesiae, christianam doctrinam tueri eamque propagare integram atque incorruptam. Sed nequaquam in isto sunt omnia: imo ne finis quidem, cuius caussâ est Ecclesia instituta, officio isto concluditur. Quandoquidem, ut Iesus Christus pro salute humani generis se ipse devovit, atque huc, quae docuisset quaeque praecepisset, omnia retulit, sic iussit Ecclesiam quaerere in veritate doctrinae, quo homines cum sanctos efficeret, tum salvos. — Verum tanti magnitudinem atque excellentiam propositi consequi sola fides nullo modo potest: adhiberi necesse est cum Dei cultum iustum ac pium, qui maxime sacrificio divino et sacramentorum communicatione continetur, tum etiam sanctitatem legum ac disciplinae. — Ista igitur omnia inesse in Ecclesia oportet, quippe quae Servatoris munia in aevum persequitur: religionem, quam in ea velut *incorporari* ille voluit, mortalium generi omni ex parte absolutam sola praestat: itemque ea, quae ex ordinario providentiae consilio sunt instrumenta salutis, sola suppeditat.

987. *[Quod est apostolis demandatum]* — At vero quo modo doctrina caelestis nunquam fuit privatorum arbitrio ingenioque permissa, sed principio a Iesu tradita, deinceps ei separatim, de quo dictum est, commendata magisterio: sic etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, unâ cum regendi gubernandique potestate. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea pertinent a Iesu Christo dicta: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium . . . baptizantes eos. . . . Hoc facite in meam commemorationem. . . . Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Similique ratione non nisi Apostolis, quique eis iure successissent, mandavit ut *pascerent,* hoc est cum potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens. Quae quidem officia apostolici muneris omnia generatim Pauli sententia complectitur: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*[1].

988. *[In Ecclesia ut in societate religiosa exercendum]* — Quapropter mortales Iesus Christus, quotquot essent, et quotquot essent futuri, universos advocavit, ut ducem se eumdemque servatorem sequerentur, non tantum seorsum singuli, sed etiam

---

[1] 1 Cor. 4, 1.

consociati atque invicem re animisque iuncti, ut ex multitudine populus existeret iure sociatus; fidei, finis, rerum ad finem idonearum communione unus, uni eidemque subiectus potestati. Quo ipse facto principia naturae, quae in hominibus societatem sponte gignunt, perfectionem naturae consentaneam adepturis, omnia in Ecclesia posuit, nimirum ut in ea, quotquot filii Dei esse adoptione volunt, perfectionem dignitati suae congruentem assequi et retinere ad salutem possent. Ecclesia igitur, id quod alias attigimus, dux hominibus est ad caelestia, eidemque hoc est munus assignatum a Deo ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat, et rem christianam libere expediteque iudicio suo administret. Quocirca Ecclesiam aut non recte norunt aut inique criminantur qui eam insimulant, velle se in civitatum rationes inferre, aut in iura potentatus invadere. Imo Deus perfecit, ut Ecclesia esset omnium societatum longe praestantissima: nam quod petit ipsa tanquam finem, tanto nobilius est quam quod ceterae petunt societates, quanto naturâ gratia divina, rebusque caducis immortalia sunt praestabiliora bona.

989. *[Hinc Ecclesiae competit potestas regendi eaque una]* — Ergo Ecclesia societas est ortu *divina:* fine, rebusque fini proxime admoventibus, *supernaturalis:* quod vero coalescit hominibus, *humana* communitas est. Ideoque in sacris litteris passim videmus vocabulis societatis perfectae nuncupatam. Nominatur enim non modo *Domus Dei, Civitas supra montem posita,* quo convenire gentes omnes necesse est: sed etiam *Ovile,* cui praesit pastor unus, et quo recipere se oves Christi omnes debent: imo *Regnum quod suscitavit Deus,* quodque *stabit in aeternum:* denique *Corpus* Christi, *mysticum* illud quidem, sed tamen vivum apteque compositum, multisque conflatum membris; quae membra non eumdem actum habent: copulata vero inter se, gubernante ac moderante capite, continentur. Iamvero nulla hominum cogitari potest vera ac perfecta societas, quin potestate aliqua summa regatur. Debet igitur Iesus Christus magistratum Ecclesiae maximum praefecisse, cui obediens ac subiecta omnis esset christianorum multitudo. Qua de caussa sicut ad unitatem Ecclesiae, quatenus est *coetus fidelium,* necessario unitas fidei requiritur, ita ad ipsius unitatem, quatenus est divinitus constituta societas, requiritur iure divino *unitas regiminis,* quae *unitatem communionis* efficit et complectitur: *Ecclesiae autem unitas in duobus attenditur: scilicet in connexione membrorum Ecclesiae ad invicem seu communicatione, et iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiae ad unum caput* [1]. —

[1] *S. Thom.,* S. theol. 2, 2, q. 39, a. 1.

Ex quo intelligi licet, excidere homines ab Ecclesiae unitate non minus schismate, quam haeresi: *Inter haeresim et schisma hoc esse arbitrantur, quod haeresis perversum dogma habeat: schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur* [1]. Quibuscum illa Ioannis Chrysostomi in eamdem rem sententia concordat: *Dico et protestor, Ecclesiam scindere non minus esse malum, quam incidere in haeresim* [2]. Quamobrem si nulla potest esse honesta haeresis, pari ratione schisma nullum est, quod possit iure factum videri: *Non est quicquam gravius sacrilegio schismatis . . . praecidendae unitatis nulla est iusta necessitas* [3].

990. *[Quae data est α) Petro ut principi apostolorum]* — Quae vero et cuiusmodi summa ista potestas sit, cui christianos parere oportet universos, non aliter nisi comperta cognitaque voluntate Christi statuendum. Certe in aeternum rex Christus est, itemque moderari in aeternum tuerique regnum suum e caelo non visus perseverat: sed quia conspicuum illud esse voluit, designare debuit qui gereret in terris vices suas, postea quam ipse ad caelestia rediisset: *Si quis autem dicat quod unum caput et unus pastor est Christus, qui est unus unius Ecclesiae sponsus, non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod ecclesiastica sacramenta ipse Christus perficit: ipse enim est qui baptizat, ipse est qui peccata remittit, ipse est verus sacerdos, qui se obtulit in ara crucis, et cuius virtute corpus eius in altari quotidie consecratur; et tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, per quos praedicta fidelibus dispensaret, ut supra (cap. 74) dictum est. Eadem igitur ratione, quia praesentiam corporalem erat Ecclesiae subtracturus, oportuit ut alicui committeret qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est quod Petro dixit ante ascensionem: Pasce oves meas* [4]. Iesus Christus igitur summum rectorem Ecclesiae Petrum dedit, idemque sanxit ut eiusmodi magistratus saluti communi ad perennitatem institutus, ad successores hereditate transferretur, in quibus Petrus ipse esset auctoritate perpetua superstes.

991. *[Petro scilicet a Christo promissa]* — Sane insigne illud promissum beato Petro fecit, praeterea nemini: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* [5]. — *Ad Petrum locutus est Dominus: ad unum, ideo ut unitatem fundaret ex*

[1] *S. Hieron.,* Comment. in Epist. ad Titum c. 3, v. 10 11.
[2] Hom. 11 in Epist. ad Eph. n. 5.
[3] *S. Aug.,* Contra epist. Parmeniani l. 2, c. 11, n. 25.
[4] *S. Thom.,* Contra Gent. l. 4, c. 76. [5] Matth. 16, 18.

uno[1]. — *Nulla siquidem oratione praemissa . . . tam patrem eius, quam ipsum nomine appellat* (beatus es Simon Bar Iona), *et Simonem eum non iam vocari patitur, eum sibi pro sua potestate iam tum ut suum vindicans, sed congrua similitudine Petrum a petra vocari placuit, puta super quem fundaturus erat suam Ecclesiam*[2]. Quo ex oraculo liquet, Dei voluntate iussuque Ecclesiam in beato Petro, velut aedes in fundamento, consistere. Atqui fundamenti propria natura et vis est, ut cohaerentes efficiat aedes variorum coagmentatione membrorum, itemque ut operi sit necessarium vinculum incolumitatis ac firmitudinis: quo sublato, omnis aedificatio collabitur. Igitur Petri est sustinere Ecclesiam tuerique non solubili compage connexam ac firmam. Tantum vero explere munus qui possit sine potestate iubendi, vetandi, iudicandi, quae vere proprieque *iurisdictio* dicitur? Profecto non nisi potestate iurisdictionis stant civitates resque publicae. Principatus honoris ac pertenuis illa consulendi monendique facultas, quam *directionem* vocant, nulli hominum societati admodum prodesse neque ad unitatem neque ad firmitudinem queunt.

992. Atque hanc, de qua loquimur, potestatem illa declarant et confirmant: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* — *Quam autem eam? an enim petram supra quam Christus aedificat Ecclesiam? an Ecclesiam? Ambigua quippe locutio est: an quasi unam eamdemque rem, petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo, nec enim adversus petram, super quam Christus Ecclesiam aedificat, nec adversus Ecclesiam portae inferi praevalebunt*[3]. Cuius divinae sententiae ea vis est: quamcumque visi invisique hostes vim, quascumque artes adhibuerint, numquam fore ut fulta Petro Ecclesia succumbat, aut quoquo modo deficiat: *Ecclesia vero tamquam Christi aedificium, qui sapienter aedificavit „domum suam supra petram", portarum inferi capax non est, praevalentium quidem adversus quemcumque hominem, qui extra petram et Ecclesiam fuerit, sed invalidarum adversus illam*[4]. Ergo Ecclesiam suam Deus idcirco commendavit Petro, ut perpetuo incolumem tutor invictus conservaret. Eum igitur auxit potestate debita: quia societati hominum re et cum effectu tuendae, ius imperii in eo qui tuetur est necessarium.

993. Illud praeterea Iesus adnexuit: *Et tibi dabo claves regni caelorum.* Plane loqui de Ecclesia pergit, quam paullo ante nuncuparat *suam,* quamque ipsam velle se in Petro dixit, tamquam

[1] *S. Pacianus,* Ad Sempronium epist. 3, n. 11.
[2] *S. Cyrillus Alex.,* In Evang. Ioan. l. 2, in c. 1, v. 42.
[3] *Origenes,* Comment. in Matth. tom. 12, n. 11. [4] Ibid.

in fundamento, statuere. Expressam non modo *aedificii,* sed etiam *regni* imaginem gerit Ecclesia: ceteroqui insigne usitatum imperii claves esse, nemo nescit. Quapropter *claves regni caelorum* cum Iesus dare Petro pollicetur, potestatem et ius in Ecclesiam pollicetur daturum: *Filius vero et Patris et sui ipsius cognitionem per totum orbem illi (Petro) disseminare commisit, ac mortali homini omnem in caelo potestatem dedit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit, et caelis firmiorem monstravit*[1]. Concinunt cetera: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius rata sit habiturus Deus. Itaque summa est planeque sui iuris, quippe quae nullam habet in terris superiorem gradu, Ecclesiamque totam et quae sunt Ecclesiae commissa, universa complectitur.

994. *[Eidem Petro collata]* — Promissum exsolvitur, quo tempore Christus Dominus, post anastasim suam, cum ter a Petro, num se diligeret plus quam ceteri, quaesisset, praecipientis in modum ei, *Pasce,* ait, *agnos meos . . . pasce oves meas*[2]. Nimirum quotquot essent in ovili suo futuri, omnes illi velut pastori committit: *Dominus non dubitat, qui interrogat, non ut disceret, sed ut doceret, quem elevandus in caelum amoris sui nobis velut vicarium relinquebat. . . . Et ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur . . . perfectiores ut perfectior gubernaret*[3]. Illa vero sunt pastoris officia et partes, gregi se praebere ducem, eumdemque sospitare salubritate pabulorum, prohibendo pericula, cavendo insidias, tutando a vi: brevi, regendo gubernando. Cum igitur Petrus est gregi christianorum pastor impositus, potestatem accepit gubernandi omnes homines, quorum saluti Iesus Christus profuso sanguine prospexerat: *Cur sanguinem effudit? Ut has emeret oves, quas Petro et successoribus eius tradidit*[4].

995. *[Idem est columen fidei]* — Quoniamque immutabilis communione fidei christianos omnes oportet esse invicem coniunctos, idcirco suarum virtute precum Christus Dominus impetravit Petro, ut in gerenda potestate numquam fide laberetur: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*[5]. Eidem praeterea mandavit ut, quoties tempora postularent, ipse impertiret fratribus suis

[1] *S. Ioann. Chrysost.,* Hom. 54 in Matth. n. 2. [2] Io. 21, 16 17.
[3] *S. Ambros.,* Expos. in evang. sec. Lucam l. 10, n. 175 176.
[4] *S. Ioann. Chrysost.,* De sacerdotio l. 2. [5] Luc. 22, 32.

lumen animi et robur: *Confirma fratres tuos*[1]. Quem igitur fundamentum Ecclesiae designarat, eumdem esse vult columen fidei: *Cui propria auctoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat, quem cum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit?*[2] Hinc ipse Iesus certa quaedam nomina, magnarum indicia rerum, quae *sibi potestate sunt propria, voluit esse Petro secum participatione communia*[3], nimirum ut ex communione titulorum appareret communio potestatis. Ita ipse, qui *lapis est angularis, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino*[4], Petrum velut *lapidem* statuit, quo fulta esse Ecclesia deberet. *Cum audisset „petra es“, praeconio nobilitatus est. Quamquam autem petra est, non ut Christus petra, sed ut Petrus petra. Christus enim essentialiter petra inconcussa; Petrus vero per petram. Nam Iesus dignitates suas largitur, nec exhauritur.... Sacerdos est, facit sacerdotes ... petra est, petram facit*[5]. Rex idem Ecclesiae, *qui habet clavem David: qui aperit et nemo claudit: claudit et nemo aperit*[6], traditis Petro *clavibus*, principem christianae reipublicae declaravit. Pariter pastor maximus, qui se ipse *pastorem bonum* nuncupat[7], *agnis atque ovibus suis* pastorem Petrum praeposuit: *Pasce agnos, pasce oves.* Quare Chrysostomus: *Eximius erat inter Apostolos, et os discipulorum et coetus illius caput.... Simul ostendens ei, oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, fratrum ei praefecturam committit.... Dicit autem: Si amas me, fratribus praeesto*[8]. Demum qui confirmat *in omni opere et sermone bono*[9], mandavit Petro ut *confirmaret fratres suos.* Iure igitur Leo magnus: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis, cunctisque Ecclesiae patribus praeponatur: ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus*[10]. Itemque Gregorius magnus ad Imperatorem Mauritium Augustum: *Cunctis evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto et omnium Apostolorum Petro principi Apostolo totius Ecclesiae cura commissa est.... Ecce claves regni caelestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, et cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur*[11].

996. *[Petri successor est Romanus Pontifex]* — Eiusmodi autem principatum, quoniam constitutione ipsa temperationeque Ecclesiae,

[1] Luc. 22, 32. [2] *S. Ambros.,* De fide l. 4, n. 56.
[3] *S. Leo M.,* Sermo 4, c. 2. [4] Eph. 2, 21.
[5] Hom. de poenitentia n. 4, in append. opp. S. Basilii. [6] Apoc. 3, 7.
[7] Io. 10, 11. [8] Hom. 83 in Ioann. n. 1. [9] 2 Thess. 2, 16.
[10] Sermo 4, c. 2. [11] Epistularum l. 5, epist. 20.

velut pars praecipua, continetur, videlicet ut principium unitatis ac fundamentum incolumitatis perpetuae, nequaquam cum beato Petro interire, sed recidere in eius successores ex alio in alium oportuit: *Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit*[1]. Quare Pontifices, qui Petro in episcopatu romano succedunt, supremam Ecclesiae potestatem obtinent iure divino. *Definimus, sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur*[2]. Similiter Concilium Lateranense IV: *Romana Ecclesia ... disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra.*

997. Antecesserat consensus antiquitatis, quae episcopos romanos sine ulla dubitatione sic semper observavit et coluit ut beati Petri legitimos successores. Quem vero lateat quod in eamdem rem extent et quam luculenta sanctorum patrum testimonia? Illud valde praeclarum Irenaei, qui cum de Ecclesia romana dissereret, *ad hanc enim,* inquit, *Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*[3]. Ac Cyprianus itidem de Ecclesia romana affirmat, eam esse *Ecclesiae catholicae radicem et matricem*[4], *Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*[5]. *Cathedram* Petri appellat, quippe quam insidet Petri successor: *Ecclesiam principalem* ob principatum Petro ipsi et legitimis successoribus collatum: *unde unitas exorta,* quia in christiana republica caussa efficiens unitatis est Ecclesia romana. Quare Hieronymus iis verbis Damasum affatur: *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor.... Beatitudini tuae, id est Cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio*[6]. Sollemne illi est, catholicum hominem ex coniunctione cum romana Petri sede internoscere: *Si quis Cathedrae Petri*

[1] *S. Leo M.,* Sermo 3, c. 3. [2] Concilium Florentinum.
[3] Contra haeres. l. 3, c. 3, n. 2.
[4] Epist. 48 ad Cornelium n. 3. [5] Epist. 59 ad eund., n. 14.
[6] Epist. 15 ad Damasum, n. 2.

iungitur, meus est[1]. Neque absimili ratione Augustinus, palam testatus, *in romana Ecclesia semper Apostolicae cathedrae viguisse principatum*[2], negat esse catholicum, quicumque a fide romana dissentiat: *Non crederis veram fidem tenere catholicam, qui fidem non doces esse servandam romanam*[3]. Item Cyprianus: Communicare cum Cornelio, *hoc est cum catholica Ecclesia communicare*[4]. Similiter Maximus Abbas hanc verae fidei veraeque communionis notam esse docet, subesse Pontifici romano: *Itaque si vult haereticus non esse neque audire, non isti aut illi satisfaciat... Festinet pro omnibus sedi romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frustra solummodo loquitur, qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat sanctissimae romanorum Ecclesiae beatissimum Papam, id est Apostolicam Sedem.* Cuius rei caussam rationemque in eo affirmat residere, quod *ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis, secundum sacros canones et terminos, universarum quae in toto terrarum orbe sunt sanctarum Dei Ecclesiarum in omnibus et per omnia percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi. Cum hoc enim ligat et solvit, etiam in caelo Verbum, quod caelestibus virtutibus principatur*[5].

998. Quod igitur erat in fide christiana, quod non una gens, aut una aetas, sed aetates omnes, et Oriens pariter atque Occidens agnoscere atque observare consueverat, id meminit, nullo contradicente, ad Ephesinam Synodum Philippus presbyter, a Pontifice legatus: *Nulli dubium est, imo saeculis omnibus notum, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro Iesu Christo, salvatore humani generis ac redemptore, claves regni accepit, solvendique ac ligandi peccata potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et iudicium exercet*[6]. Eademque de re in omnium cognitione versatur Concilii Chalcedonensis sententia: *Petrus per Leonem ... loquutus est*[7]: cui vox Concilii Constantinopolitani III resonat, tamquam imago: *Summus nobiscum concertabat Apostolorum princeps: illius enim imitatorem et Sedis successorem habuimus fautorem ... charta et atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur*[8]. In formula catholicae professionis ab Hormisda conceptis

[1] Epist. 16, ad Damasum, n. 2. [2] Epist. 43, n. 7.
[3] Sermo 120, n. 13. [4] Epist. 55, n. 1.
[5] Defloratio ex epistula ad Petrum illustrem. [6] Actio 3.
[7] Actio 2. [8] Actio 18.

verbis, ineunte saeculo sexto, proposita, cui tum Iustinianus Imperator, tum Epiphanius, Ioannes, et Menna Patriarchae subscripserunt, illud est magna vi sententiarum declaratum: *Quia non potest Domini nostri Iesu Christi praetermitti sententia dicentis:* Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ... *haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio*[1]. Nolumus quidem persequi singula: libet tamen formulam fidei meminisse, quam Michael Palaeologus in Concilio Lugdunensi II professus est: *Ipsa quoque sancta romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro, Apostolorum principe sive vertice, cuius romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri*[2].

999. *[β) Ceteri etiam apostoli eorumque successores, episcopi, auctoritate ordinaria praediti sunt]* — Si Petri eiusque successorum plena ac summa potestas est, ea tamen esse ne putetur sola. Nam qui Petrum Ecclesiae fundamentum posuit, idem *elegit duodecim ... quos et apostolos nominavit*[3]. Quo modo Petri auctoritatem in romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, horum potestatem ordinariam hereditate capiunt; ita ut intimam Ecclesiae constitutionem ordo episcoporum necessario attingat. Quamquam vero neque plenam neque universalem ii neque summam obtinent auctoritatem, non tamen *vicarii* romanorum Pontificum putandi, quia potestatem gerunt sibi propriam, verissimeque populorum, quos regunt, antistites *ordinarii* dicuntur.

1000. *[Sub Petro et ei uniti]* — Verum quia successor Petri unus est, Apostolorum permulti, consentaneum est perspicere quae sint istorum cum illo, divina constitutione, necessitudines. — Ac primo quidem coniunctionis episcoporum cum eo qui Petro succedit, non obscura est neque dubia necessitas: hoc enim soluto nexu, solvitur ac diffluit multitudo ipsa christianorum, ita plane ut nullo pacto queat unum corpus conflare unumque gregem: *Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes*[4]. Idcirco ad id

[1] Post Epistulam 26, ad omnes episc. Hispan., n. 4. [2] Actio 4.
[3] Luc. 6, 13. [4] *S. Hieron.,* Dial. contra Lucifer. n. 9.

praestat advertere animum: nihil esse Apostolis seorsum a Petro collatum; plura seorsum ab Apostolis ac separatim Petro. Ioannes Chrysostomus in Christi edisserenda sententia (Ioan. 21, 15) cum percontatus esset: *Cur, aliis praetermissis, de his Christus Petrum alloquitur?* omnino respondet: *Eximius erat inter Apostolos, et os discipulorum, et coetus illius caput*[1]. Hic enim unus designatus a Christo est fundamentum Ecclesiae: ipsi *ligandi* copia *solvendique* permissa, eidemque *pascendi* data potestas uni. Contra quidquid auctoritatis ac muneris accepere Apostoli, coniuncte cum Petro accepere: *Divina dignatio si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negavit*[2]. *Ut cum multa solus acceperit, nihil in quemquam sine ipsius participatione transierit*[3]. Ex quo plane intelligitur, excidere episcopos iure ac potestate regendi, si a Petro eiusve successoribus scientes secesserint. Nam a fundamento, quo totum debet aedificium niti, secessione divelluntur; itaque exclusi *aedificio* ipso sunt: ob eamdemque caussam ab *ovili* seiuncti, cui dux est pastor maximus, *regnoque* extorres, cuius uni Petro datae divinitus claves.

1001. *[Ita per Petrum unitas servatur]* — Quibus rebus rursus noscimus in constituenda christiana republica caelestem descriptionem mentemque divinam. Videlicet cum Ecclesiam divinus auctor fide et regimine et communione unam esse decrevisset, Petrum eiusque successores delegit in quibus principium foret ac velut centrum unitatis. Quare Cyprianus: *Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum:* Ego tibi dico, *inquit,* Quia tu es Petrus.... *Super unum aedificat Ecclesiam. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, et dicat: sicut misit me Pater..., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit*[4]. Atque Optatus Milevitanus: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur: ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret*[5]. Unde est illa ipsius Cypriani sententia, cum haeresim tum schisma ex eo ortum habere gignique, quod debita supremae potestati obedientia abiicitur: *Neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt*

[1] Hom. 88 in Ioann. n. 1. [2] *S. Leo M.*, Sermo 4, c. 2. [3] Ibid.
[4] De unit. Eccl. n. 4. [5] De schism. Donat. l. 2.

schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex vice Christi cogitatur[1]. Nemo igitur, nisi cum Petro cohaereat, participare auctoritatem potest, cum absurdum sit opinari, qui extra Ecclesiam est, eum in Ecclesia praeesse. Quare Optatus Milevitanus reprehendebat hoc nomine Donatistas: *Contra quas portas* (inferi) *claves salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum, cui a Christo dictum est: tibi dabo claves regni caelorum, et portae inferi non vincent eas. Unde est ergo, quod claves regni caelorum vobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri ... militatis?*[2]

1002. *[Petrus (Romanus Pontifex) igitur est princeps apostolorum (episcoporum)]* — Sed episcoporum ordo tunc rite, ut Christus iussit, colligatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat: secus in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur. Fidei et communionis unitati rite conservandae, non gerere honoris caussâ priores partes, non curam agere satis est; sed omnino auctoritate est opus vera eademque summa, cui obtemperet tota communitas. Quid enim Dei Filius spectavit, cum claves regni caelorum *uni* pollicitus est Petro? Summum fastigium potestatis nomine *clavium* eo loco designari, *usus biblicus* et Patrum consentientes sententiae dubitari non sinunt. Neque secus interpretari fas est, quae vel Petro separatim tributa sunt, vel Apostolis coniunctim cum Petro. Si ligandi, solvendi, pascendique facultas hoc parit in episcopis, successoribus Apostolorum, ut populum quisque suum vera cum potestate regat, certe idem parere eadem facultas in eo debet, cui pascendi *agnos* et *oves* assignatum est, Deo auctore, munus: *Non solum pastorem (Petrum), sed pastorum pastorem (Christus) constituit: pascit igitur Petrus agnos, pascit et oves, pascit filios, pascit et matres: regit subditos, regit et praelatos quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est*[3]. Hinc illae de beato Petro singulares veterum locutiones, quae in summo dignitatis potestatisque gradu locatum luculente praedicant. Appellant passim *principem coetus discipulorum: sanctorum Apostolorum principem: chori illius coryphaeum: os Apostolorum omnium: caput illius familiae: orbis totius praepositum: inter Apostolos primum: Ecclesiae columen.* Quae omnia concludere Bernardus iis verbis videtur ad Eugenium Papam: *Quis es? Sacerdos magnus, summus pontifex. Tu princeps episcoporum, tu heres Apostolorum.... Tu es, cui claves traditae, cui*

[1] Epist. 12, ad Cornelium, n. 5. [2] Lib. 2, n. 4 5.
[3] *S. Brunonis* episc. Signiensis, Comment. in Ioann. part. 3, c. 21, n. 55.

oves creditae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi universi crediti, uni unus, nec modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris. Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit: cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil [1].

1003. *[Et singulorum et universorum, teste Sacra Scriptura]* — Illud vero abhorret a veritate, et aperte repugnat constitutioni divinae, iurisdictioni romanorum Pontificum episcopos subesse *singulos,* ius esse; *universos,* ius non esse. Haec enim omnis est caussa ratioque fundamenti, ut unitatem stabilitatemque toti potius aedificio, quam *partibus* eius *singulis* tueatur. Quod est in caussa, de qua loquimur, multo verius, quia Christus Dominus fundamenti virtute confieri voluit, ut portae inferi non praevaleant adversus Ecclesiam. Quod promissum divinum constat inter omnes de Ecclesia universa intelligi oportere, non de singulis eius partibus, quippe quae utique vinci inferorum impetu possunt, nonnullisque earum, ut vincerentur, singillatim evenit. Rursus, qui gregi praepositus est universo, eum non modo in oves dispersas, sed prorsus in multitudinem insimul congregatarum habere imperium necesse est. Num regat agatque pastorem suum universitas ovium? Num successores apostolorum, simul coniuncti, fundamentum sint, quo Petri successor, adipiscendi firmamenti caussâ, innitatur? Profecto cuius in potestate sunt claves regni, ei ius atque auctoritas est non tantum in provincias singulares, sed in universas simul: et quo modo episcopi in regione quisque sua non solum privato cuique, sed etiam communitati vera cum potestate praesunt, ita Pontifices romani, quorum potestas christianam rempublicam totam complectitur, omnes eius partes, etiam unâ collectas, subiectas atque obedientes habent potestati suae. Christus Dominus, quod iam dictum satis, Petro eiusque successoribus tribuit ut essent *vicarii* sui, atque eamdem in Ecclesia perpetuo gererent potestatem, quam ipsemet gesserat in vita mortali. Num Apostolorum collegium magistro suo praestitisse auctoritate dicatur?

[1] De consideratione l. 2, c. 8.

1004. *[Teste ipsa quoque Ecclesia]* — Hanc vero, de qua dicimus, in ipsum episcoporum collegium potestatem, quam sacrae litterae tam aperte enuntiant, agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Illa sunt in hoc genere effata Conciliorum: *Romanum pontificem de omnium Ecclesiarum praesulibus iudicasse legimus: de eo vero quemquam iudicasse non legimus* [1]. Cuius rei ea ratio redditur, quod *auctoritate Sedis Apostolicae maior non est* [2]. Quare de Conciliorum decretis Gelasius: *Sicut id quod prima Sedes non probaverat, constare non potuit, sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit* [3]. Sane Conciliorum consulta et decreta rata habere vel infirmare semper romanorum Pontificum fuit. Conciliabuli Ephesini acta rescidit Leo magnus; Ariminensis, reiecit Damasus; Constantinopolitani, Hadrianus I; canonem vero XXVIII Concilii Chalcedonensis, quod assensu et auctoritate caruit Sedis Apostolicae, velut incassum quiddam constat iacuisse. Recte igitur in Concilio Lateranensi V Leo X statuit: *Solum romanum Pontificem, pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum ius ac potestatem habere, nedum ex sacrae Scripturae testimonio dictisque Patrum ac aliorum romanorum Pontificum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat.* Sane claves regni caelorum uni creditas Petro, item ligandi solvendique potestatem Apostolis una cum Petro collatam, sacrae litterae testantur: at vero summam potestatem *sine Petro* et *contra Petrum* unde Apostoli acceperint, nusquam est testatum. Profecto a Iesu Christo nullo pacto accepere. — Quibus de caussis, Concilii Vaticani decreto, quod est de vi et ratione primatus Romani Pontificis, non opinio est invecta nova, sed vetus et constans omnium saeculorum asserta fides [4].

1005. *[Ex qua potestatis duplicitate nulla tamen oritur administrationis confusio]* — Neque vero potestati geminae eosdem subesse, confusionem habet administrationis. Tale quicquam suspicari, primum sapientia Dei prohibemur, cuius consilio est temperatio isthaec regiminis constituta. Illud praeterea animadvertendum, tum rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari, si bini magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio.

[1] Hadrianus II in allocutione 3 ad Synodum Romanam anno 869. Cf. Actionem 7 Concilii Constantinopolitani IV.

[2] *Nicolaus* in Epist. 86, ad Michael. Imperat.: *Patet profecto Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.*

[3] Epist. 26, ad episcopos Dardaniae, n. 5. [4] Sess. IV, cap. 3.

Sed romani Pontificis potestas summa est, universalis, planeque sui iuris; episcoporum vero certis circumscripta finibus, nec plane sui iuris: *Inconveniens est, quod duo aequaliter super eumdem gregem constituantur. Sed quo duo, quorum unus alio principalior est, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens; et secundum hoc super eamdem plebem immediate sunt et Sacerdos parochialis et Episcopus et Papa*[1]. Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum: propterea quemadmodum potestatem suam ea qua par est cura vigilantiâque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam ut sua Episcopis auctoritas salva sit. Imo quidquid Episcopis tribuitur honoris, quidquid obsequii, id omne sibimetipsis tributum deputant. *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur*[2].

1006. *[Conclusio: Tenete Deum Patrem et matrem Ecclesiam]* —

His quae dicta sunt, Ecclesiae quidem imaginem atque formam ex divina constitutione fideliter expressimus. Plura persecuti de unitate sumus; cuiusmodi hanc esse, et quo conservandam principio divinus auctor voluerit, satis explicavimus. Quotquot divino munere beneficioque contigit, ut in sinu Ecclesiae catholicae tamquam ex ea nati vivant, eos vocem Nostram apostolicam audituros, non est cur dubitemus: *Oves meae vocem meam audiunt*[3]. Atque hinc facile sumpserint quo et erudiantur plenius, et voluntate propensiore cum pastoribus quisque suis et per eos cum pastore summo cohaereant, ut tutius queant intra ovile unicum permanere, fructuumque ex eo salutarium maiorem ubertatem capere. Verum aspicientibus Nobis *in auctorem fidei et consummatorem Iesum*[4], cuius vicaria potestate, tametsi impares dignitati et muneri, fungimur, caritate eius inflammatur animus; illudque de se a Christo dictum, de Nobismetipsis non sine caussa usurpamus: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient*[5]. Nos igitur audire et caritati Nostrae paternae obsequi ne recusent, quotquot sunt, qui impietatem tam late fusam oderunt, et Iesum Christum Filium Dei eumdemque servatorem generis humani agnoscunt et fatentur, sed tamen vagantur ab eius Sponsa longius. Qui Christum sumunt, totum sumant necesse est: *Totus Christus caput et corpus est: caput unigenitus Filius Dei, corpus eius Ecclesia: sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite a Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus, quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiae non communicant, non sunt in Ecclesia*[1].

[1] *S. Thom.*, In 4 Sent. dist. 17, a. 4 ad q. 4 ad 3.
[2] *S. Gregor. M.*, Epistularum l. 8, epist. 30, ad Eulogium.
[3] Io. 10, 27. [4] Hebr. 12, 2. [5] Io. 10, 16.

1007. Ac pari studio ad eos provolat animus Noster, quos impietatis non funditus corrupit pestilens afflatus, quique hoc saltem expetunt, sibi patris esse loco Deum verum, terrae caelique opificem. Hi quidem apud se reputent ac plane intelligant, numerari se in filiis Dei nequaquam posse, nisi fratrem sibi Iesum Christum simulque Ecclesiam matrem adsciverint. Omnes igitur peramanter, sumpta ex Augustino ipso sententia, compellamus: *Amemus Dominum Deum nostrum, amemus Ecclesiam eius: illum sicut patrem, istam sicut matrem. Nemo dicat: ad idola quidem vado, arreptitios et sortilegos consulo, sed tamen Dei Ecclesiam non relinquo: catholicus sum. Tenens matrem, offendisti patrem. Alius item dicit: absit a me, non consulo sortilegum, non quaero arreptitium, non quaero divinationes sacrilegas, non eo ad adoranda daemonia, non servio lapidibus: sed tamen in parte Donati sum. Quid tibi prodest non offensus pater, qui offensam vindicat matrem? Quid prodest si Dominum confiteris, Deum honoras, ipsum praedicas, Filium eius agnoscis, sedentem ad Patris dexteram confiteris, et blasphemas Ecclesiam eius? . . . Si haberes aliquem patronum, cui quotidie obsequereris; si unum crimen de eius coniuge diceres, num quid domum eius intrares? Tenete ergo, carissimi, tenete omnes unanimiter Deum patrem et matrem Ecclesiam*[2].

Plurimum misericordi Deo confisi, qui maxime potest animos hominum permovere, et unde vult, et quo vult, impellere, benignitati eius universos, quos in oratione spectavimus, vehementer commendamus. Caelestium vero donorum auspicem et benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 29 Iunii anni 1896, Pontificatus Nostri decimo nono.

LEO PP. XIII.

[1] *S. Aug.*, Contra Donat. epistula, sive De unit. Eccl. c. 4, n. 7.
[2] Enarr. in Ps. 88, sermo 2, n. 14.

INDEX SCRIPTURISTICUS.

(Numeri sunt marginales, ex quibus illi, quibus praemittitur II, remittunt ad II tomum.)

INDEX NOMINUM ET RERUM.

(Numeri sunt marginales, e quibus illi, quibus praemittitur II, remittunt ad II tomum.)